

PRAXIS AD LITTERAS MAIORIS PŒNITENTIARII,

Et Officij Sacræ Pœnitentiariæ APOSTOLICÆ

IN QVATVOR PARTES DISTRIBVTA.

In quibus declarantur singularum formularum Clausulæ, & traditur modus præfatas Litteras exequendi.

AVTHORE

MARCO PAVLO LEONE ROMANO SOCIETATIS IESV, I. V. D.

CVM PRIVILEGIO.







ROMÆ, Ex Typographia Ludouici Grignani. MDCXLIV.

SVPERIORVM PERMISSV.



VRBANVS PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CVM ficut nobis nuper exponi fecit dilectus Filius Marcus Paulus Leone Presbyter Societatis IESV, Ipſe librum *Praxis ad Litteras, & Bullas Maioris Pœnitentiarij, & Sacræ Pœnitentiariæ Apoſtolicæ Officij* intitulatum, à ſe compoſitum Typis mandari faciat: vereatur autem ne alij in hac Alma Vrbe Noſtra, & extra eam Librum huiuſmodi etiam Imprimi curent in ipſius Marci Pauli præiudicium. Nos eius indemnitati conſulere, & ne quis Librum prædictum ſine eius licentia imprimere præſumat prouidere, dictumque Marcum Paulum ſpecialibus fauoribus, & gratiis proſequi volentes & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, & cenſuris & pœnis à Iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequeñ, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus illius nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; Eidem Marco Paulo, vt decennio proximo à primæua dicti Libri, dummodo antea à dilecto Filio Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici approbatus ſit, Impreſſione computañ durante, nemo tam in Vrbe, quam in vniuerſo Statu Eccleſiaſtico, mediate vel immediate Nobis ſubiecto, Librum prædictum ſine ſpeciali dicti Marci Pauli, aut ab eo cauſam habentium licentia Imprimi facere, aut ab alio, vel aliis Impreſſum vendere ſeu venalem habere, vel proponere poſſit, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea vniuerſis, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti-Fidelibus præſertim Librorum impreſſoribus, & Bibliopolis quouis nomine nuncupatis, tam in Vrbe, & Statu prædictis ſub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amiſſionis Librorum, & Typorum omnium pro duabus Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ, ac pro altera tertiis partibus accuſatori, & Iudici exequenti irremiſſibiliter applicandis, quàm per totam Italiam, & extra eam vbiuis gentium, & locorum conſtitutis ſub excommunicationis Maioris latæ ſententiæ pœnis, eo ipſo abſque vlla declaratione incurrendis, ne dicto decennio durante Librum prædictum, aut aliquam eius partem ſine

huiusmodi licentia Imprimere, alioue Titulo, vel forma quouis prætextu mutare, vel alio quocunque idiomate versum edere, vel ab aliis Impressum, vel editum vendere, aut venalem habere, seu proponere quoquomodo audeant, seu præsumant. Mandantes propterea vniuersis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, & aliis locorum Ordinariis, eorumque Vicariis, seu Officialibus in Spiritualibus Generalibus, ac in dicto Nostro Statu Ecclesiastico Legatis, Præsidentibus, Gubernatoribus, Potestatibus, & aliis Iustitiæ ministris, quatenus eidem Marco Paulo, seu ab eo causam habentibus huiusmodi in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, quandocunque ab eodem Marco Paulo, seu aliis prædictis fuerint requisiti, pœnas prædictas contra quoscunque inobedientes irremissibiliter exequantur, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Nō obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis quibusuis personis quomodolibet cōcessis, & confirmatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, ad effectum præmissorum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam in ipso libro impressis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quę adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, Die vij. Martij M.DC.XLIV. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo primo.

M. A. Maraldus.

MV-

MVTIVS VITELLESCVS
SOCIETATIS IESV
PRAEPOSITVS GENERALIS.

CVm *Praxim ad Litteras, & Bullas Maioris Pœnitentiarij, & Sacræ Pœnitentiariæ Officij* à P.Marco Paulo Leone nostræ Societatis Sacerdote ſcriptam, tres eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt Typis mandetur, ſi ita Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. D.Viceſgerenti, ac Reuerendiſſimo P. Magiſtro Sacri Palatij videbitur. Datum Romæ 17. Iulij 1643.

Mutius Vitelleſcus.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

A. Sacratus Epiſc. Comacl. Viceſg.

REVERENDISSIME PATER.

PRaxis hæc ad Litteras, & Bullas Maioris Pœnitentiarij, & Officij Sacræ Pœnitentiariæ, *Authore P. Marco Paulo Leone Societatis IESV I.V.Doctore; quam iuſſu Reuerendiſsimæ P. T. cenſui, digna eſt, quæ prima in hoc genere, eoque diu ab omnibus deſiderata, ad omnium item vtilitatem, ſi ita Reuerendiſſimæ P.T. videatur, publici iuris fiat. Romæ* 14.*Septembris, Anno* 1643.

Melchior Inchofer S.C.I.C.

Imprimatur.

Fr.Michael Mazzarinus, Sacri & Apoſtolici Palatij Magiſter.



Eminentiſſ. & Reuerendiſſ. Principi

FRATRI ANTONIO BARBERINO

S.R.E. CARD.

SANCTI HONVPHRII

MAIORI POENITENTIARIO

MARCVS PAVLVS LEO

SOCIETATIS IESV. F.





V M tot obnoxias erroribus Litteras, & Bullas Sacræ Pœnitentiariæ Officij obſeruauerim, E.P. ſpatio quatuordecim annorum, quibus Procuratoris partes in eodem Officio ſuſtinui; non quidem Officialium, & Miniſtrorum culpa, (horum enim doctrinam, diligentiam,

& prolixam benignitatem, præsertim hisce temporibus, quibus oculata Tuę beneficientiæ solicitudo, & studiosa ad animarum salutem Tua prudentia tanto pręsident Tribunali, summopere præ omnibus Mundus admiratur, & colit) sed ex illarum Exequutorum imprudentia, ne dicam imperitia; admiratus sæpius sum neminem hucusque operæ pretium duxisse, Praxim aliquam conscribere, qua & Sanctissimi Tribunalis dignitati, & oratorum indigentium prospiceretur commodo: eoque magis creuit admiratio, quia singulis Romanæ Curiæ Tribunalibus suæ non desunt Praxes: Quot enim Dataria, & Cancellaria habent Auctores, qui in earum Supplicationibus, & Bullis declarandis elaborarunt! Sanctæ Inquisitionis pariter Officium pluribus fruitur editis praxibus, & commentarijs de consueto procedendi modo in causis, & negotijs ad se spectantibus. Camera Apostolica, Congregationes, cæteraque Tribunalia abundant Scriptoribus, qui illorum stylum, & decreta suis laboribus illustrarunt. Tali verò auxilio Sacræ Pœnitentiariæ Officium destituitur duntaxat, non sine ma-

gno

gno supplicum detrimento, eo quod nulla Praxis conscripta videatur. Tantam prouinciam, & onus mihi, vt susciperem persuasit antiquum meum erga sacrum hoc Tribunal obsequium, compulitque, vt Praxim Deo adiuuante conscriberem secundum sacros Canones, & Sacræ Pœnitentiariæ stylum à me accuratissime tot annis obseruatum. Hoc verò qualecunque opus in Tua E. P. clientela collocatum, non indignum omnino luce, nec inutile censebitur, si Tuo exceptum foueatur patrocinio. Vale.

BENIGNO LECTORI.



IN scribendo huiusmodi Praxim à sacris Canonibus mutuatus sum casus in singulis formulis expressos; à Sacræ Pœnitentiariæ Officio clausulas, & stylum; Demum ab vtrisque clausularum declarationem, & eas exequendi modum. Singulis legibus, & capitulis proprium assignaui numerum, vt Lector minori difficultate textus reperiens cognoscat pariter, quo fundamento à me dicta nitantur. Typographorum erroribus omnibus occurrere arduum est. Fatales sunt; quoniam illi Pictorum instar depingunt imagines, quas ignorant, & Psyttacos imitantur verba non intellecta recitantes. Prudentia Lectoris opus est: hanc à Tua benignitate siue debitam exigo, siue indebitam rogo. Vale.

INDEX

INDEX
LITTERARVM,
QVÆ IN HAC PRAXI
EXPLICANTVR.

In Prima Parte explicantur formulæ Dilationum, Commutationum, & Dispensationum Votorum.

In Secunda Parte explicantur formulæ Dispensationum Matrimonialium.

In Tertia Parte Formulæ Absolutionum, & Dispensationum, quæ conceduntur in Foro Conscientiæ occulto.

In Quarta Parte Formulæ Absolutionum, Dispensationum, & Licentiarum, quæ conceduntur pro Regularibus, & Religionem ingredi volentibus, in vtroque Foro, &c.

IN-

INDEX

Litterarum, quæ explicantur in hac Prima Parte huius Praxis.

Com-



IN-

INDEX

Litterarum Matrimonialium, Dispensationum, quæ explicantur in hac Secunda Parte huius Praxis.


INDEX

INDEX

Litterarum, Absolutionum, & Dispensationum in foro conscientiæ, quæ in hac Tertia Parte huius Praxis explicatur.

Dispen-

Condo-



IHS

INDEX

Litterarum, quæ in Quarta Parte huius Praxis explicantur.

FINIS.

PRA-



PRAXIS AD LITTERAS ET BVLLAS MAIORIS POENITENTIARII ET S. POENITENTIARIÆ OFFICII.

PARS PRIMA.

De Formulis Votorum.



De Maiori Pœnitentiario, eiusque Officialibus.

Maioris Pœnitentiarii dignitas.



MAIORIS Pœnitentiarij dignitas est vna ex primarijs post Sũmum Sacerdotium, cui Summus Pontifex eam soluẽdi in terris clauem, hoc est, potestatem sibi à DEI Filio Christo IESV Domino Nostro traditam commendat insigni auctoritatis prærogatiua. Ita *Gomesius in proœmio Regularum Cancellariæ.*

Hæc dignitas, si credimus Grauatio *in adnotationibus suis ad caput 2. praxis Vestrij,* instituta primo fuit à Benedicto Papa huius nominis Secundo, ac postea Eugenij, Sixtique beneficijs aucta, à Pio Quinto eiusque in Petri Vicariatu successoribus confirmata.

A quibus instituta & reformata.

Conferri solet alicui ex Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit ætate, moribus, scientia, prudentia, ac benignitate conspicuus. Cùm hæc scribere cœpissem, Maioris Pœnitentiarij dignitas sustinebatur ab Eminentiss. Prin-

Est Cardinalitia.

Scipio Caffarellus.

cipe Scipione Caffarello Cardinali Burghesio, nepote ex Sorore Pauli fel. rec. Papæ huius nominis Quinti: sed eius obitu sequuto quinto Nonas Octobris, anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, commendata illico fuit Eminentissimo Principi Fratri Antonio Barberino, Cardinali S. Honufrij, germano regnantis Vrbani Octaui Fratri, quem Religio, & Purpura perpetuo venerabilem habebunt.

Fr. Antonius Barberinus M. P.

M. P. iurisdictio reformatur.

Maior Pœnitētiarius olim amplissimum habebat iurisdictionis suæ Theatrum: sed à Pio Quinto sanctæ me. fuit præcipuè reformatum, & intra quosdam non adeo amplos cancellos conclusum. Hodie verò Sanctiss. D. N. Vrbanus saniori consilio authoritatem Maioris Pœnitentiarij approbando declarauit, illique suos præscripsit limites per litteras in Forma Breuis expeditas sub anulo Piscatoris *die 27. Septembris anni 1634.*

Per obitum Pontificis nō expirat.

Per mortem Pontificis nō expirat iurisdictio & authoritas Maioris Pœnitentiarij, *Clem. 2. §. eo tamen, de electione:* alias enim verteretur in animarum periculum, vt notant *Zabarella, & alij DD. in allegata Clem. 2.*

Maior Pœnitentiarius habet sub se infrascriptos Officiales, & Ministros.

Regentis.

Regentem primò, qui ex primarijs Romanę Curię Prelatis eligitur. Nuper Regentis partes agebat sūmo cum decoro, & officiosa benignitate, Illustrissimus D. Ioannes Baptista Coccinus Venetus Sacræ Rotæ Romanæ Decanus, & Sancti Officij Consultor Canonista; cuius virtutes, ac excellentias magis silentio venerari, quàm æquis laudare vocibus possumus; ac propterea inopinata illum mors mortalis quidem vitæ, non autem gloriæ, & famæ subtraxit æternę. In eius locū breui temporis spatio subrogati successiue fuerunt Illustriss. Patres Philippus Pirouanus Mediolanen. & Clemēs Merlinus Foroliuiensis, ambo Romanæ Rotæ Decani, & in Sacræ Pœnitentiariæ officio ille Consultor Canonista, hic vero Datarius iam diù extiterant: vtrumque mutuatas sibi inuicem officiorum vicissitudines deserere, & mortale tributum mors sibi persoluere coegit, vt non vnicum prēmium, sed duplicata merces iam diù Leonis Verospij virtutibus à cœlo destinata per beneficas manus Vrbani VIII. & Cardinalis Sancti

Io. B. Coccinus Regens.

Philippus Pirouanus, & Clem. Merlinus Regen.

Leo Verospius eligitur S. Rotæ Auditor, ac Pœnitent. Regens.

Sancti Onuphrij, vtriusque Tribunalis honor, & præeminentia deuoluerētur. Leo enim Verospius Illustriss. Pręsul, & Sacræ Rotæ pro Eminentissimo Hieronymo Verospio fratre suo germano ad Cardinalatus apicem promoto, Auditoris partes suscepit, & Regētis sacræ Pœnitentiariæ munus per obitum Clementis Merlini vacans subiuit, & non vulgari studio, ac solicita prudentia exercet vtrumque.

Regentis officium.

Regens vices Maioris Pœnitentiarij gerit, supplices libellos Sacræ Pœnitentiariæ porrectos recipit, subsignat, & decreta desuper opportuna apponit, cōcedendo in eis petita, si legitimæ adsint causæ; sin minus, denegādo. Supplicationes ab infrascriptis Procuratoribus, secundū prędicta decreta cōfectas subscribit in hanc formam, quando supplicum precibus annuit iuxta ordinariā Maioris Pœnitentiarij authoritatem.

Formula sub quibus Regēs subscribit

Fiat de speciali. Leo Verospius Regens.

Si verò facto prius verbo cū Sāctissimo, cōcedatur gratia, sequenti vtitur formula.

Fiat de expresso. Leo Verospius Regens.

Distributio Memorialiū.

Bis in qualibet hebdomada supplices libellos à se signatos, vicissim ipsis procuratoribus expediendos distribuit, & gratiarum factarum supplicationes, vt supra insinuauimus, subscribit.

Datarii munus.

Datarium, qui in dictarum supplicationum calce scribit Datā currentium Diei, Mensis, & Anni Pōtificatus Sanctissimi D. N. Papæ pro tempore regnantis, in hunc modum.

Datum Romæ apud Sāctum Petrum, si Pontifex in Palatio Vaticano commorerur; si verò in monte Quirinali, vel extra Vrbem in locis vicinioribus, videlicet Tusculo, vel in Castro Gandulfo, & similibus, ponitur:

Formula Datæ apponēdæ in supplicationibus.

Apud S. Mariam Maiorem, Nonis Octobris, anno vigesimo: seu, &c. Statim subsequuntur nomen, & cognomen ipsius Datarij.

Franciscus Albicius Datarius.

Eligitur hic etiam ex primis Romanæ Curiæ Prælatis, qualem existimarunt Illustrissimum D. Franciscum Albicium non solùm Roma, qua in Vrbe pro summis Catholicæ Religionis causis Assessor datus est Sanctæ Inquisitionis Officio cōtra hæreticam prauitatem; & Gallia

Belgica, quem Coloniæ in Pōtificia Legatione ad Christianorum Principum inter se alienatos animos componendos Eminentiss. Principi Cardinali Martio Ginetto assidere à consilijs suspexit: verùm etiam tota Hispania, vbi tot tantaque negotia eā Nūtio Sedis Apostolicę credita illius prudentiæ, & doctrinæ fuerunt nullius defraudatis votis. Virum adeò prudentem Maior Pœnitentiarius, prædecessorum suorum sequutus vestigia, constituit hodie suarum litterarum Datarium.

Correctoris munus. Correctorem, seu Reuisorem, qui prædictas supplicationes à Procuratoribus eiusdem Officij cōfectas diligentissime perlegit, & cùm necessitas exposcat, corrigit, & pro adimpleti sui muneris signo notulam peculiarem imprimit in extremis supplicationum paginis: litteras demum omnes in forma Breuis, ac Bullas secundum pręscriptam supplicationis formam expediēdas, & expeditas subscribit, proprijs dumtaxat nomine, & cognomine, videlicet, *N. N.*

Huiusmodi munus insignē semper exquisiuit personam, & in sacris præsertim Canonibus versatam, qualis est Illustrissimus D. Annibal Albanus, Vtriusque Iuris Doctor, Bibliothecæ Vaticanę Custos, & eiusdem Cardinalis S. Honuphrij tam in Ecclesiasticis, quàm in prophanis causis generalis Auditor; quem idem Maior Pœnitentiarius prædicto Correctoris muneri meritò addixit. *Annibal Albanus Corrector S.P.*

Duos præterea habet Consultores, quorum vnus hoc tempore est Pater Valentinus Mangionus nostræ Societatis IESV Theologus: cuius eximia doctrinæ & religiosæ prudentiæ merita Roma, aliaque Italiæ loca, necnon Gallia Belgica, nuper in prædicta Eminentiss. D. Cardinalis Ginetti Legatione sunt experta. Alter verò Cōsultor Canonista Reuerendiss. Philippus Albanus Canonicus insignis Ecclesiæ S. Mariæ Trāstyberim, & Vtriusq; Iuris Doctor, non minus doctrina, quàm ingenio & prudentia spectabilis. *P. V. Mangionus Consultor Theologus.* *Phil. Albanus Consultor Canonista.*

Demum suum habet Sigillatorem, & nunc quidem Illustrissimum D. Iulium Rospigliosum Vtriusque Signaturæ Referendariū, & D. Papæ pro Principibus à Secretis; quem nobiles scientiarum Academiæ inter primos sibi vendicant sectatorem. Hic publicum Sacræ Pœnitentia- *Iulius Rospigliosus Sigillator.*

tentia-

tentiariæ sigillum apud se retinet, litteras Maioris Pœnitentiarij nomine expediẽdas intus, & extra, Bullas verò intus subscribit tantum post Correctorem sub sequẽti fomra.

Gratis vbique. I. Rospigliosus Sigillator.

Officiales præsentantur Summo Pont. à M. P. Hi omnes Officiales à Maiori Pœnitentiario præsentãtur Summo Pontifici, à quo admissi ad singula sua officia instituuntur, & in præmissarum electionis, & institutionis monumentum à Maiori *Recipiunt litteras patẽtes à M. P.* Pœnitentiario litteræ patentes sub sigillo cereo Pœnitentiariæ incluso in ouata capsula ex auricalco confecta, & illigata funiculo serico rubei coloris; & à Summo Pontifice litteræ in forma *A S. Pont. Breuia.* Breuis sub anulo Piscatoris vnicuiq; illorum traduntur.

In hoc sancto & integerrimo Pœnitentiariæ tribunali sex adsunt præterea ministri, videlicet, tres Procuratores, seu Secretarij, & totidem Scriptores. *Sex Ministri M. P.* *Procuratorum munus.* Ad primos spectat memorialia omnia recipere vicissim, vel, vt cõmuni vtar vocabulo, per turnũ, quæ destinatam in capsulam, & in publico loco olim Domus Domini Sigillatoris, hodie autem Illustrissimi Domini Regentis, expositam intromittuntur per illius foramen à Curialibus, cæterisque personis; & secundùm mentem Maioris Pœnitentiarij, vel Regentis, aut totius Cõgregationis conficiũt supplicationes, eisque conformes expediunt litteras in forma Breuis, vel Bullas.

Scriptorum Officium. Alij verò tres, huiusmodi supplicationes rescribunt in carta pergamena, easque postea sic rescriptas dant ipsis Procuratoribus, seu Secretarijs expediendas.

Qualitates in Procur. & Script. requisitæ. Procuratores prędicti necesse est vt in sacris Canonibus non parum versati sint, & Latino sermone multum polleant.

Scriptores verò eundem Latinum sermonem nõ ignorent, & optimè notis bullaticis scribant.

Concursus pro Procur. & Script. eligen. Vtrique ad sua munera exercenda admittuntur postquam facto præuio concursu coram DD. Regente, & Correctore, digniores fuerint reperti, iuxta reformationem Pij Papæ Quinti.

Ordo sacer in Officialibus, & Ministris M. P. requiritur. Prædicti omnes Officiales, & Ministri debent sacris esse ordinibus initiati, vel initiari intra tempus sibi à Sanctissimo præscribendum; & non solum tenentur ad Confessariorum Sigillum, verùm etiã

Non possunt casus occultos reuelare sub pœna fractionis sigilli Conf. & iuramenti.

peculiari iuramento in manibus Maioris Pœnitentiarij emisso compelluntur arcana Sacræ Pœnitētiariæ minimè reuelare, atque à nemine etiam à sponte dantibus rem aliquam percipere, præter salarium singulis ab eodem Maiori Pœnitentiario constitutum, & subministratum; vt apparet ex infrascripta Formula, sub qua vnusquisque iusiurandum præstat in manibus Maioris Pœnitentiarij, præsentibus alijs Officialibus.

Formula Iuramenti Officialium S. Pœnitentiariæ Officij.

Iuramentum Officialium, & Ministrorum M. P.

EGo N. Regens ab hac hora in antea ero fidelis, & obediens B. Petro, & Domino nostro Papæ N. eiusque successoribus canonicè intrantibus: officium meũ fideliter exercebo, & gratis; eiusque ratione nihil ab aliquibus etiam spōte oblatum, vel donatum accipiam, prẹterquam salarium mihi cōstitutum. Secreta Sacræ Pœnitentiariæ, & occultos casus, ac personas, de quibus in ea tractabitur, nunquam cuiquam extra officium reuelabo. Et ita iuro ad Sacrosancta Dei Euangelia. Sic me Deus adiuuet.

Quæ omnia à prædictis officialibus, & ministris summa religione obseruantur.

De munere Maioris Pœnitentiarij.

M. P. semel in mense conuocat officiales, & Procur. pro discutiendis casibus.

MAior Pœnitentiarius semel quolibet mense, & sæpiùs, si necessitas poscat, suos conuocat Officiales vnà cum Procuratoribus, seu Secretarijs, per Capellanum eiusdem Pœnitentiariæ; quæ cōuocatio appellatur Signatura Pœnitentiariæ, eo quod spectantibus Maiori Pœnitētiario, prædictisque Officialibus, memorialia signentur à D. Regente; illorumque interuentu grauiores casus à prædictis Procuratoribus de mandato ipsius Domini Regentis propositos discutit, & cum eorum voto gratias cōcedit, vel negat.

M. P in maiori hebdomada publice se exponit ad Pœnitentium commodum.

Præterea quolibet anno, conuocatis etiam prædictis suis officialibus, & Procuratoribus, se confert ad primarias Vrbis Basilicas post prādium: videlicet die Dominico Palmarum ad Lateranensem Basilicam Sācti Ioannis: feria

feria quarta ad Sanctæ Mariæ Maioris: quinta verò, & sexta ferijs maioris hebdomadæ, ad Diui Petri Principis Apostolorum Basilicas: ibique super eleuato solio sedens, accepta ab vniuscuiusque Basilicæ Minorum Pœnitentiariorũ Superiore, vel Decano, virga pœnitentiali, cui, qui reuerenter se tangendos submiserint, centũ dies de iniunctis sibi, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Ecclesiæ cõsueta relaxatos esse declarauit Paulus Quintus fel. rec. Calendis Aprilis, Pontificatus sui anno quinto; per aliquot horas benignissimè excipit, & audit pœnitentes ex omnibus mundi partibus cõfluentes, auditosque pro eorum casuum absolutione, & dispensatione mittit cum opportuna facultate ad Minores Pœnitẽtiarios, qui in singulis Basilicis prædictis cõmorantur: si autem rei grauitas exposcat, ad præsentes suos officiales consulendos reijcit, eorumque relinquit arbitrio, an gratia sit concedenda, nec ne. Consimili benignitate pœnitentes illicò excipiuntur à dictis officialibus, discutiuntur eorum causæ; &, si gratificandi locus sit, remittuntur ad eosdem Pœnitentiarios Minores.

Indulgentia pro virga pœnitentiali tactis.

M.P. auditis casibus mittit Pœnitentes ad Minores Pœnit.

Quæ Basilicæ habeant Pœnitentiarios Min.

Pœnitentes aliquãdo ad suos officiales remittit.

Demum ad Maiorem Pœnitentiarium spectat ter quolibet anno coram Sũmo Pontifice solemnem celebrare Missam, scilicet feria quarta Cinerum, feria sexta maioris hebdomadæ, & die Anniuersario defunctorum; nec non Minores Pœnitentiarios, id est Confessarios virgatos, qui ligneam virgã præ manibus habent, dum in prædictis Basilicis audiunt sacramentales Confessiones, superpelliceo, & stola violacea induti, constituere; præuio tamen examine super eorum idoneitate in Signatura Sacræ Pœnitantiariæ priùs facto.

M.P. ter in anno celebrat coram Sanctissimo.

Maior Pœnitentiarius sua Diplomata gratis etiam pro scriptura concedit, & in hoc fidelitas officialium, & ministrorum exactior desiderari nequit: id autem non ob metum adeo grauium pœnarum contra transgressores inflictarum per reformationem supradictam, sed ob innatam eorum pietatem.

M.P. gratis Litteras, & Breuia sua concedit.

Pro casibus occultis, & pro simplicibus absolutionibus, quæ ad Ordinarios locorum diriguntur circa publicos casus, Diplomata tradit clausa ad formam litterarum familiarium sigillo munita.

Littera M.P. pro Laicis clausa sub sigillo.

Pro casibus verò publicis,

 circa

Pro Regularibus littera patentes.

circa absolutiones, dispensationes, rehabilitationes, & similia ad Regularium fauorem, Diplomata sunt patentia cum pendenti per cordulam rubeam sigillo ex cera eiusdem coloris, incluso in capsula ouata ex stamno confecta.

Pro remissis ad suum Ord. litteræ patentes.

Idemque obseruatur cum viris Laicis, quando remittuntur per Maiorem Pœnitentiarium absoluti ad suum Ordinarium, à quo fuerunt ad Sedem Apostolicam missi pro absolutione à censuris obtinenda.

Quadrupliciter gratia emanant à M. P.

Quadrupliciter Gratiæ emanant à Maiori Pœnitentiario. I. in foro conscientiæ, & in actu Sacramentalis Cōfessionis: II. in foro conscientiæ tantùm: III. & in vtroque foro: IIII. vel simpliciter absque vllius fori expressione, prout est in litteris Remissi absoluti; & suo loco meliùs explicabimus.

Gratiæ primo modo concessæ non suffragantur in foro exteriori, seu iudiciali, & contentioso: hoc enim forum spectat ad Iudices causarum, cognitionem ciuilem & criminalem habentes, vel alteram earum tantùm, eo quod ratione sui Officij tenentur decernere causas secundùm Leges ad Reipublicæ satisfactionem, & publicā vindictam. *Couar. in c. Alma Mater. 1. part. relectionis, §. 11. num. 16.* Secundæ verò possunt in eodem foro exteriori, & debent suffragari, quia hanc ob causam earum exequutiones demādātur Ordinarijs, vt Ordinarij sunt, id est, vt publici Iudices: nec in earum Diplomatibus apponitur clausula, quòd in foro Iudiciario nullatenùs suffragetur, vt in alijs primi modi gratijs ponitur. Præterea dicitur, in foro conscientiæ tantum, id est, quoad censuram, quæ spectat ad forum animæ, cuius est solùm Iudex Deus: Nam in delictis publicis laicorum, vt sunt delicta extra censurarum casus, Maior Pœnitentiarius non se ingerit, neque suam interponit authoritatem, vt infra dicemus.

Absolutus in foro conscientiæ tolerandus in foro fori.

Demum, si quis fuit absolutus ab excommunicatione per aliquem Confessarium habentem desuper opportunam authoritatem in foro cōscientiæ, & in actu sacramentalis confessionis, non tenetur eum iudex declarare excommunicatum, & inquietare, vt benè notant *Marc. Antonius Genuēsis in sua praxi Archiepiscopatus Neapolitani, c. 27. de absoluto in foro*

con-

conscientiæ . & Nauar. de sentén. excom. cons.47. nu.4. & 5. Et ratio est, quia officium Iudicis nobile versatur circa publicam vtilitatem Reipublicæ; non autem interest Reipublicæ, vt sic absolutos inquietent, cùm iam à delicto resipuerint: ergo multò magis non debent in foro exteriori molestare eos, quos ipsimet extra sacramentalem confessionem absoluerunt in foro conscientiæ tantùm vigore Diplomatum Maioris Pœnitentiarij.

Maior Pœnitentiarius ad fauorem secularium habet authoritatem duntaxat absoluendi ac dispensandi copulatiuè in casibus occultis; absoluendi verò etiam in publicis; ad fauorem verò Regularium etiam in casibus publicis, & in vtroque foro, videlicet Pœnitentiali, & Iudiciario.

Materia authoritatis M. P. Materiæ, circa quas eius authoritas versatur, sunt dilationes, & commutationes votorum simplicium, & simplicis obligationis recitandi horas canonicas: Absolutiones à casibus & censuris reseruatis, vt supra diximus: Dispensationes super impedimentis occultis ad contrahendum, seu recontrahendum matrimonium: Dispensationes super irregularitatibus: Conualidationes titulorum: Rehabilitationes ad Beneficia, necnon ad officia & dignitates & similia, ac Dispensationes pro Regularibus transire volentibus ad strictiorem, vel laxiorem Religionem: Condonationes & Remissiones pecuniarum & fructuum malè exactorum & perceptorum; quando tamen de præiudicio certi domini non agatur.

De Stylo Officij S. Pœnitentiariæ, seu eius litterarum.

Stylus S. Pœnitentiariæ. Stylus secundùm Rhetores est structura orationis, & modus dicendi. Ad nostrum verò propositum stylus est structura Diplomatum, & litterarum in forma Breuis, quæ Officium Sacræ Pœnitentiariæ penitentibus absentibus iuxta eorũ indigentiam concedere solet, dum ad Vrbem personaliter accedere nequeunt.

Dixi *absentibus*, quia præsentibus in Curia nõ dantur, sed ipsi mittuntur absoluendi, seu dispensandi ad aliquem ex Minoribus Pœnitentiarijs cum ipsomet Memoriali subscripto à D. Regente, seu ad alium Confessorem ab eodem Maiori Pœniten-

nitentiario, seu eius Regente præscribendum. Quod intellige de casibus occultis; secus enim est de casibus publicis pro Regularibus.

Stylus facit ius. Hic autem stylus maximi faciendus est, quia facit ius. *c. licet* 5. *& c. quam graui*, 6. *de crimine falsi*; & ex eius immutatione infertur falsitas gratiç. *Panor. in dd. c. quam graui*, *& cap. licet*, *& in c. ad hæc, nu.* 2. *de sentent. excomm.* vbi & *Butrius num.* 2. Qualis verò iste stylus sit, cognoscere facillimè poterimus, si singulas Diplomatum partes, & clausulas per se expēdamus. Et primò videamus de formula Dilationis Voti Religionis.

DE FORMVLA DILATIONIS VOTI RELIGIONIS ADIMPLENDI.

Quando Maior Pœnitentiarius concedit alicui Dilationem ad Votum Religionis adimplendum, in hunc modum conficiuntur litteræ.

Formula dilationis Voti Religionis. *FR. Antonius Barberinus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis S. Honufrij. Discreto viro Confessori, Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario, per latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligend. Salutem in Domino.*

Ex parte latoris præsentium nobis oblata petitio continebat: Quòd ipse aliàs vouit Religionem ingredi. Cùm autem, sicut eadem petitio continebat, lator prædictus habeat parentes pauperes, eius opera, & auxilio egentes; idcirco pro suæ conscientiæ quiete cupit, sibi ad votum huiusmodi adimplendum dilationem per Sedem Apostolicam concedi. Quare supplicari fecit nobis humiliter, vt sibi super his de opportuno remedio prouidere dignaremur. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini Papæ curam

ram gerimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, authoritate Apostolica specialiter nobis concessa, discretioni tuæ committimus, quatenus, audita ipsius latoris sacramentali Confessione, si re diligenter discussa, parentes latoris in statu necessitatis esse, eisque aliter quàm opera & auxilio latoris, honestè subueniri non posse reperis; consideratis diligenter quæ circa statum, & continentiam latoris consideranda videris, & circa illa per opportuna monita, & consilia, ac aliàs diligenter prouiso, ne sub alienæ necessitatis prætextu in periculo propriæ salutis maneat; eundem latorem sic in sæculo, durantibus necessitatibus parentum dumtaxat, remanere posse, dummodo eisdem cum effectu prosit, & interim vitam cælibem ducat, ac aliqua Religionis, quam ingressurus esset, à te iniungenda, quotidie faciat, ad eum finem, vt ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua huiusmodi voto astringitur, prout secundum Deum ipsius animæ saluti expedire videris, in foro conscientiæ, & in ipso actu sacramentalis Confessionis tantùm, & non aliter, neque vllo alio modo declares. Ipsumque postmodum ad eiusdem voti obseruantiam, cessantibus necessitatibus parentum, teneri admoneas. Datum Romæ apud S. Petrum, &c.

Ante quàm deueniamus ad explanationem singularum partium istius formulæ, operæ pretium erit, breuiter inuestigare, quid sit Votum, & quot eius species.

Votum quid, & quot eius species. Votum est voluntaria alicuius boni, cum deliberatione, Deo facta pollicitatio. Ita *S. Thom. 2. 2. quæst. 88. artic. 1. Goffredus in sua sum. tit. de voti redempt. in principio.* In idem fere incidit descriptio allata à *Toleto in sum. lib. 4. cap. 17. de voto.* vbi dicit, quòd Votum sit deliberata promissio ex voluntatis proposito Deo facta. Et benè descriptio hæc adæquat descriptum, vt ex eius particula-

cularum declaratione apparebit. Votum obligat non solùm ex præcepto Legis Diuinæ, verùm etiam naturalis: sicut licita promissio, facta alicui cum intẽtione se obligandi, obligat. *cap. licet 6. & cap. magnæ. 7. §. cum igitur de voto.*

Quando Votum non obligat. Fallit, quando res promissa euadat illicita, vel qui vouit, fiat impotens adimplere, aut interueniat legitima authoritas Superioris dispensantis, aut irritantis. *cap. magnæ. 7. de voto. Glo. in cap. nõ est. 5. in verbo authoritate, eodem tit.* Vel conditio apposita suum non sortiatur effectum. *cap. non solùm 32. q. 8. cap. olim causam, 12 de restitutione spoliatorum. cap. verum. 4. de condit appos.*

Aduerte, quòd, quando Votum est publicum, & conditio apposita est secreta, tenetur vouens ratione scandali adimplere Votum, etiam conditione non adimpleta. *dicto cap. magnæ, & cap. ex parte 9. de conuersione coniugat. Syluester verb. Votũ 2. num. 2.*

Explicatur definit. Voti. Dicitur *voluntaria*, vt excludat coactam promissionẽ, quæ nullam inducit obligationem. *cap. 2. de ijs, quæ vi, metusque causa fiunt.*

Voluntarium quid. Nota quòd voluntarium, à voluntate dictum, importat motum, vel actum à propria inclinatione procedentem propter finem cognitũ. *argum. l. rem legatam. 18. ff. de adimen. legatis. cap. 1. 15. quæst. 1. Decius in l. velle 4. nu. 2. ff. de reg. Iuris.*

Inuoluntarium verò importat negationem voluntatis. *Syluest. verb. inuoluntarium.*

Voluntas quæ. Nota secundo, quòd voluntas est appetitus rationalis, id est, apprehensionem rationis sequens; & est in omni creatura rationali, seu intellectuali, distincta realiter ab intellectu, tam in homine, quàm in Angelis: secus est in Deo, in quo idem est voluntas, & intellectus, solùm differunt formaliter, vel secundum rationem. Huiusmodi voluntas est quodammodo medium quid inter rationem, & concupiscibilem, quia potest ab vtroque moueri; qui enim est continens, mouetur à ratione; qui autem est incontinens, mouetur à concupiscibili. Ex quibus colligitur Votum non obliga, renisi sit deliberata promissio. *cap. litteraturam. 3. cap. vidua 4. & cap. cum virũ 12. de voto. argum. cap. ratihabitationem, de reg. Iuris in 6.* Et ratio est, quia

quia Votum trahit obligationem ex intentione vouẽtis, quæ moueatur à ratione ad bonum, vt infrà dicemus: huiusmodi verò intentio nõ potest esse perfectè voluntaria, nisi perfectè intelligat, & determinet. Deus enim vult omninò voluntarium militẽ. *cap. non est* 15. *q.* 1.

Miles Dei voluntarius.

Dicitur, *alicuius boni*, vt excludat omne malum, hoc est, tam malum in se, quàm malum propter finem. Nam in malis promissis rescinde fidem, in turpi Voto muta decretum. *cap. in malis, cum sequent.* 22. *quæst.* 4. Ratio est, quia vouere illicitum, est vouere aliquid contra Deum. *Syluest. in sum. verbo votum.* 1. *num.* 4. vel contra perfectionem salutis.

Exclusio mali in voto.

Dicitur, *cum deliberatione*, id est, cum libera determinatione, & cognitione illius, quod facit. Et propterea si puer ante vsum rationis vouet, non tenet votum, *cap. cùm simus.* 14. *& cap. cùm virum.* 12. *de Regularib. & cap.* 1. *de Regular. in* 6.

Votum ante vsum rationis

Idem dicendum de ebrio, furioso, & mente capto per aliquam animi passionem, quæ impediat vsum rationis, *cap. sicut tenor* 15. *vbi Glossa, de Regularibus, argum. instit. quibus non est permissum facere testamentum, §. præterea.* Et ratio est, quia mente captus non obligatur, cùm nec consentire valeat, nec dissentire. *Panor. in cap. dudum, de conuers. coniugat. in verbo calore.*

Furiosi, & c. nullum votũ.

Idem dicendum de Religiosis, qui sunt totaliter in potestate suorum Prælatorũ per Votum solemne, & non habent aliquod tempus, in quo non possint à suis Prælatis occupari: nam isti nullum Votum absolutũ, etiam de bono supererogationis, facere possunt, quod impediat liberam potestatem Superioris. Limita tamen quo ad illas res, in quibus non habent Superiorem nisi Deum, vt sunt, v. g. Votum de non peccando; Votum de transitu ad strictiorem Religionem. *Caiet.* 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 8.

Hìc nota per transennam, cum *Toleto in sua sum. cap.* 6. *lib.* 4. in homine esse tres motus voluntatis. Primus est ita celer, vt nullo modo fit in hominis potestate illum cohibere: & hic dicitur motus primò primus, in quo nec peccatum, nec meritum.

Triplex motus volũtatis in homine.

Alter est similiter ita celer, vt homo illum ferè non possit cohibere, licet aliqua ratione possit, sed imperfectè, & non plenè. Et in hoc potest

test esse ratio meriti, vel peccati; non tamen ita plena, vt sufficiat ad peccatum mortale, sed solùm ad veniale: & hic motus vocatur secundò primus.

Tertius verò motus est, in quo est verè libertas, vt possit homo plenè aliquid velle, vel nolle: Et in hoc solet esse plenum meritum, vel peccatum mortale. Talis motus ac libertas voluntatis requiritur, vt Votum sit validum; eadem enim libertas & liberatio requiritur ad peccatum mortale, & ad Votum. *Syluest. in sum. verbo Votum* 2. *nu.*13. *Armilla*, *ver. Votum*, *num.*6.

Dicitur *promissio*, vt excludat propositum: nam si non sit promissio, non erit etiam Votum. *cap. litteraturam*, 3. *de Voto*, *& Voti redempt.*

Promissio est de aliquo, quod voluntariè fit pro alio, id est, ad fauorem alterius: nam si fiat de aliquo, quod alteri displiceat, est comminatio; si verò fit de eo, quod ei non placeat, est promissio vana. *Syluest. in sum. verb. Votum*, 1. *num.*4.

Votum ergo proprie est promissio de opere meliori, siue bono supererogationis, quod dicitur maius bonum in comparatione ab bonum, quod communiter est de necessitate salutis. *Syluest. loco citato*.

Votum etiam propriè est de re cadente sub consilio, nam impropriè, & lato modo dicitur Votum de re necessaria ad salutem. *Syluest. loc. cit. num.*5.

Demum ista promissio fieri debet Deo, vt sit Votũ; *c.*1. *de voto*, *& voti redemption. S. Thom.* 2.2. *quæst.*88. *ar.*5. *ad tertium*.

Impossibilis non est votũ. Nota hìc, quòd Votum de re impossibili nõ est Votum: vel sit impossibile tempore, quando vouetur, vel quando Votum est exequendum. Nam adueniente impossibilitate, cessat Votum: & omne aduenìens, quod impediret Votum, si adesset quando quis vouet, impedit exequutionem Voti iam facti. *Armill. verb. Votum*, *nu.* 20.

Inutilis, &c. nullum votũ. Nota secundò, quòd Votum, & iuramentum de re inutili, vana, & indifferenti, non tenet, in quantum remanet in sua indifferentia. *Sum. Armill. verb. Votum*. *num.*4. Secus est, si dirigeretur ad aliquem bonũ finem, quo cessante, cessat etiam Votum. *Armill. loc. cit.* *Inutile, &c. quid.* Inutile, vanum, & indifferens appello illud, quod neque ad honorem

norem Dei, neque ad salutem animæ ordinatur. Nam nullum opus est Deo acceptum, nisi sit virtuosum. *Syluest. verb. Votum* 1. *nu.* 4. Etiamsi ista vanitas, indifferentia, vel impedimentum non fuerint tempore facti Voti, sed solū tempore illius exequutionis. *Armilla verbo Votum num.* 20.

Quot sunt genera & species Votorum.

Votorum genera. Simplex Solemne. Duo sunt genera Votorū, videlicet Simplex, & Solemne. Votum Simplex est illud, quod consistit in sola promissione vouentis. Solemne verò, vltra talem promissionem includit externam acceptationem ex parte Dei, quæ fit per Prælatos & Superiores eius nomine. *c. porrectam.* 13. *& c. ad Apostolicam,* 16. *de Regular. & transf. ad Relig. c. vn. de Voto lib.* 6.

Subdiuiduntur huiusmodi Vota, in Personalia, & Realia. *Personale.* Personalia sunt, quæ ad personam vouentis spectant, vt castitatem, paupertatem, obedientiam, seruare, peregrinari, &c. *Reale.* Realia sunt, vt facere eleemosynam, &c.

Iterum subdiuiduntur in Cōditionale, Pœnale, & Absolutum. *Absolutum.* Votum Absolutum est, quod emittitur simpliciter, absque vlla conditione: vt, Voueo fieri Sacerdos. *Pœnale.* Pœnale est, quod fit in pœnam alicuius peccati: vt, Voueo ingredi Religionem, si ampliùs peierauero, &c. *Conditionale.* Conditionale demum est, quod fit cum conditione: vt, Voueo castitatem seruare, vel peregrinari, aut quid simile, si pristinam recuperauero valetudinem. *c. verum,* 4. *de condition. appositis. cap. vnico* 32. *q. vlt. Panorm. in c. scripturę de Voto.* Vide *c. qui studet* 1. *q.* 1.

Votum solemne & simplex quid differāt. In multis differunt inter se Votum solemne & simplex. Primò enim Votum solemne regulariter comprehendit solummodò castitatem, paupertatem, & obedientiam. *c. non dicatis* 12. *q.* 1.

Secundò, non solùm impedit matrimonium contrahendū, verùm etiam dirimit contractum, *c. consuluit* 10. *de conuers. coniugat. c. Presbyteris* 27. *dist. & c. vt lex cōtinētię* 27. *q.* 1

Tertiò, Votum solemne est quasi incommutabile, quia regulariter non solet cōmutari; vt apparet in Votis solemnibus Religiosorum, & in Voto Castitatis Sacerdotum, etiam si adsint causæ aliàs legitimæ. *c. cum ad Monasterium,* 6. *de statu Monachorum.* §. *fin.*

Vo-

Votum verò simplex generalius est, nã comprehendit Religionem, castitatem, peregrinationem, eleemosynam, & omnia alia, quæ canonicè Deo voueri possunt, id est, omnia opera virtuosa.

Secundò, Votum simplex Castitatis, Continentiæ, & Religionis, etiam si impediat matrimonium cõtrahendum, non tamen contractum regulariter dirimit. *c. 2. cùm sequen. 27. dist.*

Tertiò, Votum simplex est commutabile, quando adest causa sufficiens.

His positis deueniamus ad prædicti Diplomatis superiùs allati clausularum singularum explanationem.

Explicatio clausularũ Diplomatis M. P.

Fr. Antonius, &c.

Maior Pœnitentiarius præmittit nomen suum quando authoritatẽ subdelegat personæ inferioris conditionis, vt sunt Confessarij, Archipresbyteri, Præpositi, Abbates, Vicarij Episcoporum, Archiepiscoporum, Generales & Superiores Ordinum. Secus verò facit, cùm subdelegat Archiepiscopos, Episcopos, Cardinales, Abbates. horum enim dignitatum titulos præmittit suo nomini; illud enim dignitas iubet, hoc autẽ conuenientia exposcit.

Discreto viro, &c.

Quia Discretio est mater omnium virtutum. *Clement. Pastoralis, de sent. & re iudic. c. præsentium 1. q. 5. & c. 1. de offic. Cust. Glos. in c. Pastoralis, in verb. Discretione, de officio Iudicis delegati.* Et in corrigendo maximè necessaria. *c. ponderet. dist. 50.* Et in Confessarijs præcipuè requirenda. *c. his, qui 23. q. 4. & c. omnis 12. de pœnitent. & remiss.* Ideo Maior Pœnitentiarius ea præditos desiderat illos, quibus suam impartitur authoritatem.

Discretio in corrigendo necessaria.

Discretio deriuatur à verbo *Discerno*, quod significat, distinctè aliquid cognoscere.

Cognitio in confuso cur nõ sufficiens.

Cognitio in confuso nõ est sufficiens pro exequendis litteris Maioris Pœnitentiarij, nam in eis continentur casus reseruati, qui, sicut excedunt ordinariam Confessariorum authoritatem, ita etiam requirunt præcipuam cognitionem, & scientiam, qua discernatur Dei honor, grauitas, qualitas rei in huiusmodi Diplomatibus contentæ, supplicantis spiritualis vtilitas. Et ideo prædicta illa verba, *Discreto viro*, magna hisce nostris temporibus patiuntur difficultates,

Spi-

Spiritus enim discretionis à paucis Confessarijs excipitur, & honoratur, ac propterea vel Pœnitentiũ aures nimia suauitate demulcent, vel nimia austeritate illis onera intolerabilia imponunt, sed hoc rarò, & illud primum frequentiùs. Vtinam Confessarij essent, quales eorum tam sublime munus exposcit; profectò Pœnitentes resipiscerent, vel saltem non ita facilè recederent à regula Diuina.

Confessor à quo approbãdus.

Confessori ex approbatis, &c. Confessor, cui demandatur executio Diplomatis Maioris Pœnitentiarij, debet esse approbatus & admissus ad sacramentales confessiones audiendas ab Ordinario, non quolibet Ordinario, sed ab eo, in cuius territorio exequuturus est huiusmodi Diploma. Non autem est necesse, vt sit approbatus ab Ordinario pœnitentis. Ita declarauit *Sacra Congregatio Concilij Tridentini instãte Archiepiscopo Valentino, &c.* vt notatur in *Bullario Quaranta in verbo, Confessor,* Respõdendo, quod approbatus ab alio, quàm à Valentino Archiepiscopo in Diœcesi Valentina, nõ censetur approbatus ab Ordinario.

Confessor occulte reuocatus an possit exequi litteras M.P.

Dubitari potest, An semel approbatus, si post occultè reuocatam per Ordinarium licentiam audiendi Confessiones, valeat exequi huiusmodi Maioris Pœnitentiarij litteras.

Videtur posse, si sit huius reuocationis communis error, ex *l. Barbarius, 3. ff. de officio Pretoris.* Ratio est, quia publicus, & legitimus est titulus & illius reuocatio est occulta, *Sanchez de Matrimonio lib. 3. disputatio. 22. nu. 39. & 57.*

Alia insurgit difficultas, & non leuis, de Confessore, qui fuit approbatus ab Ordinario, ad audiendas Sacramentales Confessiones certarum personarum, videlicet, virorum duntaxat, & non mulierum, vel è contra, non tamen ob defectum scientiæ, sed ratione iuuenilis ætatis: An iste possit exequi Litteras in forma Breuis S. Pœnitentiariæ ad fauorem Mulieris, verbi gratia, obtentas, vel è contra?

Prima facie videtur quòd possit: nam iste Confessor, est approbatus ab Ordinario, & propterea de eo verificantur verba illa, *Ex approbatis.* Præterea verba simpliciter prolata, simpliciter debent intelligi: sed ista sunt sim-

B pliciter

pliciter prolata: ergo debent simpliciter intelligi, & non cum supradicta limitatione.

Confessor approbatus pro mulieribus tantum non potest exequi litteras M.P. pro viris.

His tamen non obstantibus, dicendum est, non posse exequi Litteras Maioris Pœnitentiarij, nisi ad fauorem earum personarum, ad quarum Confessiones audiendas ab Ordinario admissus fuit, *Emanuel 1. tom Summæ in secunda editione; cap. 60. conclusion. 4. Petrus de Ledesma summa Sacramentorum, de pœnitentia cap. 13. post primam concl. dubio 7. Suarez. tom. 4. de pœnitentia dispu. 27. sect. 7. num. 3. & alij.*

M.P. sequitur approbationem Ordinarii.

Ratio videtur clara, quia Maior Pœnitentiarius sequitur simpliciter approbationem Ordinarij: ergo præsupponit in exequutore suarum Litterarum eam iurisdictionem, & authoritatem, quam Ordinarius illi tradidit ad Sacramentales Confessiones audiendas: sed iurisdictio & authoritas fuit tradita cum limitatione: ergo præsupponit in dicto exequutore iurisdictionem & authoritatem cum dicta limitatione: Ergo sicut ille fuit exclusus per Ordinarium ab audiendis confessionibus mulierum, vel è conuerso; ita etiam excluditur à Maiori Pœnitentiario.

Secundò: Maior Pœnitentiarius non magis intendit dictum Confessorem habilitare & approbare, quàm fuerit habilitatus, & approbatus ab Ordinario: sed ab Ordinario fuit habilitatus & approbatus cum limitatione; ergo etiam à Maiori Pœnitentiario cum eadem limitatione habilitatur & approbatur ad exequẽdas prædictas Pœnitentiariæ Litteras. Maior patet, quia in toto prædictarum Litterarum corpore nulla reperitur clausula, ex qua dictæ approbationis ampliatio colligi possit.

Ad rationes in contrarium allatas, Primò respondetur, verba illa, *Ex approbatis*, non verificari in dicto Confessore, quia intelliguntur de Confessoribus simpliciter, & non limitatè approbatis. Nam propositiones simpliciter admissæ excludunt limitationes, & conditiones.

Verba simpliciter prolata non semper debent simpliciter intelligi.

Secundò respõdetur, quòd verba simpliciter prolata, simpliciter debent intelligi, nisi materia, de qua proferuntur, excludat illam generalitatem, & requirat specialitatem (vt est in casu nostro) vel nisi contrarium constet de intentione proferentis, vt supra probauimus.

Ma-

Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, &c. Magister secundùm *Glos. in Clemen. 2. de Magistris*, & secundum *Panormit. in cap. 1. de Magist.* dicitur quasi maior; deriuatur à verbo, *Magistro*, quod propriè significat *Gubernare, moderari*. Magister enim vocatur, secundùm *c. quia nonnullis, 4. de Magistris*, qui Artium liberalium præceptis, alijsque studiorum disciplinis hominum ingenia & animos gubernat, & moderatur, vel actualiter, vel saltem in se habet tantum virtutis, vt ad libitum semper possit officiũ huiusmodi exercere: & propterea publicũ alicuius Academiæ testimoniũ habeat de ista sua idoneitate.

Magister quis.

Doctor dicitur à *docendo*, vel docendo actualiter, vel potentialiter, vt supra de Magistro diximus.

Doctor quis.

Nomine *Magistri* venit Doctor, & è conuerso. textus in proœmio compilationis Decretalium, *l. quibus præcipua. 57. ff. de verb. signific. Panorm. in cap. 1. de loca.*

Magister & Doctor idem sunt.

Non tamen nomine *Magistri & Doctoris* venit omnis docens, sed solùm qui suscepit Magisterij & Doctoratus insignia. *Baldus in l. 1. ff. soluto matrimonio, & in l. penult. de testamen. milit.* Immo committit crimen falsi qui se venditat Magistrũ, & Doctorem, cùm non sit. *l. eos qui, 27. §. qui se. ff. ad l. Cornel. de fals.*

Non omnis docens est Magist.

Fingens se Magistrum est falsarius.

Magisterium & Doctoratus sunt dignitates. *c. quanto, 3. de Magistris.* & ibi *Panorm. Bartol. in l. fin. C. de Iudæis.* & statim ac Magister & Doctor incipit legere, habet à lege Iurisdictionem ordinariam super scholares. *Authentica, habita, §. verumtamen, ne fil. pro patr.* vbi *Glos. in ver. dedimus. Bartol. loco præcit.*

Magisterium & Doctoratus sunt dignitates.

Magister & Doctor habet iurisdictionẽ.

Nota per transennam, cum *Panorm. in cap. Clerici, nu. 3. de Iudicijs*, quòd Magister in Theologia debet præcedere Canonistæ, Canonista Doctori in Iure Ciuili, Doctor verò Ciuilis Medico.

Theologus praecedit.

Magisterij & Doctoratus dignitates, ac officium ordinauit Ecclesia ad declarationem, & defensionem Fidei Catholicæ, vt *extra de Magistris per totum titulum*, vt sciant fideles, ad quos recurrant in dubijs. *Sylu. in summ. verb. Doctor, num. 5.*

Magisterii & Doctoratus officium.

Hanc Magisterij vel Doctoratus dignitatem requirit Maior Pœnitentiarius in Cõfessoribus, qui exequuturi sunt

B 2 eius

eius Litteras & Bullas, vt patet ex ipsa inscriptione: nam Maior Pœnitentiarius in isto foro secreto gerit vices Domini Papæ, vt ipsemet in corpore suarum Bullarum expressè declarat: ac propterea, sicut Dominus Papa in foro externo suas commissiones demandat, vt par est, personis in dignitate constitutis; *cap. statutum*, 11. *de rescriptis in sexto*; ita Maior Pœnitentiarius in foro secreto demandat executionem suarum Litterarum Confessoribus ad Magisterij & Doctoratus dignitatem promotis. Agitur enim in isto foro de re grauissima, qualis est salus animarum, & propterea non vnicuique credenda, sed ijs tantùm, quorum scientia & integritas morum sit probata: quales præsupponuntur esse Magistri Graduati, & Doctores; in his enim ad graduationem obtinendam requiruntur scientia, & morũ integritas. *l. Magistro*, 8. *C. de profess. & Medicis, lib.* 10. *Clement.* 2. vbi *Glos. de Magistris*. Quæ duo præcipuè ad animarum salutem procurandam necessaria sunt; & ideò iure optimo à Maiori Pœnitentiario exigũtur in exequutore suarum Litterarum.

M. P. graduatos exposcit exequutores.

Salus Animarum non vnicuique credenda.

Ad graduationem scientia & morum integritas requiruntur.

Ex præmissis colligitur, Magistrum docentem in aliqua Vniuersitate Theologiã, vel Sacros Canones, non posse exequi Breuia, & Bullas Maioris Pœnitentiarij, nisi aliàs fuerit ad Magisterij & Doctoratus dignitatem euectus, quia impropriè dicitur Magister & Doctor, vt suprà cum *Baldo* diximus. Maior autem Pœnitentiarius vult suos exequutores talibus dignitatibus insignitos; & propterea distinguit nominãdo Theologum, Magistrum in Theologia, & Canonistam, Doctorem in Iure Canonico, prout vnaquæque professio appellat eos, quos ad suæ præeminentiæ gradum euehit.

Magister docens sine graduatione non potest exequi Breuia M. P.

De Licentiatis in his professionibus dubitari potest, an exequi valeant Maioris Pœnitẽtiarij Breuia, eo quòd Licentiati comprehenduntur sub Doctorum nomine in fauorabilibus, vt docet *Bald. in l.* 1. *§. Dotis, num.* 9. *ad finem, ff. soluto matrimonio, Felinus in proœmio Decretalium, §. Gregorius Episcopus, num.* 18. *& alij*. & nos sumus in materia fauorabili, videlicet salute animarum, & propterea dicendum videtur, quòd possint.

Licentiati æquiparantur Doctoribus.

Sed nihilominus existimo, non

Licentiati nõ possunt exequi Breuia directa ad Magistros, & Doctores.

Concessa ratione dignitatis non extẽduntur.

Licentiati qñ priuilegiis Doctorũ fruantur.

non posse Licentiatos exequi Breuia directa ad Magistros & Doctores: nam, quæ ratione dignitatis conceduntur Magistris, & Doctoribus, non extenduntur ad Licentiatos in his facultatibus; vt optime docet *Ripa in l. Centurio, nu. 18. ff. de vulgari*, asserens, communem sententiam docentem, in fauorabilibus Licentiatos nomine Doctorum comprehendi, intelligi quoad priuilegia concessa Doctoribus ratione exercitij; non autem concessa ratione dignitatis Doctoratus. *Romanus conf. 333. n. 8. & 10. Bal. in l. Athletæ, ff. de excus. tutor. & in l. penul. ff. de testam. milit.* vbi ait, Licentiatos non gaudere priuilegijs Doctorum, nec Doctores reputari; & ideò Potestatem, quæ Doctorem assessorem habere tenetur, non satisfacere afferendo Licentiatum. Quòd vero ratione dignitatis Doctoratus committantur Doctoribus, & Magistris Breuia Sacræ Pœnitentiariæ, patet tum ex rationibus superiùs allatis, tum quia sumus in re grauissima, & propterea strictè intelligenda, cùm agatur de salute animarũ, quæ non vnicuique credenda est.

Ex præmissis etiam patet, quid dicendum sit de Confessoribus ex communi errore reputatis Magistris in Theologia, vel Decretorum Doctoribus. Nam neque isti exequi possunt Diplomata Maioris Pœnitentiarij, eo quòd requisita dignitate carent: nec communis error in nostro casu suffragatur: quia tunc solùm suffragatur, vigore *l. Barbarius, ff. de Officio Prætoris*, cùm fundatur in titulo collato à Superiore conferre valente, sed nulliter collato ob impedimentum occultum. *Ita DD. communiter in d. l. Barbarius.*

Neque Confessarii reputati Magistri in Theologia, &c.

Communis error quando suffragatur.

Idem dicendum de Magistris & Doctoribus degradatis & priuatis Doctorum priuilegijs per Principem vel aliam personam id facere valentem: idemque de promotis à Doctoribus corruptis: hos enim dicit *Archidiac. in c. de quibusdam locis, dist. 37.* non gaudere Doctoratus priuilegio; *ex l. vnic. ff. de Athlet. & l. 1. vbi glos. C. de anno. Ciuil. lib. 10.* vbi dicitur, stipendia tradenda esse non pro titulis dignitatum, vel numero scholarum, sed secundùm merita.

Neque degradati.

Neque male graduati.

Religiosi autem, qui appellantur Magistri, & secundùm suarum Religionum instituta fruuntur quibusdã Magistro-

Quid de Religiosis.

rum priuilegijs, nisi in aliqua Academia promoti fuerint ad Magisterij gradum, non possunt exequi litteras Maioris Pœnitentiarij, ob easdem rationes superiùs allatas.

Confessarii Societ. IESV etiam nullo Doctoratus gradu insigniti, possunt ex Priuil. Greg. xiii.

Confessores tamen nostræ Societatis IESV, per Præpositum Generalem, vel de eius licentia per alium Superiorem eiusdem Societatis designati, & per Ordinarios locorum approbati, vel approbandi, etiamsi nullo Doctoratus gradu insigniti existant, possunt huiusmodi litteras Maioris Pœnitentiarij aperire & exequi, ex Priuilegio *Gregorij XIII. concesso die 3. Aprilis 1582.*

Idem dicendũ de Confessarijs aliarum Religionum Mendicantiũ.

Et quod dico de Confessoribus meæ Societatis, idem dicendum est de Confessoribus aliarum Religionũ Mendicantium, quæ per communicationem potiũtur hoc Priuilegio.

Ex his collige, Magistros in Theologia, & Doctores in Iure Canonico, quamuis sint indocti, attamen validè, quãtum ad hoc spectat, exequi litteras Sacræ Pœnitẽtiariæ, quia vtramque conditionem in eis desideratã habent. *Petrus de Ledesma in Summ. Sacramen. vbi de Pœnitentia c. post concl. 1. dub. vltim. Emanuel in Bulla Cruciatæ §. 9. n. 4.*

Per latorem præsentium eligendo. &c. Præfatà inscriptio quoad istam partem est clara, & non videtur indigere maiori explicatione; nam Maior Pœnitentiarius nõ remittit Oratorem ad aliquẽ certum & limitatum Confessorem, sed ei liberam concedit facultatem eligendi quẽ vult, dũmodo tamen habeat conditiones præscriptas, hoc enim important verba illa, *per latorem eligendo.*

Confessarius semel electus vigore vnius Bullæ nõ potest vigore Bullæ variari.

Remanet tamen difficultas, An Confessor semel electus vigore vnius Bullæ, possit posteà vigore eiusdẽ Bullæ inconsulto Maiori Pœnitentiario variari? &

Electio acceptata non potest variari.

Respondeo, non posse variari, si Confessor electus habeat cõditiones præscriptas, & acceptauit suam electionem, *c. cum inter Canonicos, 21. de electione. Nauar. lib. 2. cons. in 2. editione, tit. de officio delegati, cons. 8. n. 1. Praxis Neapolit. cap. 21. de dispensationibus matrimonialibus.*

Probatur primò; quia, sicut nõ potest eligi Cõfessor alius ab expresso per Maiorem Pœnitentiarium, ita neque potest variari electus vigore prædictæ Bullæ. Cõfirmatur, quia rescriptum Diplomatis hu-

Sermo simpliciter prolatus, de vnica vice intelligitur.

huiusmodi vnicam tantùm Cõfessarij electionem concedit. Sermo enim simpliciter prolatus, intelligitur de vnica vice. *l. Boues* 85. §. *hoc sermone. ff. de verb. signif.*

Secũdò probatur: quia iurisdictio delegata, est iurisdictio delegãtis, *l.* 1. §. *qui mandatũ, ff. de officio eius, cui est mand. iurisdict.* Ergo ad delegantem dumtaxat spectat illam extendere, & nõ ad partes, neque ad Iudicẽ; id enim, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri nequit. *Reg. Id quod nostrum.* 11. *ff. de Reg. Iur.*

Iurisdictio delegata non potest prorogari de persona in personam.

Tertiò: quia iurisdictio delegata non potest de persona in personam, etiam de cõsensu partiũ, prorogari. *c. P. & G. per litteras,* 40. *de officio deleg.*

Quartò probatur. Si posset fieri huiusmodi variatio, vltra casum ignorantiæ repertæ, inconsulto Maiori Pœnitentiario; multa inde inconuenientia sequerentur.

Primò enim facillimè declinaretur à Confessore prudente, docto, & discreto, ad imprudẽtem, ignauum, & indiscretum, quando per illum pensata qualitate absolutionis, dispensationis, &c. impẽdendæ, imponeretur Pœnitenti canonica satisfactio, ac legitimæ Pœnitentiæ adimplementũ: quæ vt plurimùm pœnitentibus odiosa, nimis grauia, & quasi intolerabilia videntur.

Secundò: grauitas delictorum non sentiretur, Ecclesiæ benignitas, diuinaque misericordia nõ cognoscerentur, paruipẽderetur propria salus, & aperiretur via ad grauiora delicta perpetranda, cum nõ modica animarum iactura.

Variari potest exequutoris imperiti electio.

Limita tamen, quando eligens reperit electum esse ignorantem. *l. de ætate,* 12. §. *finali, ff. de interrogat. actio. Goffred. in sum. titol. de elect. num.* 34.

Audio tamen nescio quem mihi obijcientem: Cõmissio in foro cõscientiæ facta sequitur naturam illius fori, quæ est, vt Pœnitens nõ teneatur acquiescere sententiæ vnius Confessarij, sed possit plures adire, variare; & propterea Confessor electus vigore Diplomatis Maioris Pœnitentiarij possit illo incõsulto variari.

Sed hæc obiectio facillime eliditur respondendo; Pœnitẽtem non teneri acquiescere vnius Confessarij sententiæ, sed plures posse adire, quando non est ei præscriptus, & limitatus Confessor: secùs verò est, quando à Superiore est præscriptus

Confessor, vt patet in Regularibus, quibus à Superioribus præscribi solet Confessor, cui confiteantur, & tenentur illius sententiæ acquiescere, vel à Superiore facultatē petere aliū eligendi, nec possūt per se ipsos id facere. Ita etiā Pœnitens, eligendo Cōfessorem vigore litterarum Maioris Pœnitentiarij, sibi deputat non authoritate propria, sed Maioris Pœnitentiarij nomine: ergo, inconsulto Maiore Pœnitentiario non poterit illum variare.

Huiusmodi autem commissio Maioris Pœnitentiarij sequitur naturam fori Conscientiæ, quoad sigillum & secretum, non autem quo ad libertatem variandi Confessorem: & nescio, quo fundamento dicatur, intentionem, & voluntatem Maioris Pœnitentiarij esse, vt possit ipso inconsulto fieri huiusmodi variatio, dum expresse fit commissio Confessori, & non Confessoribus per Oratorem eligeñ. &c. & ex tot annorum experientia contrarium mihi constat de mente Maioris Pœnitentiarij.

Alij insurgunt obijciendo: Sicut vigore Iubilei potest variari Confessor, ita etiam vigore Diplomatis Maioris Pœnitentiarij, cùm nulla appareat diuersitatis ratio, & vbi est eadem ratio, ibi sit eadem Iuris dispositio.

Sed respondetur, non parem esse rationem in facultate eligendi Confessorem, concessa vigore Iubilei ad generalem expiationem casuum reseruatorum, & in facultate eligendi Confessorem ad casum particularem. In primo enim casu rectè interpretatur, voluntatem & intentionem Summi Pontificis esse, vt possit Pœnitens eligere successiuè plures Confessores, ob labilem hominis memoriam, quæ difficillimè recordari potest omnium peccatorum, eorumque circumstantiarum; & ideò si vult omnimodæ Pœnitentium Conscientiæ exonerationi & quieti consulere, necesse est, vt concedat facultatem eligendi vnum vel plures Confessores successiuè, secundùm quòd redeant in memoriam Pœnitentis peccata, cùm Pœnitens non semper habeat commoditatem adeundi eundem Confessorem. Existimo tamen Pœnitentem teneri redire ad eundem Confessorem primò electum, cùm eius copiam facilè habere potest.

Disparitas inter Iubilei facult. & Breuia M. P.

In

In casu verò nostro secus est, quia casus, & circumstantiæ præsupponũtur specificata, & solùm videndum est, an preces veritati nitanrur. Et ita intelligendus est *Suarez tom. 4. in 3. part. vbi de Sacram. Pœnit. disp. 27. sect. 4. dub. 2. num. 7.*

Limitatio ad l. Boues. Non obstat limitatio, quã affert *Tiraquellus in supradicta l. Boues, limitatione, 17. num. 1. ff. de verb. signfic.* videlicet, quòd sermo simpliciter prolatus intelligatur pro prima vice, quando actus de sua natura est irreuocabilis, secùs verò, quando actus de sui natura est reuocabilis. Non obstat, inquam, quia nos etiam limitarionem admittimus, & ex ea confirmamus nostram sententiam. Nam deputatio Confessoris, licet sit de natura sua reuocabilis respectu illius, à quo fuit facta, vt suprà diximus; attamen est irreuocabilis respectu aliorum, vt supra probauimus, quia subditus non habet authoritatem mutandi quod à Superiore fit. *cap. cum inferior, 16. de Maior. & obed.* *Subditus non potest mutare, quæ facit Superior.*

De dilatione Voti, &c.

Forma huius Diplomatis, quod prę manibus habemus, exposcit à nobis, aliquid attingi de causa dilationis in genere, vt faciliùs postea subsequentia particularia intelligantur. Igitur, *De causa dilationis in genere.*

Cùm aliquis obligatus Voto illud nequeat ob aliquod impedimentum temporale adimplere, petit à S. Pœnitentiariæ Officio inducias ad Votum adimplẽdum, vel saltem declarationem super sua dilatione adimplendi Voti, vt sic futuris cõscientiæ procellis obuiare possit; & obtinet allegando impedimenti genus, atque ita, duranre impedimento, per S. Pœnitentiariæ Officium pro legitimo admisso, propter huiusmodi inducias, vel declarationem, differt tuta cõscientia Voti satisfactionem.

Nam si vouens impediatur exequi Votum impotentia facti, expectandus est donec cesset impedimentũ. *c. quod super his, 8. de Voto, & Voti redempt. cap. de cætero, 11. de sent. excomm. l. vlt. ff. de vacat. mune. Goff. in sum. tit. de Voto, & Voti redempt. in fine.* *Impedimentũ suspẽdit obligationem.*

Dixi, *temporale impedimẽtum*, quia impedimentũ perpetuum non est causa dilationis, sed commutationis Voti (istud autem perpetuũ, & temporale intelligas moraliter, & non metaphysicè) *dicto cap. quod super his, de* *Perpetuum, & temporale intelliguntur moraliter.*

Voto,

Voto, & Voti redempt.

Diplomatum M. P. partes tres, Narratiua, Dispositiua, Restrictiua.

Hic nota, Diplomata Maioris Pœnitentiarij tribus cõstare partibus, videlicet, Narratiua, hoc est facti narratione: Dispositiua, videlicet allegatione causæ, qua disponitur Maior Pœnitentiarius ad concedendam gratiam: & Restrictiua, id est, conditionibus seu limitibus, quibus conceditur gratia. Primas duas partes Orator subministrat: tertiam verò apponit Maior Pœnitentiarius, & regulatur à supradictis duabus partibus, per oratorem subministratis: & propterea illæ debent cõtinere in se veritatem, aliàs ista tertia non suffragatur: nam debent preces veritate niti, si cupis gratiam obtinere. *cap. super litteris, 20. cap. ex parte, 12. de rescriptis. l. & si legibus, 5. C. si contra ius, vel vtil. publ. fuer. aliq. post. vel impetr. & l. vniuersa, 7. C. de diuersis rescriptis.* Et ista est causa, ob quam dicta tertia pars in omnibus Diplomatibus semper incipit eisdem verbis, *Quatenus si est ita.*

Validitas gratiæ à veritate precum pendet.

De primis duabus partibus ne verbum quidem faciemus, cùm consistant in mero facto, factum autem, & causa veniant examinãda ab ijs, quibus huiusmodi exequutio Diplomatum demandatur.

De tertia verò parte infra, Deo adiuuante, non pauca ad Dei gloriam, animarumque salutẽ dicemus. Sed primò videamus, an huiusmodi Confessores delegati sint meri exequutores, vel etiam Iudices.

An Confessores delegati sint meri executores.

Confessores delegati à Maiori Pœnitentiario, vel à S. Pœnitẽtiariæ Officio, non sunt meri Executores, sed Iudices, quibus committitur cognoscere merita causæ in Diplomate expressæ, & secundùm illa procedere ad executionem, ac propterea additur clausula, *Quatenus si est ita*; vel *Quatenus si ita esse repereris:* hæc enim clausula tradit iurisdictionem. *cap. 2. & cap. ex parte, il 2. c. constitutus, 26. de rescriptis. Bart. in l. à Diuo Pio, num. 4. ff. de re iudicata, Goffred. in sum. tit. de rescriptis, num. 54.*

Cõfessores delegati nõ sunt meri executores.

Probatur primò.

Clausula quatenus, &c. tradit iurisdictionem.

Ac propterea obligat delegatum ad inquirendum, an preces porrectæ cõtineant in se veritatem, nec ne; nam cùm Maior Pœnitentiarius non cognoscat per seipsum de meritis causarum, neque

gratias

gratias simpliciter, vel in forma gratiosa, id est absque meritis, concedat, sed conditionaliter & in forma commissaria, quatenus sibi allegata sint vera; idcirco, suam authoritatem delegando, præscribit formam procedendi in casu, quo preces sint veræ, & non falsæ.

Confessor delegatus cognoscit merita causæ.

Hinc necessariò sequitur, Confessorem delegatum debere primò cognoscere merita causæ, hoc est si vera sint, quæ narrantur in litteris, & deinde illas exequi, aliàs dicta clausula esset frustratoria, & nihil operaretur, si delegatus non attenderet, & seruaret fines mandati, vt tenetur seruare & attendere. *dicto cap. super quæstionum, §. fin. de Officio delegati, cap. cum dilecta, 22. de rescriptis, l. si quis pro eo 5. & l. diligenter, 46. ff. mandati.*

Fines mădati seruandi.

Probatur secundò.

Secundò, quòd Confessor delegatus nō sit merus executor, probatur ex adiectiuo, quod præcedit, videlicet, *Discreto viro*, quòd adiectiuum deriuatur à verbo *discerno*, quod includit in se cognitionem causæ, hoc est cognoscere differentiam vnius ab alio.

Ver. discerno, importat cognitionem causæ.

Merus exequutor qui sit

Tertiò probatur, quia ille dicitur merus exequutor, qui deputatur post negotium plenè discussum, ita vt illi non restet nisi actualis exequutio. *l. si vt proponis, 6. & l. exequutorem, 8. C. de exequut. rei iudic. Bart. in l. à Diuo Pio, num. 10. ff. de re iudic. Panor. in cap. vlt. de præsumptionibus, num. 12.* Confessori autem deputato per Diploma Maioris Pœnitentiarij non cōmittitur negotium plenè discussum, sed discutiendum, vt ex prædictis constat. Ergo dictus Confessor delegatus non est merus exequutor.

Confessor deputatus à M. P. cur dicitur exequutor mistus.

Ex præmissis collige, Cōfessorem deputatum per Diploma Maioris Pœnitentiarij dici exequutorem mistum, quia datur ad consulendum saluti, & spirituali commodo Oratoris in Diplomate descripti, negotio nondum plenè discusso, & ideò potest & debet assumere partem Iudicis. *Ita Panor. loc. cit.*

Receptio Breuis M. P. sine illius exequutione nihil prodest.

Secundò collige, non sufficere, vt quis Diploma, seu Bullā recipiat, in qua cōcedit Papa, vel Maior Pœnitentiarius, Confessorē posse vota Oratoris cōmutare, vel Oratorē absoluere, habilitare, vel cum eo dispensare, &c. sed necesse est, vt exequutioni demādentur descripta in Diplomate, vel Bulla. Aliud enim est, cōmittere facultatē commutādi, absoluendi, &c. aliud verò commutare, absoluere, &c.

cap.

cap. relatum. 19. *& cap. gratum.* 20. *de Officio delegati, cap. si cui nulla.* 36. *de præb. in* 6. *cap. si super gratiam:* 9. *de Offic. deleg. in* 6.

Quatenus, audita Sacramentali Confessione, &c.

Dictio, quatenus, importat conditionem. Dictio, *quatenus*, importat conditionem, *vt docet Bart. in l.* 1. *num.* 20. *ff. de conditionibus, & demonstration. Rebuff. in l. littus publicum, col.* 2. *vers. quatenus fuit, ff. de verb. signif. Rota part.* 1. *diuersorũ, decis.* 381. Importat etiã limitationẽ. *l. si quis crediderit.* 40. *vbi Glos. in verb. quatenus. ff. de pactis, cap. placet.* 12. §. *super quo, de conuers. coniugatorum. Decius cons.* 385. *nu.* 2. *& in l. quatenus.* 25. *in princ. & ibi Cagnolus, num.* 1. *ff. de reg. iur. Rebuff. in l. locum, col.* 10. *vers. Quatenus, ff. de verb. obligat.* Propterea limitat facultatem, quæ Confessoribus subdelegatur, vt infra dicemus.

Limitat facultatem sub delegatam.

Inducit modum, & formam. Hæc igitur dictio, siue sit conditionalis, siue limitatiua, inducit modum, & formam, sub quibus Maior Pœnitentiarius vult Confessorem à se delegatum exequi suas Bullas, & litteras. Determinat enim vt Confessor prius audiat Sacramentalem Oratoris Confessionem, & deinde exequutioni demandet gratiam in litteris sibi cõmissam.

Facultas cõcessa Confessarijs per Bullas M. P. non est libera, sed limitata. Aduerte, facultatem Confessoribus per Breuia, seu Bullas Maioris Pœnitentiarij cõcessam, non esse liberam, vt possit Cõfessor ea simpliciter, & ad suum libitum, hoc est, in Confessione Sacramentali, vel extra illam vti: sed est ita limitata, vt non nisi in Sacramentali Cõfessione illam exercere valeat, & si secus faciat, nulliter facit, nam excedit fines mandati: qui fines diligenter sunt obseruandi etiam in minimis, præsertim quando sumus in substantialibus. *l. diligenter.* 5. *vbi communiter DD. ff. mandati.* Quę conclusio.

Fines mandati etiam in minimis obseruandi.

Probatur primò. Primò probatur: Quando potestas alicui tribuitur respectu certæ qualitatis, quicquid extra illam fiat, non valet. Ita *Decius in l. factum à Iudice,* 132. *ff. de Regul. Iur. num.* 1. *Felinus in cap. cum ordinẽ, de rescriptis:* Sed potestas in Breuibus Maioris Pœnitentiarij concessa Confessoribus, est respectu Sacramentalis Confessionis, vt patet ex ipsis verbis Breuium: ergo quicquid agitur extra Sacramentalem Confessionẽ nulliter à prędictis Confessoribus agitur: ergo Confessores non possunt dicta facultate

te

te vti extra sacramentalem confessionem.

Secundò probatur: Sicut Iudex non potest exercere suam iurisdictionem extra suum territorium. *l. fin. vbi DD. ff. de Iurisdict. &c.* ita neque Cōfessor delegatus potest exercere suā iurisdictionem delegatam extra sacramentalem confessionem, quæ est Confessoris præscriptum, & limitatum territorium: ergo debet prius ingredi suum territorium, hoc est audire sacramētalem Oratoris confessionem, & postea iurisdictionem sibi delegatā exercere.

Iudex extra suum territorium non potest exercere iurisdictionē.

Confessoris territorium.

Tertiò probatur: Iudex officium suum excedens non agit vt Iudex, sed vt priuatus, & ideò illi impunè non paretur. Ita *Glossa in l. non videtur, 128. §. qui iussa. ff. de regul. iur.* Ita Confessor excedens suum officium, hoc est, non audita Sacramentali Confessione, non agit vt Confessor, sed tamquam vnus de populo, vt ex se patet. Nam Confessor est Confessor correlatiuè ad sacramentalem confessionem: & sicut vnus de populo nulliter, & inualidè exequeretur Breuia Maioris Pœnitentiarij; ita etiam Confessor non præmissa sacramentali confessione Oratoris nulliter exequitur.

Iudici excedenti suum officium impunè non paretur.

Quartò: ista clausula, *audita Sacramentali Confessione*, importat conditionem, sine qua non fuisset cōcessa huiusmodi facultas Confessori, vt patet ex quotidiano, & nunquam interpolato stylo Sacræ Pœnitentiariæ Officij in materijs, quæ Confessoribus cōmittuntur: immo, si petatur per Cōfessores à Maiori Pœnitentiario aliqua facultas exercenda extra confessionē, solet continuò denegari: ergo, non præmissa sacramentali cōfessione, censetur huiusmodi facultas suspensa; & quicquid illius vigore operatur, inualidum est, & nullum.

Probatur quartò.

Facultas Confessariis extra Sacr. Confess. non solet concedi.

Quintò: ex intentione cōcedentis sunt regulanda gratiæ, & mandata, & non vlterius extendenda. *cap. mandatum, 38. de rescript. c. vlt. de procurat. cap. cùm causam, 36. de præben.* Sed intentio Maioris Pœnitentiarij, seu Sacræ Pœnitentiariæ Officij est, vt omninò audiatur priùs Sacramentalis Confessio Oratoris, vt supra diximus: ergo necessariò præmittēda est Sacramentalis Confessio: ergo non intelligitur concessa facultas commutandi Vota, absoluendi, dispensandi, &c. nisi

Probatur quintò.

Gratia, & mandata ex intentione cōcedentis regulanda.

nisi post sacramentalem confessionem auditam.

Ex præmissis collige, quòd, si prædicta clausula obligat Confessorem electum ad Sacramentalem Confessionem eligentis audiendam; obligat etiam eligentem ad cõfitendum sacramentaliter sua peccata Confessori electo, si vult gratiam sibi suffragari. In correlatiuis enim, quod est dispositum in vno, censetur etiam dispositum in alio. *l. fin. vbi Bart. C. de ind. viduit. tollen. l. fin. ff. de acceptil. vbi etiam Bart., l. 1. vbi idem Bartol. C. de Cupressis, lib. 11.* Confessor autem electus, & Orator eligens in isto casu sunt inuicem correlatiui.

Eligens Confessarium tenetur sacramẽtaliter cõfiteri si vult gratiam sibi suffragari.

Nota ridiculam ineptiam nonnullius, qui existimauit bonum esse ad effugiendam obligationem istius sacramẽtalis confessionis faciendæ, eligere aliquem ex Confessoribus, cui aliàs sacramentaliter confessus sit: hoc enim casu non est necesse iterùm sacramentaliter cõfiteri: sed satis est ad satisfaciendũ obligationi in Diplomate Maioris Pœnitentiari præscriptæ, aliàs dicto Confessori confessum fuisse. Quæ existimatio, quàm ridicula sit, apertè patet: quia Maior Pœnitentiarius imponit obligationem audiendi sacramentalem cõfessionem Oratoris Confessori electo, id est, post sui electionem factam, non autem ante electionem faciendam, quãdo Maior Pœnitentiarius non habebat causam, immo nec iurisdictionem imponendi talem obligationem.

Nota ridiculam ineptiam

Posito igitur, quòd præmittenda sit sacramentalis confessio Oratoris; insurgit ex præmisis difficultas non leuis, An scilicet Orator recipiat validè dilationem, commutationem Votorum, absolutionem à censuris, dispensationem super irregularitate, rehabilitationem ad beneficia, &c. quando præmittit quidem Confessionem peccatorum suorum, sed nullam & inualidam; vel ob defectum integritatis, attritionis, &c. Et dicendum videtur, gratias huiusmodi non suffragari. Nam præsupponunt Oratorem necessario dispositũ per sacramentalem confessionẽ, vt supra dictum fuit: prædicta verò confessio non est sacramentalis, sed sacrilega: ergo per eam non fuit dispositus Orator ad recipiendum prædictas gratias, ergo eas non recipit.

Prima sentẽtia, si confessio sit nulla, & inualida, gratia non suffragatur. Probatur primò.

Secundò probatur: gratiæ huiusmodi exequutiones cõmit-

Probatur secundò.

mittuntur Confessori, vt Iudici in foro interno: sed Cõfessor non est Iudex in foro interno, nisi audita sacramẽtali confessione: ergo non potest exequi, & concedere dictas gratias, nisi audita sacramentali confessione: ergo neque Orator illas recipiet, nisi facta sacramentali confessione.

Cõtrariã sententia verior quod suffragetur.

Cõtrariam autem sententiam veriorem esse puto, videlicet istas gratias suffragari, etiam non præmissa sacramentali confessione valida, sed sacrilega. Et moueor primò ad hoc dicendum:

Probatur primò.

Quia nullo iure præscribitur, dilationem, cõmutationem, &c. fieri in Sacramento Confessionis, cùm non sint materia necessariæ sacramenti Pœnitentiæ. *Sanchez lib.4.cap.54. num.17. Suarez lib.6.cap.16. de Voto, num.4. verſ. hac ergo. Henriquez lib.7. de Indulgentijs, cap.30.n.7. & alij.*

Probatur secundò.

Secundò: quia sumus in materijs fauorabilibus, & de suo iure non habentibus necessariam connexionem cum sacramentali confessione, & propterea non sequitur necessario, ob inualiditatẽ confessionis etiam gratias, quæ eam nõ necessario subsequũtur, esse inualidas, dummodo reliqua valida subsistant, & causæ allegatæ sint veræ, & non fictæ.

Probatur tertiò.

Tertiò: Confessor in hoc casu adimpleuit omnia requisita ex parte sua pro legitime & canonicè administranda authoritate sibi in Diplomate demandata, vt præsupponitur. Ergo ex parte sua valide concedit dilationem, cõmutationem, dispẽsationem, &c. Pœnitens autem per sacrilegam confessionem non redditur incapax recipiendi ea beneficia, quæ de sui natura esse possunt sine sacramentali confessione, immo cum sacrilega confessione: ergo valide recipit huiusmodi dilationes, commutationes, &c.

Probatur quarto.

In dubiis benigna interpretatio.

Quartò: in dubijs benigna fieri debet interpretatio. *cap. estote, 2. de reg. iur.* Et cùm in Diplomatibus Maioris Pœnitẽtiarij nõ apponatur clausula expressa, quod si confessio non sit valida, etiam gratia in ea contenta sit inualida, & non suffragetur; dubium remanet, & consequenter recipit benignam interpretationem.

Probatur quintò.

Pœna nullitatis non subintelligitur, nisi exprimatur.

Quintò: quãdo Sacra Pœnitentiaria intendit iubere, & præscribere aliquid obseruãdum in exequutione suarum litterarum sub pœna nullitatis, id expresse apponit in

Di-

Diplomatibus, vt videre est in dispẽsationibus matrimonialibus, super defectu natalium, & in absolutionibus ab hæresi, & similibus, &c. ergo quando nõ apponit, nõ debet intelligi huiusmodi pœna.

Probatur sextò. *Ablatiuus absolutus importat conditionem.*

Sextò: licet dicatur (*audita Sacramentali Confessione*) & ablatiuus absolutus importet conditionem sine qua non. *l. à testatore, 108. ff. de condit. & demonstrationibus.* Attamen ista conditio cadit primario, & directò super absolutiones à peccatis, quæ de iure diuino exigũt sacramẽtalem confessionem, & propterea in illis absolutionibus importat inualiditatem, quãdo inualida est Confessio; secundò verò, & indirectè cadit super absolutiones à censuris, commutationes, dispẽsationes, &c. Et propterea non præsumenda sunt inualida, nec inualidantur ad inualiditatẽ confessionis, cùm nullo iure petant sacramentalem cõfessionem. Satis est vt aliquo modo præcedens confessio habeat speciem sacramentalis confessionis.

Confirmatur.

Confirmatur ex ipsiusmet Diplomatis verbis. In illis enim immediatè post verba (*dilationem concedas, vel dispensando commutes, vel dispenses, &c.*) subiungitur (*in foro conscientiæ,*) & deinde (*in actu Sacramentalis Confessionis*) hoc est in foro conscientiæ, commutationes, dispensationes, &c. Absolutiones verò à peccatis in actu sacramentalis confessionis. Nam secundùm DD. differunt inter se forum Cõscientiæ, & forum Pœnitentiæ: hoc enim est solum forum Sacramentale, illud autem est medium quid inter forum exterius, & forum Sacramentale: & propterea aliud importat conscientiæ forum, & aliud pœnitentiæ furum. *Sanchez de matrim. lib. 8. disput. 34. num. 29. Præpos. in cap. præterea il 2. num. 5. de sponsalibus. Rodericus quæst. regul. to. 1. quæst. 61. art. 10.* dicit, facultatem absoluendi in foro pœnitentiæ intelligi intra cõfessionem; secùs verò de facultate concessa absoluendi in foro conscientiæ. *Nauar. lib. 5. consil. in 2. edit. titul. de priuilegiis, consil. 11. num. 2.* ait, absoluere in solo foro conscientiæ non importare, vt absolutio fiat in foro pœnitentiæ, sed solùm vt nullatenus pro foro externo prosit: & alij pro vt suo loco.

Forum conscientiæ, & forum pœnitentiæ nõ sunt idem.

Probatur septimò. *Validitati actuum iura maximè fauent.*

Septimo: quando validitas alicuius actus potest saluari aliquo modo, debet saluari, eo quòd iura maximè fa-

fauent validitati actus, & in dubio illum reputant validũ. *c. Abbate*, 25. §. *contra quod, de verb. signif. l. quoties*, 13. *ff. de rebus dubiis*, *l. quoties*, 80. *ff. de verb. obligat. Dyn. in regula decet. in fin. de regul. iur. in 6. Bald. in addit. ad Ioan. Andr. & in l. generaliter, nu.* 3. *C. de Episcopis, & Clericis.* Sed, posita inualiditate confessionis, potest saluari validitas commutationum, dispensationum, &c. ex eo quòd non habeant de sui natura necessariã connexionem cum sacramentali cõfessione, & pluries fiant non præmissa sacramentali cõfessione ab Episcopo, alijsque locorum Ordinarijs, iuxta facultates sibi à Concilio Tridentino concessas, *sess.* 24. *de refor. cap.* 6. ac etiam vigore Diplomatum S. P. officij sibi demandatorum in dies: nec interpretanda est aliter intentio S. P. cuius voluntas præsumenda est conformis intentioni iurium. *l. ex facto*, 43. *in principio, vbi Bald. statim in principio, ff. de vulgari, &c.*

Intẽtio S. P. præsumitur conformis intẽtioni iuriũ.

Non obstat, quòd clausula in quacunque dispositionis parte posita, siue in principio siue in medio, siue in fine, semper referatur ad omnia contenta in illa dispositione. *cap. secundo requiris*, 41. *de appell. vbi id communiter notant DD.* Nam hæc regula intelligenda est, quando omnium præcedentium & subsequentium eadem est ratio. *Menoch. de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 181. *num.* 4. *Nauar. lib.* 5. *consil. tit. de Simonia. consil.* 92. *nu.* 4.

Clausul. in quacunque dispositionis, &c. quando refertur ad omnia in dispositione cõtenta.

At non est eadem ratio in casu nostro. Nam absolutiones à peccatis Iure diuino exigunt sacramentalem confessionem: cõmutationes verò votorum, dispensationes, &c. nullo Iure illam petunt, nec aliquam connexionem necessariam cum illa habent. *Sanch. de matrim. lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 30. *& Suarez lib.* 6. *de voto, cap.* 16. *num.* 4. *vers. hac ergo. Henriq. lib.* 7. *de indulg. cap.* 3. *num.* 7.

Nec minus obstat, quòd huiusmodi cõmutationes, dispensationes, &c. committantur Confessoribus, quorum officium proprium est audire sacramentales confessiones. Nam ideò committuntur Cõfessoribus, quia ferè semper habẽt annexum aliquod peccatum, cuius absolutio alteri à Cõfessore committi nequit.

Quare cõmutationes, dispensationes, &c. committantur Confessoribus.

Prima ratio.

Secundò: vt sic pœnitentes inducantur ad priùs se reconciliandum Deo, à quo mediante S. P. gratias huiusmodi commutationum, dispensationum, &c. recipiunt.

Secũda ratio.

Tertiò, vt pœnitentes maiori cum fiducia suam turpi-

Tertia ratio.

tudinem detegere possint.

Quartò, vt Confessores teneantur idem secretum seruare de peccatis, ac de commutationibus, dispensationibus, &c. earumque causis.

Quintò, vt pœnitentes per sacramentalem confessionem dispositi ad non mētiendum, cum animi candore sua desideria propalent, & causas pro gratijs huiusmodi obtinendis allegatas prout in se sunt, absque fuco, & mendacio exponant, atque ita validè commutationes, dispensationes, &c. recipiant.

Latoris, &c. Hæc particula denotat, huiusmodi gratiam in forma commissaria fuisse concessā ad preces indigentis, non autem ad petitionem alterius, qui pro ea obtinenda institit, inscio prorsus indigente: ac propterea existimo, extraneum non posse licitè petere absolutiones, dispensationes, &c. ad fauorem Francisci eo inscio.

Opinio Autoris, quod extraneus non possit licitè petere absolutiones, dispensationes, &c. ad fauorem N. eo inscio.

Probatur primò.

Et moueor primò, quia preces debent veritate niti, & præcipuè in rebus substantialibus: quomodo preces veritate niterentur, si orator non esset verè orator, sed supposititius orator, id est falsus, cum non ipse oraret, hoc est, peteret gratiam, sed alius, eo prorsùs inscio?

Probatur secundò.

Secundò: quia Sedes Apostolica non admittit supplicationes, quæ non fiunt de consensu illius, pro quo supplicatur. *cap. innotuit,* 20. §. *fin. de elect.* ergo neque Maior Pœnitentiarius, qui Sedis Apostolicæ vices gerit.

Probatur tertiò.

Tertiò: daretur occasio mercimonij super litteris Maioris Pœnitentiarij, cùm vnusquisque ad libitum posset sibi fingere casus, & diuersa desuper Breuia cōgerere de rebus communiter contingentibus, illaque postea magno recepto pretio egentibus tradere, seu potiùs vendere: quod tamen totis viribus impediendum est. *argum. cap. nonnulli,* 28. §. *sunt & alij, de rescript. vbi glossa,* & omninò repellendum à sancto, & immaculato S. P. Officio.

Probatur quartò.

Quartò: istæ gratiæ pendent à mente, & voluntate concedentis. *cap. mandatum,* 38. *de rescriptis, cap. cùm causam,* 36. *de praben. cap. vlt. de Procurat.* Mens autem M. P. & S. P. est, illas solùm petentibus concedere, vt ex ipsismet verbis Diplomatum patet: & mihi clarissimè constat experiētia annorum quatuordecim, quibus munus Procuratoris in S. P. officio exercui. Immo bene recordor, quemdam Solicitatorem grauibus minis redargutum, eiusque

quàm-

quàmplurima Memorialia à me retenta & lacerata, de mandato Illustrissimi D. Regentis, ob solam, sed probabilem suspicionem, quòd illa non fuissent confecta, & porrecta de egentium consensu, & scientia.

Probatur quintò. Quintò: quando tacetur aliquid, quo expresso, gratia non fuisset concessa, vel non ita facilè, ipsa gratia redditur vitiosa. & inualida. *cap. postulasti*, 27. *vbi Hostiensis de rescriptis. Panor. in cap. dudum, de præsumptionibus, n.1 Speculator de rescripti præsent.* §. *ratione autem impetrantis, vers. sed vbi scribitur pro scholari, nu.*14. Sed si in supplici libello S.P. porrecto fuisset expressum, quòd pro indigente inscio supplicaretur, gratia non fuisset concessa, vel non ita facilè: ergo quando tacetur, quod pro oratore inscio supplicatur, gratia est vitiosa, & inualida.

Limitatio. Limita in personis coniunctis, quæ, sicut possunt absque mãdato reportare rescripta ad fauorem suorum coniunctorum circa bona, & commoda temporalia. *cap. nonnulli*, 28. §. *fin. vbi Panorm. num.* 10. *& Innocent. de rescript. l. sed & hæ*, 35. *ff. de Procuratoribus:* Ita etiam possunt impetrare commutationes votorum, absolutiones, dispensationes, & similia pro sibi coniunctis. Ratio paritatis videtur clara. *Probatur à pari.* Nam, si in materia contentiosa permittitur à Legibus, & sacris Canonibus, vt coniunctus possit agere pro sibi coniuncto, ob præsumptam inter eos mutuam affectionem: ergo multò magis videntur secũdum easdem Leges & sacros Canones admitti posse coniuncti, vt agant pro coniunctis in materia non contentiosa, sed maximè fauorabili, qualis est salus animæ, & spirituale cõmodum sibi coniunctæ personæ. *Coniunctus potest agere pro sibi coniuncto.*

Quinam veniant nomine coniunctarum personarum, Doctores diuersimodè loquũtur. *Cõiuncti quinam dicãtur.* Nàm aliqui dicunt, vt refert *Innocent. in dicto cap. nonnulli, de rescriptis*, nomine coniunctæ personæ venire omnes consanguineos per lineam masculinam, & femininam, qui admitterentur ad successionem ab intestato. *Sententia diuersorum.* Et argumentantur ex *d. l. sed & hæ, ff. de Procurat.* Si enim inquiunt, ex dicta l. nomine cõiunctorum admittuntur affines sine gradus limitatione: ergo multò magis admitti debent consanguinei, qui nobis magis sunt coniuncti, quàm affines. *Bart. in d. l. sed & hæ.*

Alij tenent, nomine coniunctarum personarum venire omnes consanguineos, & affines, ascendentes, & descendentes, in infinitum, per *l. liberorum*, 220. *ff. de verb. signif.* & in collateralibus solùm venire fratres, & sorores: quia de fratribus solùm cauetur *in d. l. sed & hæ*, atque ita affines collaterales non venire nomine coniunctæ personæ.

Alij afferunt, per Curiam non admitti consanguineos, nisi ad tertium gradum: alij, vsque ad quartum: alij existimant, nomine coniunctæ personæ venire amicos non leui amicitia coniunctos. *Bartol. in l. non solùm*, 39. §. *qui alieno, ff. de Procurat. num.* 1. Nam illud, quod disponitur inter coniunctos ratione sanguinis; habet etiam locum inter amicos coniunctos magna amicitia. *glossa in cap. requisisti*, 15. *verbo, præsumitur, de testam.* Vide *Iasonem in l. exigendi, col.* 2. *C. de procuratoribus*.

Amici veniūt nomine coniunctæ personæ.

Quoad nostrum propositū credo, gratias Sacræ Pœnitētiariæ obtentas à consanguineis, & affinibus vsque ad quartum gradum, suffragari indigentibus, etiamsi absque eorum mandato, & scientia fuerint obtentæ. Nam in istis regulariter præsupponitur affectio, & non mercimonium atque auiditas lucri. *argum. Auth. an mater, vel auia, C. de excusat. tutor.*

Sententia Autoris.

Probatur.

Idemque existimo dicendum de gratijs obtentis ab indigentium Confessarijs, vel amicis non leui amore cōiunctis, ob rationes superiùs allatas. Vide *Sanch. de matrim. lib.* 3. *disp.* 36. *& lib.* 8. *disp.* 26.

Ampliatio.

In summa, quando abest mercimonium, & auaritia, existimo à quolibet posse impetrari huiusmodi gratias. Vnicuique enim Deus mādauit de proximo suo. *Eccles.* 17.

Si re diligenter discussa, &c. Per hanc clausulam mādat Maior Pœnitentiarius fieri à Confessario diligentem, non autem superficialem inquisitionem, ac inuestigationem rationum, quas orator inducit pro obtinenda declaratione, seu dilatione voti non adimplendi: illasque ad iustum suum pondus perpendi. Hoc enim important illud Supinum verbi, *Discutio*, quod est, in diuersas partes quatio, & aduerbium illud, *Diligenter*.

Hæc clausula facit commissionem conditionalem. Dictio enim, *Si*, importat conditionem. *l. si quis centum*, 24. *ff. si certum petatur. l.* 1. *&* 2. *ff. de*

Dictio, Si, importat conditionem.

de condit. & demonstrat. l. 1. *cum sequentibus, C. de condit. insertis*. §. *ex conditionali, institut. de verb. oblig., ff. & C. de condit. & demonstrat. per totum. Bart. in l.* 1. *ff. de condit. & demonst. n.* 3. *in l. si decem cùm petiero, n.* 4. *ff. de verb. oblig. Parisius cons.* 18 *n.* 1. *lib.* 2. *Bald. consil.* 150. *n.* 7. *lib.* 5. *Alex. consil.* 127. *n.* 2. & 7. *lib.* 7. *Socinus iunior consil.* 46. *nu.* 23. *vol.* 4. Idemque importat ablatiuus absolutus. *l. à testatore,* 108. *ff. de condit. & demonst.* Ergo, cùm dicta clausula constet ex dictione, *Si*, & ablatiuo absoluto; dubitari non potest, quin faciat conditionalem commissionē: & ideò necessariò præmittēda est discussio rationum allatarum pro obtinenda dilatione, &c. Et si non præmittatur, existimo nulliter reliqua agi.

Pro maiori intelligentia, sciendum est, conditionem esse actus, vel contractus suspensionē ex euentu incerto futuro, rei apposito: in quem euentum, eius dispositionis facta est collatio. *l. itaque,* 39. *ff. si. si certum petatur. Syluest. verbo conditio, num.* 1. *Glossa in rubr. ff. de condit. & demonstrat.* definit, quòd sit suspensio legati, &c. cuius de futuro defectus, vel confirmatio pendet. *Bart.* verò *in l.* 1. *num.* 1. *ff. de condit. & demonstrat.* asserit, quòd sit quidam futurus euentus, in quem dispositio suspenditur: & intelligitur de euentu in facto, vel in iure. *l. multùm,* 21. *ff. de condit. & demonst.* Siue conditionis assertiuæ, siue negatiuæ. *l. in facto,* 49. *ff. de condit. & demonst.*

Cōditio quid sit.

Dicitur, *de futuro*, nam de præterito, vel de præsenti propriè non dicitur conditio. *Bart. loc. cit. num.* 1. Et ratio est, quia præteritum, vel præsens non suspendit. *l. cùm ad præsens,* 37. & *l. itaque,* 39. *ff. si certum petatur:* siue incertitudo sit respectu rei, siue dici. *Syluester loco citato*.

Conditio non est de præterito, vel de præsenti.

Præteritum, vel præsens nō suspendit.

Prædictæ descriptiones coincidunt in vnum, & sunt claræ, & ideò non indigent maiori explicatione.

Dictiones verò, quæ importāt conditionem, sunt, *Si*, vt supra diximus, dictio, *Cùm* aduerbialiter posita, facit conditionem. *l. huiusmodi,* 64. *l. quodcumque,* 45. §. *finali, ff. de verb. obligat. l. qui promisit,* 48. *ff. de condit. indeb. Bart. in l.* 1. *num.* 8. *ff. de condit. & demonstrat. Bald. in l. ex his, C. quando dies leg. ced. Alex. in dicta l. quodcumque,* §. *finali.*

Dictiones importantes conditionem.

Sed non semper hæc dictio importat conditionem. Vide

*Bart.loc.cit.num.*8. *& in l.*1.*&* 2. *num.* 3.*ff. de peculio legato*. *Castrens.conf.*377.*nu.*1.*par.*1. habet enim vim copulæ,quādo est præpositio. *l. illi cum illo*, 40.*ff.de vsufr.legat. Bart. loc.cit.*

Natura enim huius dictionis est copulare accessoriè.*dd. l.*1. *&* 2. *Rota par.*1.*diuersorum decis.*709. *num.*9.

Nec facit conditionem, quādo est dictio coniunctiua, & apponitur verbo præsentis, vel præteriti temporis: quia stat causatiuè, & idem est, ac Quia: vel aduersatiuè, pro, Quamuis. *Bart. loc.cit.*

Dictio, *Nisi*, *l.* 2. *ff. de in diem addiction.*

Alioquin, hæc dictio inducit conditionem contrariam præcedenti dispositioni. *l. si. finita*, 13. *§. ex hoc edicto*, *ff. de damno infecto*, *vbi glossa in verbo*, *alioquin. l. & eleganter*, 7. *§. penult. ff. de dolo. l. diem proferre*, 32. *§. si plures*, *ff. de recept. arbitris. Bart. in l.* 1. *nu.*11.*ff.de cond. & demonst.* exponitur enim dictio, Alioquin, id est, si non fuerint prædicta.

Aliàs, vt *l.alias*, 18.*vbi glos. ff. de iureiurando*, *& l.diuortio*, 37. *vbi glos. in ver. alias*, *ff.de negot. gestis*, & resoluitur in Si non. *Bart. in d.l.*1.*num.*12. Non autem semper importat conditionem. nam quandoque est aduerbium temporis, & ponitur pro *Aliquando*, vel Alio tempore.*l.dicere*, 23.*§.*2. *ff. de recept. arbitr. Bart.d.l.*1. *num.*12.

Quandoque est aduerbium loci, & ponitur pro loco alio. *l.adeò*, 7. *§. insula*, *vers. quòd si toto*, *ff. de acquir. rerum dominio*.

Quandoque est aduerbium qualitatis,& ponitur,ac si,*aliter*, & *alio modo*, vt *l. denique*, 8.*§. vtrum*, *ff. de peculio legato*, *l.*1. *§. illud tamen*, *ff. de aqua quotid. & æstiua.*

Quandoque ponitur pro alio casu.*l. qui testamento*, 20. *§. eum, qui*, *ff. de testam. &c.* Igitur hæc dictio, *Aliàs*, tunc solū inducit conditionē,quando suspendit actum in futurū euentum: quando autem suspendat actum, facillimè colligi potest ex natura dispositionis, in qua ponitur, vt bene aduertit *Bart. loco præcitato.*

Dictiones,*Siue Aut*,faciunt conditionem. *l.cum pater*, 79. *§.pen. ff. de legat.* 2.

Quādiù,donec,quoad,quousque, similiter ponunt cōditionem. *l. pater.*100.*§.final.ff.de condit.& demonstr. l. legatum*, 17.*ff. de ann. legat. l. Caio.*13. *§. Imperator*, *ff. de aliment. legat.*

Dictio,*Dum*,inducit etiam cōditionē.*l.qui cōcubinam*, 29. *§.vxo-*

§. *vxori, ff. de legat. 3. Bartul. in l. 1. n. 17. verſ. quid de dictione Dũ, ff. de condit. & demonſt. Decius conſ. 326. nu. 2. tom. 2.*

His poſitis, nõ videtur dubitari poſſe, quin ſequentes actus ſint nulli niſi pręmittatur diſcuſſio rationum allatarum. Nam conceſſio præſentis iuriſdictionis eſt conditionalis, ac propterea non intelligitur conceſſa, niſi adimpleta conditione, vt ſupra probauimus.

Diſcuſſio quomodo facienda.

Quomodo autem facienda ſit diſcuſſio huiuſmodi, nõ eſt opus pluribus declarare. Nam Orator ſolùm eſt examinãdus amicabiliter ſuper rationibus à ſe allatis, & non requiruntur aliorũ teſtiũ depoſitiones, ſed eius dicto rationabili ſtãdum: nec tenetur Cõfeſſor alios ſuper dictarum rationum veritate interrogare. tota enim eius diligentia adhibenda eſt in Oratore examinando, vt infra dicemus.

Latoris parentes in ſtatu neceßitatis eſſe, &c. Hæc clauſula excludit commodũ, & requirit neceſſitatem parẽtum. Nam filij tenentur parẽtibus egenis auxiliũ præſtare. *c. 1. diſt. 30 & c. de libellis, diſt. 30.* vbi filius anathematizatur, qui ingreditur Religionẽ, deſeritque parentes neceſsitate oppreſſos, vt patet ex verbis illis, *debitum honorem:* & ratio eſt, quia omittere præcepta propter conſilia nefas eſt. *Sanchez in Præcepta Decalogi, lib. 4. cap. 20. nu. 3. tom. 1.*

Filii tenẽtur parentibus egenis auxiliũ præſtare.

Hæc autẽ neceſsitas à Cõfeſſore indaganda eſt, non per receptionem teſtium, ſed per examen ipſiuſmet Oratoris, & ponderationem allegatarũ rationum; Oratoris tamen depoſitioni ſtandũ. Nam, cùm hæc dilatio cõmittatur in ſecreto foro Conſcientiæ; illius fori legibus aptari debet, quæ sũt, vt Confeſſioni pœnitentis integra fides habeatur. *Gallego de cognatione ſpirituali, c. 23. n. 2 Sanchez de Matrim. lib. 8. diſp. 34. nu. 21.* nec iuramentum de veritate dicenda petendum ab eo eſt.

Quid ſi Confeſſarius nouerit aliunde quam ex confeſſione neceſſitatem nõ exiſtere, vel non poſſe illi conſuli.

Si autem Cõfeſſor aliunde, quàm ex Confeſsionis Sacramento, nouit huiuſmodi neceſſitatẽ non extare, vel ſi extet, non poſſe per oratorẽ illi conſuli; non tenetur dilationẽ huiuſmodi concedere. *Sanchez loc. cit.* quamuis Orator aſſerat contrarium.

Parentum neceſſitas quanam amplectatur.

Orator ergo examinandus eſt circa parentum neceſſitatem, quæ amplectitur victum, veſtitum, morbos, familiam ſuſtinendam, grauamen æris alieni ſoluendi, & quodcũque aliud periculum vitæ: An huiuſmodi neceſſitas ſit magna,

vel modica: nam de modica nulla est habenda ratio. *S. Tho. 2.2. q. 101. art. 4. ad 4. & q. vlt. art. 6. Tolet. lib. 5. in sum. cap. 1. num. 5. & alij communiter.*

Et an filius necessitati prædictæ parentum cōmodè consulere possit. In his enim casibus peccat grauiter filius nō subueniens, *argum. cap. inter cetera, 22. quæst. 4. & c. non satis. 14. & c. pasce, 21. dist. 86. Nauar. in 4. præcepto Decalogi, nu. 13.*

Hæc autem necessitas regulariter debet esse talis, vt filium obliget ex præcepto ad subleuandam parentum inopiam. Et hanc necessitatem pro legitima, & finali causa obtinendæ prorogationis, & dilationis ad Votum Religionis adimplendum, exigit S. P. Officium.

Necessitati grauì parentū subuenire, est præceptum naturale & diuinum.

Nota, quòd subuenire parentibus egenis, est præceptū naturale, & diuinum. *Sanch. to. 1. in præcepta Decalogi, lib. 4. c. 20. num. 3.*

Necessitas grauis parentum non est consideranda eo modo quo necessitas extranei.

Nota secundò, quòd hæc magna parentum necessitas non est eo modo consideranda, quo consideratur necessitas extranei, ad quem quisque solummodo obligatur, quando est grauis, vel extrema: hoc est quādo præcisè desunt necessaria vitæ sustentandæ, ita vt, si ei non subueniatur, timor sit proximi in extremum lapsus. *Sanchez in præcepta Decalogi, tom. 1. lib. 4. cap. 20. num. 4.*

Nam multò maiori vinculo tenetur filius subuenire parentibus, quàm extraneo. *S. Thom. 2. 2. quæst. 32. & notat glossa in c. 1. verb. fideles, dist. 30. & in cap. quiescamus, dist. 42. & in c. non satis verb. postulat. in fine, dist. 86. Syluest. in verbo filius. n. 25.* Nullum enim beneficium æquiparari potest beneficio, quod filius per generationem à parētibus accepit, vnde in beneficijs recompensandis, parentes sunt omnibus præferendi. *Idem Sylu. in verb. eleem. nu. 4. in fine, & in verbo charitas, nu. 2.*

Sufficit autem, vt hæc parentum necessitas reputetur arbitrio prudentis viri, non leuis, sed magna. *S. Thom. 2. 2. quæst. vlt. art. 6. in corp. Turrecr. in cap. 1. distin. 30. art. 1. num. 3. Sanch. loc. cit.* asserunt, hanc necessitatem contingere, quando commodè nequit aliter parentibus subueniri, quàm per filiorum obsequiū.

Quando talis necessitas cōtingat.

Caiet. 2. 2. quæst. 101. art. 4. ad finem. Nauar. in sum. c. 14. num. 13. & 14. affirmant, filios teneri subuenire parentibus, quoties sine dedecore illi necessaria sibi acquirere nequeunt; & propterea *Io.*

de Neapol. 3. part. tit. 161. c. 2. §. 1. & Siluest. in verbo, religio 2. §. 7. dicunt, sufficere necessitatem decētiæ status, eo quòd cogerentur parentes ad sibi prospiciēdum ea efficere, quæ in notabilem suæ decentiæ status iacturam cederent, vt artem mechanicam exercere, vel mendicare, vel alijs famulari, cum notabili sui status diminutione, si filius ingrediatur Religionem. Secus est dicendum, quando possunt parentes vitam transigere, etsi non ita commodam, abundātem, & honorificam.

Non solū necessitas præsens, sed etiā probabiliter futura attendenda.

Huiusmodi necessitas non solùm est attendenda quando est præsens, verùm etiam quando probabiliter futura creditur, si filius ingrediatur Religionem. *Abul. in cap. 8. Matthæi quæst. 67. Sanchez loco citato.* Nàm proximè accingendus habetur pro accincto. *l. penult, ff. de militari testamento.*

Quid si dubitetur de magnitudine necessitatis.

Nota tertiò: quando est dubium, an necessitas sit talis, vt licitū ingressū Religionis impediat, vouēs tenetur adimplere Votum, siue ante, siue post necessitatem emissum. Et ratio est, quia in dubio iudicandum est pro libertate filiorum ad ingrediendam Religionem, & consequenter quòd licitè potuerit se Voto astringere ad Religionem, & quòd teneatur illam ingredi. *Sanchez tom. 1. in præcept. Decal. lib. 4. c. 26. num. 9.*

Quid si probabilitas vtrinque.

Si verò ex vtraque parte existat opinio probabilis huiusmodi necessitatis, & Voti obligationis; poterit filius vouēs vtriuis opinioni adhærere, etiā minus probabili. *Sanchez loco citat.*

Quid si non possit remanere in sæculo sine proximo periculo peccādi mortaliter.

Nota quartò: filius legitimè potest, & debet deserere parentes, etiam in magna necessitate positos, quando non potest remanere in sæculo absque proximo periculo peccādi lethaliter. Nā ordo charitatis exposcit, salutem propriā spiritualem præferri temporali parentum bono: &, si non obligatur filius ad subsidium parentibus impendendū cum notabili vitæ corporalis periculo; multò minus cum notabili spiritualis periculo. *S. Thomas quodlibeto 10. art. 9. Alensis 3. part. quæst. 33 membr. 4. art. 2. Syluest. verbo Religio. 2. num. 7. Toletus in summ. lib. 5. cap. 1. num. 6. Sanchez loc. cit. num. 11. & sequentib. Corduba in Regulam S. Francisci, c. 2. quæst. 6. art. 1. & alij.*

In necessitate extrema non potest contingere tale periculum proximum pecc. mortal.

De necessitate extrema secùs dicendum est, quia cùm hæc necessitas citissime transeat, modicumque ad eius remedium sufficiat, non potest in ea contingere tale periculum

lum proximum peccandi. *Sanchez loco cit. nu.* 11. *&* 14.

Quid si dubitetur an periculum pecc. praponderet pracepto subueniendi.

Si autem dubium sit, an periculum peccandi sit tale, vt eius fuga præcepto subueniẽdi parentibus præferenda sit: hoc casu filius tenetur remanere in sæculo, & subuenire parentibus. Ratio est, quia in dubio stat possessio pro præcepto subueniendi parentibus. *Sanchez loco citat. n.* 11.

Neque eis aliter, quàm latoris opera & auxilio, honeste subueniri posse, &c. Verba sunt clara, nec videntur pati difficultatem: Nam exigunt, vt necessitas parentum sit talis, vt non possit per interpositam personam illi honeste, hoc est, decenter iuxtà status parentum honorem, & exigentiam subueniri: Si enim per interpositam personam paternæ necessitati cõsuli potest, tenetur filius ingredi Religionem. Ratio est, quia non est obligatus filius per se ipsum opitulari parenti; si potest per interpositam personã, vt asserunt *Turrecrem. cap.* 1. *dist.* 30. *art.* 1. *num.* 3. *& alij DD. præcitati locis etiam supra citatis.*

Dictio, neque, est copulatiua, & requirit concursum præcedentis & consequentis.

Quòd autẽ hic sit germanus sensus prædictorum verborũ, immo Maioris Pœnitentiarij, aperte demõstrãt dictiones illę duæ, *neque*, & *aliter*. Prima enim est dictio copulatiua, & requirit cõcursum vtriusque partis, videlicet præcedentis, & subsequentis. *l. si quis ita stipulatus fuerit decem*, 1. 9. *ff. de verb. obligat. l. si is, qui ducenta* 14. *§. item si pater. ff. de reb. dub. Alex. cons.* 92. *nu.* 14. *lib.* 3. *& Bart. in l. quidam testamento, nu.* 2. *ff. de vulgar. & pupillar.* Ac propterea requirit Maior Pœnitentiarius in dilatione huiusmodi concedenda, immo in declaratione præsenti facienda, vt sit talis necessitas, cui non possit per interpositam personam consuli.

Dictio aliter, denotat diuersitatem iuris & facti, à præcedenti casu.

Dictio verò, *aliter*, denotat diuersitatem iuris, & facti à præcedenti casu. *l.* 1. *§. ratio. ff. quemadmodum testamenta aperiantur. l.* 1. *§. si reus. ff. de eo per quem factum erit. l. qui seruum* 21. *ff. de interrog. action. Anchar. q.* 57. *num.* 17. *part.* 2. *Rebuff. in comment. ad l. pronuntiatum* 46. *vers. aliter atque. ff. de verb. signif.* & propterea excludit posse per interpositam personam subueniri, adeò vt concursus prædictarum partium, & exclusio partis contrariæ requirantur vt conditiones, quæ si non adsint, & dilatio si cõcedatur, vel declaratio huiusmodi si fiat; sint omnino nullæ & inualidæ. Nam dictio *aliter*, vt bene notat *Tiraquel. de retra-*

Etu

ctu lign. tit. 1. §. 8. glossa 6. n. 1. & Cened. pract. quaest. sing. 62. num. 2. importat conditionẽ, *Barbosa de diction. dict. 24. n. 2*

Dictio, aliter, importat conditionem.

Hoc igitur inuestigare & stabilire Confessor debet, antequam ad dilationem concedendam, vel declarationem faciendam deueniat; & si secus faciat, nulliter facit, vt ex præmissis, & ex subsequentibus vnusquisque sanæ mentis poterit omnino colligere.

Consideratis diligenter, quæ circa statum & continentiam latoris consideranda videris, &c. Hic Maior Pœnitentiarius iubet considerari diligenter ea, quæ Confessor consideranda esse circa statum & continentiam Oratoris iudicauerit, & propterea considerationem huiusmodi pręcipit sub verbis, quæ important cõditionem necessariam: ablatiuus enim absolutus importat conditionem, vt supra probauimus.

Verbũ videris importat arbitrium boni viri, & non propriam.

Et illud verbum *videris*, importat arbitrium boni viri, & non propriam voluntatem *l. fideicommissa. 11. §. sic fideicõmissum. ff. de legat. 3. l. Thais 41. § sorore. ff. de fideicõmiss. liber. c. 2. de corpore vitiat. ordin. vbi glos. & in c. Abbate 25. de verb. signif. Bart. in extrauag. ad reprimendam, verb. videbitur nu. 1. Panorm. in c. 1. de constit. nu. 3.* Et ideò Exequutor huiusmodi Breuis debet considerare, quæ bonus vir & prudens consideraret in simili casu, videlicet, quia vnusquisque bonus vir prius tenetur cõsulere saluti animæ suę, & deinde parentum necessitatibus. Primò consideret mores, inclinationes, habitus, familiaritates, occasiones, quas Pœnitens domi, forisque habet, vel de proximo habiturus sit, difficultates superandas & vitãdas: Secundo vires, commoditates, & media, quibus poterit parentibus opitulari, an sint sufficientia nec ne, an de proximo sint futura sufficientia. Ex prima enim consideratione Exequutor venit in cognitionem, an pœnitentis anima periclitatura sit, si remaneat in sæculo; ex secunda verò colligit, an parentibus filius in sæculo existens profuturus sit.

Hæc autem duo Confessor præcognoscere debet, aliàs exequutio Breuis est nulla, vt supra probauimus in præcedentibus clausulis, quæ simul connexionem habent propter continuationem ablatiuorum absolutorum, & propterea illarum idem est iudicium. Cõnexorum enim idem est iudicium. *c. translato 3.* vbi *Panor. in principio de constit. c. quanto. 3. de iudiciis. l. oratio 16 ff. de spons.*

Connexorum idem est iudicium.

ſponſ.l.quæ Religioſis 44. ff. de rei vendic. Gloſ.in c.1.in verb. priuare, de poſtul.Prælatorum.

Et circa illa per opportuna monita, & conſilia, ac aliàs diligenter prouiſo, &c. Nec ſolum tenetur Exequutor litterarum Maioris Pœnitentiarij conſiderare prædictas neceſſitates, verùm etiam Oratori conſulere, monitis ſalutaribus, conſilijs opportunis, ac mediorum ſubminiſtratione, quibus cautè, & ſine periculo mortalis noxæ Pœnitens gerere ſe poſſit in ſæculo remanens: ac demùm tenetur, quantum in ſe eſt, prouidere indemnitati pœnitentis: hoc enim important illa verba, *Ac alias diligenter prouiſo:* & rationem redditq Maior Pœnitentiarius verbis ſubſequentibus; *Ne ſub alienæ neceſſitatis prætextu in periculo propriæ ſalutis maneat.* Et ſi exequutor præuideat præmiſſis omnibus dictis admonitionibus, & conſilijs & remedijs, adhuc pœnitentem remanere in proximo periculo peccandi lethaliter, ſi in ſæculo remaneat, ob eius fragilitatẽ, malos habitus, ac prauarum occaſionum vehementiam; deſiſtat ab vlteriori exequutione Breuis huiuſmodi, & pronuntiet pœnitentem teneri ad ingrediendam religionem. Si ſecus Exequutor fecerit, rationem Deo reddet de illius animæ iactura.

Exequutor litterarũ M.P. tenetur non ſolum conſiderare neceſſitates Oratoris ſed illi conſulere monitis, medijs, &c.

Et illius indemnitatem curare.

Si exequutor præuideat, adhuc pœnitẽtẽ remanere in periculo proximo peccan. lethaliter, manẽdo in ſeculo; deſiſtere debet. ab vlteriori exequutione.

Alioquin rationem Deo reddet, &c.

Ne ſub aliena neceſſitatis prætextu in periculo propriæ ſalutis maneat, &c. Finis, ob quem Maior Pœnitentiarius tam exactas diligentias præmitti iubet, antequam huiuſmodi declaratio fiat, vel dilatio concedatur, eſt ſupernaturalis, id eſt, ſalus animæ, quæ non debet exponi periculo æternæ iacturæ, etiamſi non ſolum vitam & commodum parentum, verumetiam ſi totum mundum lucraremur, iuxta dictum Domini. Quid enim prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimẽtum patiatur? Et ideò tam exactas diligentias expoſcit; eundemque finem præ oculis habere debet Exequutor litterarum Maioris Pœnitentiarij, aliàs ædificat ſibi ad gehennam. Igitur præferenda eſt ſalus animæ filij, neceſſitati parentum, vt ſupra probauimus.

Finis M.P. propter quem imperat tam exactam diligentiam, eſt ſalus animæ, quæ non debet exponi periculo.

Eundem finẽ ſpectare debet exequutor litterarum.

Eundem latorem ſic in ſæculo durantibus neceſſitatibus parentũ remanere poſſe declares, &c. Quia filius de iure naturali diuino, tenetur parẽtum neceſſitatibus ſubuenire, durantibus illis, non debet ingredi

Filius de Iure naturali, diuino tenetur parentum neceſſitatibus ſubuenire: ideò durãtibus illis, nõ debet ingredi Religionem.

gredi Religionem, etiā si votū fuerit ante, vel post necessitates emissum, vt docent *Io. de Neapoli 3. par. tit. 16. c. 2. §. 2. Cord. in reg. S. Frācisci. c. 2. q. 6. art. 1. post principium. Sanchez*, qui multos allegat Doctores, *tom. 1. in præcepta Decalogi, lib. 4. c. 20. nu. 8.*

Votum subsequens indigētiā parentū, non obligat pro illius indigentia tempore.

Nam si votum subsequatur indigentiam parentum, non potuit obligare illius indigentiæ tempore, vtpote quod illicitum pro eo tempore esset, & rei contra præceptū naturale: si verò præcesserat, tanta superuenit rerum mutatio, vt sicut à principio contingens impediuisset eius obligationem, per regulam illam communiter à DD. receptā: Id liberat voti, vel iuramenti obligationem, quod si à principio accidisset, aut notū fuisset, impediret ea fieri. ita *S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæstiuncula 1. ad primum. Franciscus Garcia de contract. 1. parte c. 3. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 6. puncto 4. Sotus lib. 7. de iustit. q. 2. art. 1. ad 3. vers. ad hoc dicitur quod de voto.*

Regula de voti imped.

Limitatio regula.

Hæc tamen regula intelligenda est de impedimento notabili respectu materiæ Voti, vel iuramenti, *Sanchez loc. cit. cap. 2. nu. 22. & sequen.* Ita postea superueniens impedit obligationem intrandi Religionē. *Sanchez eodem loc. cit. c. 20 n. 8. & alij communiter.*

Ideò M. P. mandat Exequutori suo delegato, vt declaret filium posse licitè remanere in sæculo, durantibus necessitatibus parentum, non autem concedat dilationem: quia in hoc casu filius habet à Lege dilationem, & non eget dilatione M. P. Nam dictio *declaret*, nihil noui inducit. *Mart. de Iurisdict. part. 4. cent. 2. cas. 152. num. 4. Bertaz. de clausul. instrum. claus. 30. glos. 4. n. 1.*

Dictio, sic, est limitatiua.

Nota, dictionem illam, *Sic*, quæ est dictio limitatiua, habens relationem ad precedentia, & ad ea concessionem restringens, *c. 1. §. 1. & §. solet, de restit. spoliat. in 6.* Et notant *Grat. cons. 106. num. 52. lib. 2. Octauianus Vulpellus de præposition. seu aduerb. signif. in dictione, sic, statim in principio, pag. 113.* Et propterea limitat declarationem remanendi licitè in sæculo ad præcedentis necessitatis parentū durationem, & ad extra periculum animæ, vt melius subsequentia verba demonstrant, videlicet, *Durantibus necessitatibus*. Cessantibus enim necessitatibus tenetur filius ingredi Religionem: quia, cessante causa, cessat effectus. *c. cum cessante, 50. de appellat. c. quod pro remedio, 1. quæst. 7. vbi glossa in verb. cessante. l. adigere, 6. §. quamuis, ff. de iure-*

Effectus cessat cessante causa.

iurepatronat. l.Titia Seio. 89. §. vsuras, ff. de legat. 2.

Dummodò eisdem cum effectu prosit, &c. Si filius desiderat licitè remanere in sæculo, non obstante voto à se emisso; necesse est vt verè & realiter subueniat parentum necessitatibus. Prædicta enim dictio, *dummodo*, requirit, vt de necessitate existat illud, cui adiungitur, ad hoc vt dispositio possit effectum suum sortiri: & denotat esse præcise adimplendū id, cui ipsa adiungitur. Ita *Io. Andr. in cap. ex tuarum, num. 7. de auct. & vsu pallij, in verb. dummodo. Bald. in c. dudum, col. 2. nu. 44. de electione. Alex. in l. 1. in principio in 2. notab. ff. ad l. Falcid. Ruinus conf. 152. nu. 2. volum. 4. & in conf. 215. num. 6. vol. 1. Grat. conf. 86. num. 1. lib. 2. Decius conf. 326. sub num. 3. propè medium, tom. 1.*

Dictio, dummodo constit-ua.

Aliàs non potest licitè remanere in sæculo: sed tenetur adimplere Votum sub pœna peccati grauis.

Et interim vitam cælibē ducat, &c. Hoc medio tempore, quo remanet in sæculo filius ad parentibus subueniēdum; non potest matrimoniū cōtrahere, sed cœlibatum seruare tenetur. Nam declaratio huiusmodi suffragatur solum quoad legitimè differendum Religionis ingressum, non autem ad totalem liberationem à voto adimplendo; & propterea vouens nō potest amplius de se disponere, & eligere quamlibet aliam vitæ rationem sibi beneuisam: sed tenetur se conseruare in eo statu liberum, quo se Deo per votum consecrauit, & in cælibatu perseuerare, nemini amplius se obligando: cùm non amplius sit sui iuris, sed Deo dicatus. Si autem contrahat matrimonium, agit contra votum, & peccat, licet matrimonium postea teneat, vt infra dicemus.

Ac aliqua Religionis, quam ingredi vouit, vel ingressurus esset, à te iniūg. &c. Quia vouens tenetur Deo votum reddere, & cùm impeditur reddere, nō debet ex memoria delere suam obligationem, sed illam præ oculis continuò habere; propterea M. P. mandat, vt illi per suum executorem imponatur obligatio aliquid faciendi quotidie ex operibus eius Religionis, quam vouit, vel ingressurus esset, ad conseruādam memoriam suæ obligationis. Sicut enim in rebus ciuilibus conficiuntur tabulæ pro conseruanda memoria obligationis, cùm res, quæ tradi debet, non

possit

possit statim tradi creditori. *Institut. lib. 3. tit. 14. de obligat. in principio. & in ff. de actionib. & obligat.* Ita etiam, cum res per votum Deo creditori debita, tradi statim nõ possit; debemus per quotidianam adimpletionem alicuius ex dictis operibus Religionis, conseruare vt in tabulis descriptam memoriam obligationis voti.

Aduertendum hic est, non quælibet opera iniungenda esse ab exequutore vouenti, sed solum ea, quæ sint congrua statui, possibilitati, ac vtilitati spirituali illius. Si enim quis vouisset, v. g. Societatem nostram IESV ingredi; ego nihil aliud iniungerem, nisi onus quotidiani examinis consciẽtiæ, vel orationis mentalis, vel similia, quæ possunt commodè fieri, & cum spirituali fructu animæ adimpleri.

Prout secundum Deum ipsius animæ saluti expedire videris, &c. Non præscribuntur opera iniungenda vouenti, sed arbitrio exequutoris relinquuntur. Arbitriũ enim importat illud verbum *videris, c. 2. vbi Glossa de corpore vitiat. ordin.* quod tamen arbitrium est regulandum à salute vouentis, prout ipsa verba sonant, nec opus est id pluribus probare.

Verb. videris, importat arbitrium.

In foro conscientiæ, &c.

Pro intelligẽtia huius clausulæ, sciẽdum primò est, quòd forus est locus exercendarum litium, & dicitur à fando. *c. forus, 10. de verb. sign.* siue denominatur à Foroneo, qui primus Græcis dedit legem: & idcircò forus est locus, vbi exercetur iudicium, id est, iustitia. *cap. forus, Tabiena in verbo forus, & glos. in rubrica de foro competenti.*

Forus quid?

Forum autem generis neutri denotat territorium Iudicis, vbi habet potestatem terrendi, & animaduertendi in homines sceleratos. *l. Pupillus, 239. §. territorium, ff. de verb. significat.*

Forum quid?

Quandoque denotat locũ, vbi fiunt nundinæ, & propterea appellatur forum rerum venalium, *Panorm. in d. cap. forus.*

Secundò sciendum est, duplicem esse forum propriè acceptum. Alter dicitur iudicialis, seu contentiosus, & forus exterior, seu hominum, & forus fori, qui spectat ad Iudices, causarum cognitionem, & iurisdictionem ciuilem, seu criminalem habentes, vbi ex officio tenentur decernere causas secundum leges, & iura, seu ciuilia, seu canonica, & res considerare secundũ id, quod iura & leges disponunt. Alter forus dicitur, Dei, & con-

Forus duplex.

Conſcientiæ, & dicitur forus interior, qui ſpectat ad Cōfeſſarios, & ad quemlibet Chriſtianum, quatenus agitur de eius conſcientia, & ſalute eius animæ, nulla habita ratione rigoris iuſtitiæ, ſeu legum, ſed tantum æquitatis, conſiderādo rem ſecundum Deum, & ſecundum quod vir bonus & æquus iudicaret.

Forus Conſcientiæ duplex.

Hic forus cōſcientiæ ſubdiuiditur in ſacramentalem & non ſacramentalem. Forus conſcientiæ ſacramentalis eſt iudicium & cognitio cauſæ, facta in actu ſacramentalis cōfeſſionis per Confeſſarium.

Forus conſcientiæ non ſacramentalis eſt iudicium factum extra ſacramētum Pœnitentiæ ab Ordinario loci, vel ab alia perſona, de mandato Sanctiſs. vel de mandato eiuſdem Ordinarij: & hic forus eſt medium quid inter forum interiorem & exteriorem, vt infra dicemus.

Tertiò ſciendum eſt, quid ſit Conſcientia, vnde dicatur, quotuplex ſit, & quot ſint eius actus.

Conſcientia, ſecundum *Io. Tabien. in ſum. verb. Conſcientia*, dicitur à præpoſitione *cum*, & *ſcientia*, vt ſit idem ac cum alio ſcientia. Et affirmat cum *S. Thom. 1. par. q. 69. art. vlt.* hanc eſſe communem interpretationem huius nominis Conſcientiæ.

Syłueſt. autē *in ſum. eodem verbo, Cōſcientia*, aſſerit, quòd conſcientia dicatur quaſi *concludens ſcientia*. Et eo mouetur, quia conſcientia eſt actus ſinderesis, id eſt, applicatio ſcientiæ ad aliquid morale dijudicandum, vnde ſit quaſi concluſio ſyllogiſmi, qua iudicatur, an aliquid ſit benè vel male geſtum.

Baldus verò in *cap. cum cauſam, de teſtibus*, exiſtimat, quòd conſcientia ſit idē, quòd bonus vir, æquum iubens, & conſtituens; & *in rubrica de iudicijs*, quòd ſit mens ſibi ipſi conſcia, & ſit flos intellectus, vel mentis qualitas ſe ipſam dijudicās, & vice ſpeculi fungitur, & oſtendit te tibi. Idem *Bald. in c. niſi cùm pridem, n. 5. & 19. de renunciat.* Videndus eſt etiam *idem Bald. in cap. innotuit, nu. 5. de elect. & elect. poteſt. & in l. finali, §. ſed & ſi quis, propè finem, C. communia delegatis.*

Ego autem exiſtimo, conſcientiam nihil aliud eſſe, quā *conceptam ſcientiam* de aliquo, ſecundùm quam quis ſe ipſū iudicat, reprehendit, ſtimulat, accuſat, vel excuſat: & propterea ſecundùm *S. Thom. 1. 2. quæſt. 79. artic. 3. ad primum* cōſcientia eſt dictamen rationis. Et benè dicit *Bald. in rubr. extra de iudic.* quòd cōſcientia

Conscientia est mētis qualitas.

scientia sit mentis qualitas se ipsam dijudicans. Et probatur ab effectu, quia potest facillimè deponi, & mutari, etiam in instanti, cùm aliquid apprehēdatur in contrarium maioris momenti; quod fieri non potest, si conscientia esset potentia, vel habitus, vt aliqui tenent; quæ conceptio ab intellectu elicita in memoria pro tribunali residet, & prædictæ conceptæ scientiæ recordatione iudicat actiones, testificatur de peccato facto, vel non facto, reprehendit, remordet, aliosque suos actus exercet. Hoc idem censet *Nauar. in manuali, c.37. nu.280.* dum asserit, secundùm S. Thomam, Conscientiam non esse potentiam, neque habitum animæ, sed actum eius iudicatiuum: & propterea definit, quod Conscientia sit scientia, fides, opinio, aut dubitatio, de re aliqua facienda, vel non facienda.

Sciētia quid.

Cuius definitionis occasione, Aduerte primò, quod sciētia est cognitio visiua rei tam per intellectū, quàm per sēsū. Ita *glos. in l. 2. §. antepenult. ff. de aqua pluuia arcen.*

Fides quid.

Fides est cognitio rei, qua firmiter ita esse iudicamus id, quod non videmus. *c. in domo. 11. § si quo minùs, de pœniten. dist. 4.*

Opinio quid.

Opinio est cognitio, qua iudicamus aliquid esse, quod non videmus, nec firmiter credimus ita esse, sed cum formidine, ne contrarium sit verum, *Glos. in d. § antepenult. & in l. si duo. 3. § penult. in verb. quem scirem, ff. vti possidetis.*

Dubitatio quid.

Dubitatio est cognitio duarum rerum contrariarū, neutram earum iudicando verā. *Glos. recepta in l. de statu, 15. ff. de testamentis. & in rubr. ff. de iuris & facti ignoran.* quæ dubietatem appellat titubationem.

Scrupulus quid.

Scrupulus est cognitio argumenti apparentis contra prædicta.

Collige igitur, scientiā esse cognitionem firmam & euidētem: fidem esse firmam, non tamen euidentem cognitionē, sed obscuram. *c. 1. de sanctiss. Trinitate:* opinionem nec esse firmam, nec euidentem, sed cum formidine oppositi: scrupulum verò esse solùm quoddam argumentum apparens, ita *Nauar. loco citato.*

Conscientia triplici modo accipitur.

Sciendū tertiò est, Cōsciētiam, secundū *S. Th. 2 sent. dist. 24. q. 2. art. fin.* triplici modo accipi posse. Primò pro re ipsa conscita, & sic sumitur *1. ad Timoth. 1.* Caritas procedit de conscientia bona.

Secūdò sumitur pro habitu, quo quis disponitur ad consciendū: & secundùm hoc cōsueuit dici lex naturalis, & habitus rationis, id est synderesis

quæ est verbum Græcum, & interpretatur *Scintilla conscientiæ.*

Sinderesis scintilla conscientiæ.

Tertiò modo sumitur communiter, & propriè à Doctoribus pro actu rationis cognoscentis, & applicantis scientiã ad aliquid morale dijudicandum. *S. Thom. in p. quæst. 79. art. 13.*

Sciendum quartò, Consciẽtiam, prædicto tertio modo acceptam, esse duplicem: id est veram, quæ rectè iudicat; & erroneam, quæ falsè iudicat, *cap. perpetuas. 37. de simonia, & cap. inquisitioni. 44. de sent. excom.*

Sciendum quintò, conscientiam habere tres actus, secũdũ m tres applicationes scientiæ. Primus est cognoscere, & testi ficari de peccato facto, vel non facto. *Eccl. 7. Scit conscientia tua, crebrò maledixisse alijs.*

Conscientia tres actus. cognoscit, & testificatur.

Secundus est reprehendere, remordere, accusare, & excusare, *cap. sentimus. 11. q. 3.*

Reprehendit.

Tertius est ligare, vel soluere, respectu futuri, *Sylu. in sum. verbo, conscientia, num. 1.*

Ligat, vel soluit.

Nota, quòd Conscientia ligat, & soluit virtute diuini præcepti, & virtute propria, quando quis apprehendit, se esse ad aliquid obligatum. Idem *Sylu. loc. cit. n. 2.* & ideò, quod fit cõtra conscientiam, ædificat ad gehennam, *cap. litteras, 13. de restit. spoliat. c. fin. de rescript.* Deus enim nõ attendit, quod fit, sed quo animo fiat. Licitè tamen potest, & debet deponi propria consciẽtia ad mandatum Prælati, quando non est clarum, quòd huiusmodi mãdatum sit contra legem Dei, etiamsi habeat credulitatem probabilem, & discretã, *dicto c. inquisitioni, de sent. excomm.*

Sed non potest fieri ex propria voluntate absque dicto mandato, iuxta illud Ecclesiastici: *Qui amat periculum peribit in illo.*

Nota secundò differentiã, quæ est inter conscientiam, Synderesim, & legem naturalẽ: lex enim naturalis dictat bonum faciendum, & malum fugiendum: Conscientia verò, quæ est iudiciũ in ratione, iudicat, hoc vel illud esse, vel non esse bonum, & ideò faciẽdum, vel nõ faciendum. *Nauar. in man. c. 27. miscel. 4. d: consc. n. 280. & in c. per tuas, il 2. de sim.* Synderesis, quæ est scintilla rationis, secundùm *S. Thom. in 2. dist. 39. quæst. 1. art. 3.* id est, pars animæ suprema, qua cũ spiritibus conuenimus Angelicis, desumpta similitudine à parte ignis magis eleuata, quę appellatur scintilla, vt notat *Glos. in prim. cap. Aggai,* stimulat voluntatem ad bonũ faciendum: atq. ita Consciẽtia est regula in ratione: Synderesis

ſis vero, eſt regula in voluntate, inſtigando eam ad bonum. *Ita Alex. in 3. par. ſum. tract. de lege naturali, q. 3. Scot. dict. diſtinct. 39.* appellat Syndereſim, ſuperiorẽ partem animæ vel habitum principiorum operabilium, vt: Deo eſt obediendum; parentes ſunt honorandi.

Vide *Bald. in Auth. ingreſſi. 7. coll. C. de Sacroſan. Eccleſ. & in l. penult §. illo, C. ne ſerui hæred. inſtit. & in l. fin. C. de pœnis Iud. qui malè iudicant, & vide text. in l. militis, C. de Relig. & ſumpt. ſun.*

His poſitis, Dico primò: Forus Conſcientiæ, id eſt, locus, in quo exercetur conſcientiæ iudiciũ, largo modo ſumptus regulariter eſt Mũdus hic inferior. Dixi, *regulariter*, quia poſſet quis etiam in concauo Lunæ exiſtens à propria conſcientia iudicari, & à Sacerdote, ſi ibi etiam exiſteret, abſolui, & condemnari: nec eſt aliqua pars mundi determinata pro iſto foro: nam iudicium iſtius fori vbique locorũ exerceri poteſt in Ciuitate, in prædio, in caſtello, in mari, domi, &c. regulariter tamen, ob cõuenientiam, & reuerentiam tam ſublimis iudicij exerceri debet in templo, in æde ſacra: in iſto enim foro homo ligatur & abſoluitur, nõ ſolùm ſuper terram, verum etiam & in Cælo. *Ioann. 20.* & ideò iudicium maximi momenti eſt.

Locus ergo proprius iſtius fori eſt, Eccleſia, tam materialis, quæ eſt locus Deo dicatus, quàm formalis, quæ eſt Congregatio fidelium: & qui in iſto foro ligatur, vel abſoluitur, remanet apud Deum etiã ligatus vel abſolutus, niſi ligatus reſipuerit, & pœnitendo per interpellationem recurrat ad diuinæ miſericordiæ tribunal, à quo libentiſſimè admittitur recurſus pœnitentis; & ſi verè promittat emendationem ſuorum peccatorum, abſoluitur à ſententia per forum prædictum conſcientiæ prolata.

Propriiſſimè verò iſte forus conſcientiæ eſt ipſa anima rationalis, in qua reſidet conſcientia, & iudicat, vt ex ſupra dictis de conſcientia colligitur.

Dico ſecundò: Sicut in omnibus tribunalibus & foris eſt Iudex ordinarius, ad quẽ ſpectat prima cauſarũ inſtantia, id eſt, qui primò cognoſcit cauſarũ merita, eaq. dijudicat, *l. ſi quis ex aliena. 5. ff. de iud. c. cũ perſonæ, 7. de priuil. in 6 Panor. in cap. paſtoralis, de reſcript. num. 1. in fin.* & deinde eſt Iudex recurſus, ſiue appellationis, ad quem à Decreto, vel ſententia Iudicis ordinarij appellatur, & qui vel

confirmat sententiam, vel illam reuocat, & absoluit appellantem.

Ita etiam in hoc foro conscientiæ est Iudex ordinarius, id est propria cōscientia, quæ condemnat, vel absoluit: Iudex verò recursus est Misericordia Diuina, mediantibus meritis Christi Domini Nostri, quæ vel condemnatum à propria conscientia absoluit, vel condemnationem confirmat.

Iudices recursus diuini qui;

Dico tertiò: Iudices istius recursus repræsentantes Misericordiam Diuinam, sunt Superiores Ecclesiastici, & Sacerdotes approbati ad cōfessiones, qui tamen diuersimodè sibi traditā iurisdictionem exercent: Sacerdotes enim eam exercēt in foro pœnitentiali, hoc est, in sacramentali confessione peccatorum: alij verò Superiores Ecclesiastici, tam Clerici, quàm Sacerdotes, in foro conscientiæ, id est extra sacramentalem cōfessionem, quo ad pœnas ab Ecclesia inflictas, pro inobedientia, alijsque culpis, id est, quo ad censuras, irregularitates, inhabilitates, nec non quo ad commutationes votorum, & similia, atque alias gratias spirituales, quibus quis vtens, nequit postea in suis actionibus à conscientia redargui, & condemnari, ac deinde à Iustitia Diuina puniri.

Dico quarto: In isto foro cōscientiæ possunt omnes cōdemnari, sed non omnes absolui per Iudices recursus diuini. Nam omnes propria conscientia condemnat, sed non omnes se dignos reddūt benignitate Diuini recursus. Quippe Ethnici, Iudæi, alijque, qui sūt extra Ecclesiam, remanent exclusi, quandiù in Gentilitate, Iudaismo, &c. perseuerant.

De peccatoribus verò pertinacibus idem affirmare simpliciter non audeo. Isti enim, etiam nolentes, possunt ob publicam necessitatem absolui ab excommunicatione incursa. *cap. veniens, 38. in fine de test. Panorm. in cap. Apostolicæ, de except. glossa, & omnes DD. in cap. significasti. 6. de eo, qui duxit in matrim. quā pollu. Felin. in cap. Apostolicæ, 9. de except. num. 1. Imol. in cap. ab excommunicato, 41. de rescriptis.* videlicet, quādo excommunicatio non prodest excommunicato, & nocet cōmunitati, propter participationem cum excommunicato. *Sum. Angel. in verb. absolutio, num. 7.*

In hoc autē DD. inter se nō conueniunt. Vide Theol. *in 4. dist. 18.* & Canonistas *in d. c. ab excommunicato, de rescript. & in*

& in d.c.significasti, de eo, qui duxit in vxorem quam poll. & in cap.1.de senten.excomm. in 6.

Dico quintò. Absolutio, dispensatio, commutatio, &c. in isto foro conscientiæ concessæ includunt solum pacem, satisfactionem, ac quietem intrinsecam cum se ipso, ac Diuina Maiestate, non autem cum alijs hominibus. Pro pace, quiete, & satisfactione extrinsecis est alius forus extrinsecus, qui appellatur forus fori, foras emanati, ac producti à foro intrinseco conscientiæ: priùs enim quis condemnatur, vel absoluitur à propria conscientia, quàm à lingua per sententiam interloquutoriã, vel à manu per sententiam in scriptis prolatam. Dicitur forus fori, quia in isto publico foro iudicatur vnusquisque secundum conscientiam formatam tam à lege naturali & ciuili, quàm à Diuina: necnon declaratur, quãdo quis est absolutus, vel cõdemnatus, tam quoad seipsum, quàm quoad homines, & Deum.

Et sicut in foro conscientię intrinseco non præiudicatur bonæ famæ peccatoris secreti, quia sententia remanet adhuc sub silentio, & solum promulganda in vltimo die particularis, vel vniuersalis Iudicij; ita absolutio, &c. in eodem foro non debent præiudicare publicæ satisfactioni, quæ requirit, publicum delinquentẽ publicè puniri. *l. iure mariti. 6. C. ad l.Iul. de adult. c. 2. de purgat. canonica*; & publicum innocentem publicè absolui. *Publico delicto publica pœna.*

Atque ita absolutus, dispẽsatus, &c. in foro conscientię, non potest de iure prætendere, quòd habeatur pro absoluto, dispensato, &c. in isto foro fori.

Ex æquitate tamen potest à nobili & generoso Iudice admitti (præmissa tamen publica satisfactione) vt aliàs diximus.

Ex præmissis ergo collige, cum *Praepos. in c. præterea 12. n.5. de sponsalib.* triplicem esse forum: videlicet, forum Pœnitentialem, forum Conscientiæ, & forum Fori: forum autem conscientiæ esse quid medium inter forum Pœnitẽtialem, & forum Fori, id est, forum contentiosum. *Abb. in c. de his, 6. n.3. de accusat. Prapos. in d.c. præterea, de sponsalib. & alij Canonistæ in tit. de pœniten. & remiss.*

Secũdò collige secũdũ mẽtẽ M. P. quid sit intelligendũ cùm dicitur, *In foro cõscientiæ.* Nam absolutiones, dispensationes, & commutationes, ac similia, quæ M.P. concedit in foro conscientiæ, non ita re-

stringit, vt sub sigillo remaneāt penitus exclusa ab hominum notitia: sed permittit post se illa admitti ad forum etiam externum, præstita publicâ satisfactione, si quæ præstanda sit, & participare aliquo modo de foro externo. Et hanc ob causam in nulla istius Diplomatis parte reperitur, subsequens conditio, *Dummodo votum sit occultum*, vel aliquid æquiualens, quod vmbram occulti significet: atque ita M. P. non vult suis absolutionibus, dispēsationibus, &c. occultare quod de sui natura non est occultum.

In ipso actu sacramentalis Confessionis tantum, &c. Quomodo intelligēda sit hæc clausula, ex supra dictis in verbo, *Audita sacramentali Cōfessione*, patet. Nam præmittenda est sacramentalis confessio, & eius occasione est etiam faciēda huiusmodi declaratio. Propterea subiungitur *tantùm*: quæ dictio *tantùm*, in fine clausulæ huiusmodi apposita, est dictio taxatiua. *l. ob æs alienum tantum 12. C. de prædijs l. Gallus, 29. §. & quid si tantum. ff. de lib. & posth. §. item, instit. de vsu & habit. vbi Mynsinger. & alij:* eaque tātummodò ponit, quæ affirmat, cætera verò omnia excludit. *Bald. in l. ita nobis, C. ad l. Iuliam de adult.* *Bart. in l. 1. n. 1. & ibi Ias. nu. 9. ff. si quis ius dicen. & in l. rationes, in fine, C. de probat.* Et ideò prædicta omnia eodem tempore peragenda sunt, quo fit confessio sacramentalis: hoc enim importāt dictiones illæ, *in actu, &c.* & appositio dictionis *tantum*, in fine Diplomatis. Nam vt docent *Roman. cons. 480. nu. 7. & Rota in vna Bononien fideiussionis 7. Maij 1610. coram R. P. D. Caualerio*, dictio; *tantum*, posita in fine subscriptionis, refertur ad totā subscriptionem præcedentem.

Dictio tantū est taxatiua.

Aduerte, quòd præmissa nō intelliguntur peraganda esse in actu sacramentalis confessionis physicè: quia non spectant ad illam, neque vt pars, neque vt forma, neque vt circumstantia, & sacramentum Pœnitentiæ non est quid permanens, sed quid transiens: sed intelligitur moraliter peragi in actu sacramentalis confessionis, id est, immediatè post eam.

Et non aliter, neque vllo alio modo, &c. Dictio, *non* quia est dictio negatiua, adiūcta dictioni, *aliter*, quæ denotat diuersitatem, *l. 1. ff. quem-adm. testam. aperiantur. Anchar. q. 57. num. 17. par. 2.* ostēdit, non posse ab exequutore adhiberi alium ordinem, nec

Dictio, aliter, diuersitatem denotat.

va-

variari formam in executione Diplomatis M. P. præscriptam : idemque denotant sequentes dictiones, *neque vllo alio modo*, vt ex se patet: & ideò non est pluribus explicanda præsens clausula.

Ipsumque postmodum ad eiusdem voti obseruantiam teneri, cessantibus necessitatibus parentũ, admoneas, etc. Hæc postrema clausula est clara, nec indiget maiori explicatione: nam, cessante causa finali, cessat effectus, qui habet suam subsistentiam à subsistentia ipsius causæ. *cap. cum cessante. 60. de appell. authen. generaliter, C. de Episcopis & Cler. l. adigere, 6. §. quamuis, ff. de iurepatr.* Causa autem finalis, cur filius voto Religionis obstrictus, remaneat in sæculo, & differat votum Religionis adimplere, est necessitas parentum: ideò admonendus est, eum teneri ad Religionẽ ingrediendam, vbi primum cessauerit necessitas prædicta, id est, vbi primum, cessante huiusmodi necessitate, habuerit cõmodam exequendi voti opportunitatem. *S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 3. Turrecrem. in c. 1. in princip. 17. q. 2. Panormit. in cap. non est, num. 3. & in c. licet, nu. 13. de voto, & voti redemptione.*

Nota, quòd, si parentes vouerint Religionem ingredi, & habeant filios, eorum opera egentes, debent prius illis cõsulere, quia non licet parentibus Religionem ingredi, omissa filiorum cura, id est, non prouidendo prius, qualiter filij educari valeant. Ratio est, quia parentes habent rationẽ principij, & ideò per se conuenit illis filiorum cura, ijsque subuenire, non ad tempus, sed per totum vitæ curriculum. Ita *S. Thom. 2. 2. q. vlt. art. 6. in corpore. Turrecrem. in c. 1. art. 1. nu. 2. dist. 30. D. Antoninus 3. part. tit. 16. c. 2. §. 1. Corduba in regulam D. Francisci. c. 2. q. 6. art. 1. in fine. Sanchez tom. 1. in præcepta Decalogi, lib. 4. c. 20. num. 34.* Et hoc intelligendum est, etiamsi non extet magna filiorum necessitas. Nam parentibus, tanquam principijs, incumbit per se, & ex rei natura, filijs necessaria ad educationem subministrare: filijs autem solùm per accidens, ratione magnæ necessitatis parentum. Et propterea dicit S. Paulus, *ad Corinthios 13.* Parentes debere thesaurizare filijs, non autem filios parentibus. *Sãch. loc. cit. n. 35.* & nota illud verbum, *thesaurizare*, quod importat superabundantiam cõmoditatũ, & nõ rigorẽ necessitatis: necessitatẽ futurã filiorum, non autem præsentem:

non necessitatem certam, sed possibilem: & ideò obligationi huiusmodi votum non potest præiudicare. Idemque de Auis, Proauis, & alijs ascẽdentibus, ob eandem rationẽ: hi enim, cùm pater ipsorum filiorum obierit, succedunt loco parentum, eademque obligatione tenentur, cùm re vera rationẽ principij respectu descendentium habeant.

Quod tamen limita, quando filij sunt in tali ætate, & statu, vt paterna cura non indigeant. *Abulen. in cap. 8. Matth. quæst. 68. & Sanch. loco citato, num. 38.*

Hanc igitur ob causam, cùm Parentes, Aui, & Proaui, alijque ascendentes sunt aliquo Religionis Voto obstricti, recurruntque ad M. P. pro dilatione adimplendi Votum prędictum, ad hoc vt filijs subueniãt, eâdem litterarum formula superius à nobis allata vtitur M. P. & ideò, si cui demãdatur exequutio Breuis super dilatione voti Religionis, ad fauorem istorum; poterit iuxta prædicta à nobis declarata se gerere.

Pro illis verò, qui habent fratrem, vel sororem, aut nepotem, eorum opera, & auxilio egentes, eadem ferè formula M. P. rescribit; excepto solùm, quòd loco verbi, *declares*, apponitur *dilationem concedas*. Et ratio huius modicæ diuersitatis est, quia est diuersa obligatio. Frater enim, per se loquendo, non tenetur differre Religionis ingressum, etiamsi voto astrictus non sit, vt subueniat fratris, vel sororis necessitatibus: quia illis succurrere non tenetur, sicut & parentibus, priuando se tanto bono, vt illis subueniat. *Sanchez loc. cit. nu. 30.*

Est tamen iusta ratio differendi votum Religionis, quia votum obligat vouentem ad illud adimplendum quàm primùm commodam exequendi opportunitatem habuerit. *S. Thom. Turrecrem. Panorm. locis supra cit.* Non enim est opportunitas commoda, quãdo eius præsentia necessaria est ad subueniendum dictarũ personarum adeò sibi coniunctarum necessitati. *Sanchez loc. cit. num. 31. cum sequent.* vt verbi gratia, quando sorores ratione paupertatis, &c. periclitantur in pudicitia, vel fratres sunt teneræ ætatis, & carent omni alio auxilio, vel sunt infirmi, &c. & similia.

Idemque dicendum de Patruo, Auunculo, &c.

TRAN-

TRANSGRESSIONES VOTORUM.

Quando Maior Pœnitentiarius rescribit, pro transgressione Voti Religionis, sequenti formula vtitur.

FR. Antonius Barberinus, &c. Nobis oblata petitio continebat, quòd ipse aliàs, postquam Religionem ingredi vouerat, Matrimonium in facie Ecclesiæ contraxit, & successiuè consummauit cum quadam muliere sua ad præsens vxore. Cùm autem, &c. Lator præfatus de præmissis plurimùm doleat, & in dicto Matrimonio remanere, & debitum coniugale reddere, & exigere licitè posse desideret; pro suæ conscientiæ quiete, cupit à transgressione huiusmodi per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari: Quare, &c. Quatenùs, si est ita, dictum latorem (audita priùs eius sacramentali Confessione) à transgressione huiusmodi absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, iniuncta ei pœnitentia salutari. Ipsumque, si aliud canonicum non obstet, in dicto matrimonio remanere, & debitum coniugale reddere & exigere posse declares in foro conscientiæ, & in ipso actu sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, neque vllo alio modo. Ita quòd, si vxori superuixerit, eodem Voto teneatur vt priùs, & ita illum moneas. Datum Romæ, &c.

Antequam deueniamus ad explanationem prædicti Diplomatis, necesse est scire, quid sit transgressio.

Transgressio igitur deriuatur à verbo *Trãsgredior*; quod Græce ὑπερβαίνω dicitur, & significat *Transeo*, propriè que de pedum gressu dicitur: *Cicer. 2. de Diuinat. Inauspicatò pomœrium transgressus*. Methaphoricè autem transfertur ad mutationem sententiæ: vt cùm quis, relicta vna senten-

tia

tia ad aliam transit. In nostro tamē casu accipitur pro actu facto contra votum Deo præstitum. Qui enim vouit, v.g. peregrinari Hierosolymam, vel Religionem ingredi, aut quid simile; si postea aliquo alio se obstringat voluntario vinculo, propter quod non possit ampliùs votum adimplere; appellatur transgressor voti. *cap. per tuas.* 10. *& c. non est.* 5 *de voto, & voti redempt.* actus verò huiusmodi impeditiuus appellatur transgressio. Cùm ergo aliquis, emisso Religionis ingrediendæ voto, fragilitate deuictus, contrahat in facie Ecclesiæ Matrimonium, ac propterea nequeat Religionem ingredi, ex alia verò parte, agnoscat infidelitatem suam erga Deum, & eius vindictam sibi imminere, cùm pollicitatio, quam per votum cum Deo pepigit, sine vindicta solui non possit, *cap. vidua. il* 1. *& c. hæ verò vidua.* 27. *quæst.* 1. & propterea velit eam, quam potest Deo satisfactionem præstare, ac in suo matrimonio contra votum contracto absque vllo conscientiæ stimulo perseuerare; recurrit ad M.P., ab eoque gratiam in formula præcedenti descriptam reportat. Pro cuius formulæ declaratione, ac interpretatione, pauca addenda sunt, quia multa habet in communi cum alia præcedenti formula à nobis superiùs declarata.

Infideli imminet vindicta.

Omissis igitur, vt superiùs fecimus, narratiua & dispositiua prædicti Diplomatis partibus, ad restrictiuam deueniamus.

Quatenus, si est ita, &c. Dictio, *quatenus*, vt superiùs diximus, est dictio restrictiua, & idem significat atque importat, quod dictio, *inquantum. l. si quis crediderit,* 50. *vbi glos. ver. quatenus, ff. de pactis, c. placet,* 12. *de conuers. coniug. Decius cons.* 385. *n.* 2. *tom.* 2. Clausula verò, *si est ita*, importat causam finalē. *Marchesan. de commiss.* 1, *part. pag.* 304. *nu.* 11. *& pag.* 322. *n.* 78. *Garc. Gironda de priuileg. seu exempt. explicat. num.* 1159. *vbi nu. præced.* dixerat, verba, *si ita est, dispensetis*, inducere formam & solemnitatē non leuem, necnon facere gratiam conditionalem; ostēditque, Papam de narratis notitiam non habuisse, & ideò narratiua verificari debet. *Seraphin. decis.* 989 *n.* 1. Easdem ob causas M. P. dictione, & clausula huiusmodi in principio cuiusque suæ restrictiuæ vtitur: vt ostendat, se nō simpliciter gratiam petitam concedere, sed solùm in quātum narrata eo modo, quo narrata fue-

Dictio, quatenus, est restrictiua.

Claus. si est ita, importat causam finalem.

fuerunt, sint vera, & non aliàs: & propterea, si narrata non sunt vera, neque gratia intelligatur concessa: Ad validitatem enim gratiæ necessariò requiritur, vt preces veritati nitantur. *c. super litteris*, 20. *de rescriptis. & c. quia circa*, 6. *de consang. & affinit.*

Atque ita, si narrata sint vera in se, etiamsi nulla præmittatur informatio, nullumque examen, attamen gratia est valida. Et ratio est, quia dicta clausula nō inducit formam nec conditionem, cùm eo modo exprimatur, quo iure communi inest. Nam iure inest, vt preces veritate nitantur in rescriptis & gratijs Principum. *dict. c. super litteris, de rescriptis, & cap. quia circa, de consang. & affin. glossa in Clement.* 1. *verbo repereris, de offic. deleg. Paul. et Imol. in Clem.* 1. *de concessione prabendæ, num.* 12. *Felin. in c. fin. de præsumpt. nu.* 33. *& alij.*

Insurgit dubitatio, super quibus rebus cadere debeat necessariò veritas vigore dictæ clausulæ, *Si est ita*.

Respondeo veritatem cadere necessariò debere super causa finali, id est super ea causa, propter quam tantùm conceditur gratia, & sine qua gratia non concederetur. *Couar. lib.* 1. *variar. resolut. c.* 20. *num.* 5. *vers. his ita breuiter. Panor. in dicto cap. quia circa, nu.* 4. *de consang. & affinit. in* c. 1 *postulasti*, 27. *n.* 1. *notab.* 4. *de rescript. vbi Dec. n.* 10. *notab.* 4.

Sed contra videtur esse textus in *cap. olim*, 25. §. *final. de rescript.* vbi dicitur, clausula ista, *si est ita*, referri debere ad omnia superiùs narrata: & hoc videtur confirmari *per c. sec ūdò requiris*, 41. *de appellat. & per glossam in d. c. olim, in verb. si est ita.*

Respondetur, verè istam clausulam referri ad omnia præcedentia, sed non respicere ea omnia eodem modo: aliqua enim respicit vt substātialia, alia verò vt accidentalia, & parum ad rem facientia: & ideò illa necessariò verificanda, ista secùs. *d. cap. super litteris*, §. *nos igitur. vbi glossa in verb. litteras dedistamus, de rescriptis*. Pro maiori intelligentia,

Notandum primò est, duo esse, quoad nostrum propositum, genera causarum: aliæ enim sunt causæ impulsiuæ, aliæ verò finales.

Causæ impulsiuæ sunt, quæ Principem mouēt ad faciliùs vel difficiliùs, non autem ad simpliciter cōcedendam gratiam: atque ita siue illæ falsò exprimantur, siue, si vera sūt, taceantur; nihilominùs gratia prorsùs in vtroque casu cōcederetur. *d. c. super litteris.* *Causa impulsiua.*

Causa

Causa finalis. Causa verò finalis ea dicitur, quæ simpliciter mouet Principem ad gratiam concedendam, &, qua non existente, Princeps gratiam omninò non concessisset, vel, qua ei significata, gratiam omninò denegasset. *Couar. Panor. & Decius locis supracit. & Tiraq. tractatu, cessante causa, limit. 1. num. 11.* vel saltem non concessisset gratiam eo modo, quo concessit, sed posuisset moderamina. *Barbosa in l. 1. par. 1. num. 85. ff. soluto matrimonio.*

Notandum secundò ex taciturnitate qualitatis, quam iura specialiter exprimi iubet, reddi gratiam subreptitiam, quamuis constet, fore, vt ea expressa, Princeps eadem facilitate gratiam concessisset. Et ratio est, quia iura exigunt pro forma talium qualitatum expressionem: forma autem ad vnguem obseruanda est, etiam in minimis. *l. 1. vbi Bald. ff. de lib. & posthum. c. si moto proprio, 23. de præbend. in 6.*

Ignorantia excusat à culpa. Ignorántia solùm excusat à culpa. *Ita glossa in d. c. si motu proprio, in verb. taceatur, vbi Archid. num. 2. in eodem verb. taceatur. Decius in cap. super litteris, 20. num. 18. de rescriptis.*

Iura autem tunc apparet iubere exprimi qualitatem aliquam; vel quando hoc specificè & expressis verbis iubent, vel quando prohibent ne aliquod delictum remittatur, vel ne dispensetur in aliquo casu; vt docent *DD. in l. 3. C. de Episc. audien.* asserẽdo *ex §. fin. dictæ l. 3.* in remissione secundi homicidij necessariò faciendam esse mentionẽ primi homicidij, vt delictum semel tãtùm remittatur. *Et Nauar. extrau. de datis, & promissis pro gratia obtinenda, notab. 3. num. 48. corollario 4. & lib. 1. cons. tit. de constit. cons. 1. q. 19. num. 53.*

Idemque dicendum de ijs, quæ ex stylo Curiæ exprimi solent. Stylus enim Curiæ habet vim legis. *cap. quam graui, 6. de crimine falsi. l. minimè, 23. ff. de legibus. Decius in rubr. de consuetud. num. 15. Sanch. de matrimon. lib. 8. disput. 21. nu. 16.*

Nec spectandum est, an Princeps, illa expressa, fuisset gratiam similiter concessurus. *Mascard. de probat. cõcl. 1317. num. 51. Menoch. de arbitr. lib. 2, centur. 3. casu 201. n. 28.*

Neque audiendus videtur *Henriquez,* qui *lib. 12. de matrim. cap. 3. num. 7.* ait, hoc solùm habere locum in foro externo, non autem in foro conscientiæ. Forus enim conscientiæ, & forus externus idem seruant, vbi non est falsa præsumptio, & lex non est *Forus conscientiæ & externus idem seruant.*

pœ-

pœnalis *Sotus lib. 4. de iustit. q. 5. art. 3. vers. 4. arguitur. Couar. in c. cùm esses, nu. 7. de testam. Sanch. de matrimon. lib. 8. disput. 5. nu. 20. vers. tandem probatur.*

Notandum tertiò, quòd taciturnitas qualitatis neque de iure, neque de stylo Curiæ, neque de consuetudine Principis, exprimendæ, non vitiat gratiam; nisi quando illa qualitas sit talis, vt sine illa Pontifex, vel M. P. gratiam illam vel non concessisset, vel non absolutè concessisset, sed quibusdam moderationibus adhibitis.

Idemque dicendum de qualitate, quæ sit solùm causa impulsiua ad faciliùs concedendam gratiam, & sine qua difficiliùs concederetur, *c. dudum,* 14. *§. nos igitur, vbi glos. in verbo, de ipsa, de præben. in 6. c. fin. de filijs presbyt. in 6. c. postulasti, 27. de rescript. vbi Dec. notab. 4. n. 11. l. cum tale, 71. §. falsam causam, ff. de condit. & demonstrat.* vbi dicitur, tunc vitiari legatum ex causę defectu, quando probatur fore, vt cognita veritate, testator non legasset: ergo à fortiori, idem dicendum in gratijs, & dispensationibus, quę non omninò gratuitæ sũt, sed ad Principis officium spectãt, in quibus concedendis, aut denegãdis, ratione ipsum duci oportet. *Ita DD. communiter in c. post translationẽ, 11. de renũc. c. etsi Christus, 26 de iureiur. cap. cùm cessante, 60. de appellat. l. si mulier, 25 C. de iure dotiũ, l. 1. §. sexum, ff. de iureiur. Innocent. in c. dudum, 54. n. 15 de elect. Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 21. num. 11.*

Notandum quartò, quòd qualitates, quæ possunt mouere Principẽ ad aliquid denegandum, sunt in duplici differẽtia. Aliquæ enim sunt qualitates extrinsecæ, id est, non spectãtes ad id, super quo obtinetur gratia, vel dispensatio. Has autem qualitates tacere non vitiat, neque irritat gratiam, vel dispensationem: quãuis, illis expressis, Princeps gratiam non concessisset. *Sanch. de matrim. loc. cit. n. 18. in fin.* Aliæ qualitates sunt intrinsecæ, id est spectantes ad id, circa quod obtinetur gratia, vel dispensatio. Hæ autem qualitates tunc solummodò exprimendæ sunt quãdo sunt causa finalis concessionis.

Quando verò qualitas sit huius generis, quod conducat ad gratiam, vel dispẽsationem obtinendam, relinquitur iudicandum arbitrio prudentis viri: si tamen id neque ex iure, neque ex stylo Curiæ, aut consuetudine Principis colligatur. *Ita Panor. in c. constitutus. 6. n. 5. de relig. dom. Felin. in*

in c.cæterum.3.n.4. de rescript. Couarr. variar.resolut. c. vlt. n.5 .verſ.falſitas.Nauar. in c.ſi quando,except.3.n.3.de reſcr.

Si verò dubitetur, an cauſa in diſpenſatione,vel alijs gratijs tacita vel falsò expreſſa, ſit finalis, an impulſiua; aliqui exiſtimant eſſe finalem. Ita *Panorm. in c.quia circa,6.n.6. in fine, de conſang. Bald. conſ. 355.præmittendum,n.2.vol.1. Barthol.Soc. conſ. 273. in præſenti conſultatione,n.11.vol.2. Molin.1.tom.de iuſtit. tract.2. diſput. 173. propè medium, verſ.hinc colligitur. Tiraquell. tract.ceſſante cauſa. limitat.1. nu.21. cum alijs ſequen.&c.*

Cauſa in dubio cenſetur impulſiua.

Contrariæ autem opinioni, vt probabiliori, faciliùs ſubſcribo: videlicet,in dubio cẽſendam eſſe cauſam impulſiuam,non autem finalem: & propterea, illa tacita, vel falſo expreſſa,non vitiari diſpenſationem & gratiam.Et moueor primò ratione, quia iura maxime fauent validitati actus, & in dubio illum præſumunt validum.*c.Abbate.25.de verb. ſignific.l.quoties, in actionibus. 13. ff. de rebus dubijs.*

Secundò moueor authoritatibus tot infraſcriptorum Doctorũ,*Dini in reg.decet, in fin.de reg. iur.in 6.* & ibi *Bald. in addit.ad Io. Andręam,& in l.generaliter,nu.3.C. de Epiſc. & cler.Corn.conſ.153. in præſenti cõſultatione,nu.12. vol.2. Staphylæi de litteris gratiæ, tit. de vi & effectu clauſularum in 1.nu.6. Rebuff. in concord.in forma mandati Apoſtolici,paulò poſt principium.verb. morũ honeſtas,verſ.in dubio.Cordub. in ſumma, q.45.opin.1 puncto 1.in 2. ratione. verſ. Tabien. confirm.* qui aiunt ob cauſam in omnibus gratijs,ac priuilegijs inſertam,ſemper in dubio nullatenus vitiari gratiam ob eius defectum aut falſitatem. Atque idem tuentur in legatis & donationibus.*Gloſſ. in l.2.de donationibus. Euerardus loc.à ceſſatione rationis, nu. 5. Menoch.conſ 106.nu.92.vol.2. Sanch. de matrim.loc.cit. n.20.*

Gratia in dubio cenſetur valida.

Atque ita exiſtimo,diſpenſationem,& gratiam in dubio cenſendam eſſe validam,& nõ ſubreptitiã, etiãſi dubiũ proueniat ex eo,quòd dubitetur, an ſatis fuerit probata veritas narratorum,&c. Ita *Riminald. conſ. 275.nu. 17.volum. 3. & conſ.262.nu. 26.cum ſequen. volum. 5. Bentius tract. de nullit. ſentent.tit. qualiter ſentent. & proceſſus, qui dicuntur nulli,nu.127. & d. c.Abbate, & d. l. quoties.*

Taciturnitas veritatis notoriæ nõ vitiat.

Notandum quintò, quòd taciturnitas veritatis notoriæ quam præſumitur Papa, vel M. P. nouiſſe, non vitiat gratiam.Ratio eſt, quia illam tacere non inducit ignorãtiam,

ac

ac defectum intētionis. *Felin. in c. in nostra*. 32. *nu*. 15. *coroll*. 7. *de rescrip*. *Cassad. decis*. 16 *nu*. 2. & 3. *de praben. Sanchez loc. cit. nu*. 27.

Idemque dicendum est de veritate, quæ de iure inest. *Dec. in c. sedes*. 15. *nu*. 22. *de rescript. Felin. loc. cit. coroll*. 4. *num*. 4.

Collige igitur ex præmissis, quòd taciturnitas veritatis, seu expressio falsitatis, siue ex ignorantia, siue ex malitia propria, vel aliena, id est Curialis, vel Solicitatoris causæ, tunc reddunt gratiam subreptitiam, quando illæ sunt causæ finales, ob quas fuerint cōcessæ huiusmodi gratiæ. *Dec. c. super litteris*. 30. *notabili* 3. *num*. 9. & *c. constitutus*. 29. *de rescriptis. c. si motu proprio*. 23. *vbi Anchar. num*. 3. *notabili* 3. *de praben. in* 6. Et ratio est, quia ad validitatem huiusmodi gratiarum attenditur intētio concedentis, à qua vires assumunt, non autem spectatur ignorantia, vel malitia impetrantis.

Aduerte, quòd, si taciturnitas veritatis, vel expressio falsitatis solum fuerunt causa, vt gratia fuerit concessa in ampliori forma præter formam iuris communem; tali casu remanet gratia valida in forma communi iuris. *d. c. super litteris, de rescriptis. Sanch. de matrim. lib*. 8. *disput*. 21. *num*. 53.

Non obstat *cap. gratia*, 8. *de rescript. in* 6. vbi dicitur, quòd ignorantia excuset, & propterea possit retineri vtrumque beneficium, dūmodò sint inuicem compatibilia. Nam respondeo, quòd taciturnitas primi beneficij non fuit causa finalis, propter quam Papa contulit secundum beneficiū, sed bonæ qualitates & virtutes impetrantis induxerunt Papam ad concedendum secundum beneficium: & propterea, si fuisset facta mentio, quòd impetrans haberet aliud beneficium, Papa similiter ei secundum beneficium cōcessisset, licet non ita facile. Præterea impetrans non habebat ius in primo beneficio, sibi absenti & ignoranti collato. *c. si tibi absenti*. 17. *de preb. in* 6. sed tātùm habebat ius ad illud, ideò ignorantia excusat.

Aduerte secundò, quod si taciturnitas veritatis, vel expressio falsitatis ex ignorantia fuerunt solummodò causa finalis vnius partis gratiæ, illam solùm reddent subreptitiam, & aliæ partes remanebunt validæ. *d. cap. super litteris*. & *cap. si eo tempore*. 10. *de rescript. in* 6. Quod intelligendum est de ignorantia crassa, dummodò non sit ingens temeritas.

Idemque

Idemque dicendum, quando subreptioni causam dedit Curialis, & Solicitator causæ. *d. cap. super litteris, verb. in sua peruersitatis*. Ergo non alienæ. *Sanch. loc. cit. nu.6.*

Limita, nisi aliæ partes dependeant ab illa parte subreptitia, tanquam accessoria; hoc enim casu etiam aliæ partes corruunt. *Panor. in d.c. sedes, n.4. de rescript. & ibi Felin. n.2. Franc. in d.c. si eo tempore, num.4. de rescriptis in 6.*

Idemque dicendum, quando taciturnitas veritatis, & expressio falsitatis sunt dolosæ, & rescriptum cōtinet plura capita separata, & non habentia inter se connexionem, nisi merè accidentalem. Ratio est, quia hæc irritatio est in pœnam doli, & malitiæ. *d. cap. super litteris*. Ergo non est extendēda vltra casum in dicto textu expressum.

Præterea, cùm sint diuersæ gratiæ absque vlla connexione, cēsentur virtualiter diuersa rescripta, & quòd omninò per accidens, & materialiter tantùm faciant vnum. Nihil ergò confert subreptio circa vnam gratiam ad alterius irritationem. *Decius in d. cap. super litteris, notab.1. num.7. & 18.* Vt si, v.g. quis simul obtineat in eodem Diplomate à M. P. dispensationem à voto Religionis, & à voto Peregrinationis, subreptio autem sit quoad votum Peregrinationis ob allegatam falsam causā; nihilominùs dispensatio quo ad votum Religionis erit valida, quia causæ allegatæ ob votum Religionis, sunt veræ, & sufficientes ad impetrandam dispensationem.

Aliqui tamen limitant hoc dictum, quando rescriptum gratiæ, vel iustitiæ habet quidem diuersas partes, quæ ad eundem effectum tendunt; vt si quis velit contrahere matrimonium cum consanguinea, & propterea obtineat à Sede Apostolica dispensationem super gradu consanguinitatis cum falsa causa, & dispensationem super voto Castitatis cum vera causa: hoc enim casu volunt, rescripta, & gratias huiusmodi censeri vnum, quia sūt ad eundem effectum, eundemque finem respiciunt, id est, matrimonium. *Decius d. cap. super litteris, notab. 1. nu.7. & 18. Sanch. de matrim. lib.8. disp.21. num.72.* Et propterea, vno irrito, etiam aliud censeri irritum.

Sed quid sit in foro externo, non est huius loci explicare: in foro autem conscientiæ non existimo esse irritam dispensationem obtentam super voto Castitatis cum vera causa. Nam dispensatio super voto Castitatis ob stimulos carnis

carnis fuit concessa, & non intuitu talis matrimonij simpliciter. Maior enim Pœnitentiarius intēdit huiusmodi dispensatione consulere incontinentiæ, & saluti animæ voventis, cum debito coniugali simpliciter, & nō cum debito coniugali præstādo à tali muliere, vt patet expresse; si enim vouens petijsset dispensationem, allegando pro causa matrimonium contrahendum cum consanguinea, nullo modo eam impetrasset, sed allegando periculum incontinentiæ, statim illam obtinuit. Ex quo aperte colligitur, causam intrinsecam & finalem huius dispensationis fuisse periculū incontinentiæ, & non tale matrimonium: ac proinde talis dispensatio cēsenda est secundùm stylum, & consuetudinem M. P. ad cōtrahendum matrimoniū simpliciter cum qualibet muliere sibi benè visa, cum qua non intersit impedimentum canonicum, vt euitetur incontinentiæ periculum. *argum. d. c. quàm graui, de crim. falsi.* vbi dicitur, quòd stylus Curiæ ius faciat, & propterea secūdùm illum iudicādum est. Et quòd in huiusmodi causis attendenda sit consuetudo Principis concedentis, apertè affirmant *Panorm. in c. constitutus, 6. de relig. domibus. & in c. ex conquæstione,* 10. *num.* 5. *de restitut. Spoliat. Felin. in d. cap. cæterum, nu.* 4. *de rescript. Couarr. variarum resolut. cap. vlt. num.* 5. *vers. falsitas. Nauar. in c. si quando, except.* 3. *num.* 3. *de rescript.* Quòd verò talis sit stylus officij S. P. colligitur ex tenore verborum ipsius Diplomatis desuper emanati, vbi simpliciter legitur: *Ad hoc tantùm vt matrimonium contrahere licitè possit*, & non legitur, cum tali muliere; & si fortè apponatur occasione alterius dispēsationis super gradu aliquo obtentæ; potiùs est tribuendū incuriæ Procuratoris, vel Scriptoris, quàm M. P. intentioni vt ego ex certa scienti, & experientia quatuordecim annorum collegi, & scio.

Stylus Curiæ ius facit.

Aduerte tertiò, duplicem esse effectum dispensationis, videlicet proximum, & vltimum: mediatum, & immediatum. Effectus proximus, & immediatus est, remotio impedimenti, id est ablatio vinculi legis impedientis rem fieri: vltimus, & mediatus est opus illud, ad quod faciendum conceditur dispensatio, vt est suscipere ordines, contrahere matrimonium, & similia.

Duplex effectus dispensationis.

Effectus hic vltimus est aliquando indiuisibilis; & licet pluribus constet partibus, tamen talis est naturæ, vt commodè diuidi non possit, vt est

matrimonium, &c. non enim commodè diuidi poteſt, vt is, cum quo diſpenſatur ad contrahẽdum, vtatur per aliquod tempus matrimonio, & per aliud non vtatur.

Aliquando verò eſt diuiſibilis, quando ſcilicet diuidi commodè poteſt, vt eſt diſpẽſatio ad edendas carnes tempore Quadrageſimæ, ad non recitandum Diuinum Officiũ, & ſimilia. *Sanch. de matrimonio, lib.8. diſp.30. num.6.* His poſitis,

Diſpenſatio ceſſat ceſſante cauſa finali.

Dicendum primò eſt, quòd ceſſante cauſa finali diſpenſationis, ceſſat etiam diſpenſatio: ſecùs verò eſt, ſi ceſſet cauſa impulſiua. *Ita gloſ. in regul. Decet.16. in verb. decet, de reg. iuris in 6. & ibi Dinus, num.3. Ripa in l. ex facto, 43. num.15. verſ. & ſi replicauerit, ff. de vulgari. Tiraquel. in tract. ceſſante cauſa. limit.1. n.18. Couarruu. lib.1. variar. reſolut. cap.20. num.5.*

Quod intellige, quando omnino ceſſet cauſa finalis: ſecùs enim eſt, ſi aliquid cauſæ præfatæ remaneat. In moralibus enim non requiritur eadem omninò cauſa ad opus faciendum, & ad illud cõſeruandum poſtquam factum eſt: minor enim cauſa deſideratur ad licitum conceſſionis vſum, quã ad ipſam conceſſionem. Quia faciliùs quis reijcitur ab obtinendo, quam ab obtento. *c. ſuper his, 16. de accuſationibus.* Præterea, expedit bono publico, vt ſcrupuli excludantur, & beneficia Principis maneãt. *d. regul. decet, de reg. iur. in 6.* & non ita facilè valore ſuo deſtituantur, atque ita exponatur periculo valor rei faciendæ. In dubio autem, an ceſſauerit omninò dicta cauſa; ſtat poſſeſſio pro diſpenſatione, vbi ſemel valida fuit, vt ſupra diximus.

Poſſeſſio pro diſpenſatione in dubio.

Dicendum ſecundò, quòd ſtante vltimato effectu diſpenſationis, qui nec commodè diuidi poſſit, nec partim reuocari; non ceſſat diſpenſatio ob ceſſationem cauſæ finalis: & hæc cenſetur mens concedentis, vt multa, & grauia impediantur mala, v. g. ne ille, cum quo fuit diſpenſatum ſuper voto Caſtitatis ad effectum contrahendi matrimonium ob ſtimulos carnis, his ceſſantibus, exponatur proximo periculo peccandi contra votum, ſi petat debitum, vel diſcedendi ab vxore cum magno damno familiæ, ne maneat in periculo votum tranſgrediendi. Idemque eſſet in irregulari, qui vigore diſpenſationis ſuſcepit Subdiaconatum, ſi, ceſſante poſtea cauſa finali, nequiret ad vlteriores ordines promoueri, cum ex altera parte retrocedere nequeat,

Diſpenſatio quando non ceſſet ad ceſſationẽ cauſæ finalis.

queat, & alium statum assumere. *Sanch. de matrimon. lib.* 8. *disp.* 30. *num.* 10.

Gratia in fieri quãdo cessent.

Dicendum tertiò: Cessante causa finali, cessant gratiæ, quę sunt in fieri, & adhuc non sunt consequutæ suam vltimã perfectionem. *cap. si pauper*, 30. *de præben. in* 6. *arg. l. item quia*, 4. §. *huius rei*, *ff. de pactis*. *Sanch. de matrim. lib.* 8. *disp.* 30. *num.* 12. qui dicit, hãc esse sententiam ferè omnium Doctorum. Sed gratiæ, & dispensationes à Papa, vel à M. Pœnitentiario concessæ in forma commissoria, sunt in fieri, donec ordinarius, vel Confessor virtute illarum habilitet, vel dispenset. *Couarr. in* 2. *par. c.* 6. §. 9. *de dispensat. num.* 11. *Paris. consil.* 53. *lib.* 4. *Nauarr. lib.* 4. *consil. in* 1. *edit. consil.* 7. Ergo, cessante causa finali, etiam illæ cessabunt, quando adhuc Ordinarius, vel Confessor vigore mandati de habilitando, vel dispensando sibi transmissi non habilitauerit, vel dispensauerit. Ratio est, quia mandatum cessat, cessante illius causa finali. *d. cap. si pauper, de præben. in* 6. *& ibi glos. in verb. cesset. Tiraquell. in tractatu, cessante causa, in princip. num.* 180.

Mandatum cessat cessante causa finali.

Dicendum quartò. Gratiæ, & dispensationes, quæ licet in se fuerint perfectæ, non tamen sortitæ sunt suum effectum, si cesset causa finalis, propter quam fuerunt concessæ; etiam ipsæ cessabũt, quo ad effectum, qui non est in esse, vel, si est in esse, potest tamen commodè diuidi. *cap. generaliter*, 16. *quæst.* 1 *cap. tuæ.* 12. *de Cleric. non resid. c. Abbate*, 25. §. *fin. de verb. sig. l. ex facto*, 43. *in princip. ff. de vulgari:* & colligitur ex *l. Vranius*, 77. *vers. sed cùm duo. ff. de fideiussoribus, & mand.* vbi dicitur cessare obligationem fideiussoris adueniente causa, per quam non potuisset illa incipere. Ergo, à pari ratione, gratiæ, & dispensationes commissariæ cessabunt, & effectum non habebunt, quando adueniet cessatio causæ finalis, per quam cessationem, si à principio fuisset, non illa concederentur. *glos. in d. l. Vranius, verb. remaneant*.

Secundò probatur: si ius commune cessat, cessante causa finali; ergo multo magis debent cessare gratiæ, & dispensationes, quæ sunt ius particulare, & priuatum. *Sanchez loc. cit. num.* 14.

Ius commune cessat cessante causa finali.

Dicendum quintò: Si cessat causa finalis, antequam dispẽsatio exequutioni mandetur, & postea reuiuiscat tempore exequutionis; satis est, vt dispensatio nõ corruat: & probatur à pari ratione. Sicut ad acquirendam hereditatem suffi-

cit capacitas hæredis, tempore conditi testamenti, mortis testatoris, & aditionis hæreditatis, nec de medio tempore curatur. *l. si alienum* 49. §. *in extraneis, ff. de hæred. instit. l. cum oportet*, 54. *vbi glos. in verbo, pertineat, ff. de legat.* 2. *Molina lib.* 3. *de primogen. c.* 2. *nu.* 18. *cum sequen.* Ita dicendũ de dispensationibus, &c. Et licet dispensatio semel cessans, vires recuperare nequeat, nisi à Papa iterùm concedatur; attamẽ præsumendum est, quòd in tali casu mens concedentis sit, ne illa cesset ita, vt valore suo destituatur, redeunte eadem causa; sed solùm remaneat suspensa, non autem cassata. *Sanch. loco citat. num.* 17.

Dicendum vltimò est, quòd clausula, *quatenus, si est ita*, id est, quatenus preces veritate nitãtur, intelligitur, præsertim de tẽpore Datę: nam Data in litteris Apostolicis, &c. consideräda semper est. *c. eam te.* 7. *& c. constitutus*, 26. *de rescript. vbi glos. in verb. data litterarum. c. si aliquando*, 12. *de sentent. excomm. c. quia circa*, 6. *de consang. & c. si eo temtempore*, 10. *de rescriptis in* 6. Ideò Ordinarij, & Confessarij, quando habent exequi litteras à Sede Apostolica, vel à M. P. emanatas ad fauorem alicuius; animaduertere hoc præcipué debent, ne contingat eos facillimè decipi, & nulliter commissiones sibi demãdatas exequi: si enim tempore Datæ preces veræ non sint, gratia est nulla, vt ex textibus præcitatis apertè colligitur, & ex communi Doctorum sententia apparet.

Dictum latorem, audita priùs sacramentali Confessione, à trãsgressione huiusmodi absoluas, &c. De latore, & de auditione sacramẽtalis Cõfessionis, in præcedenti formula satis diximus, nec aliquid addendum censeo. De transgressione similiter sufficienter locuti sumus in principio huius formulæ: ideò de postrema huius clausulæ parte verba faciamus, videlicet, *Absoluas hac vice.*

Absolutio deriuatur à verbo *Soluo*, quod græce ἀπολύω quod significat, ligatum dissoluo, & propterea absolutio generaliter sumpta est idem ac impedimenti, seu vinculi ruptio, seu remotio. *Tabien. in sum. verb. absolutio*, 1. *num.* 2. *Armilla in verb. absolutio.*

Et quia ad ruptionem seu remotionem vinculi requiritur authoritas in remouente, & rumpente supra vinculum, quod rũpitur, & supra impedimentum, quod remouetur; tot

tot modis dicitur absolutio, quot modis reperitur authoritas relata ad aliquod vinculum. Ista autem authoritas est multiplex: videlicet, corporalis, qua soluitur vinculum corporale, iuxta illud Euangelij, *Vnusquisque vestrum soluit asinum, &c.* Iudicialis, qua disceptantium difficultates, & delicta soluũtur: & hæc est duplex, videlicet, sæcularis, & spiritualis. Sæcularis est, qua vtuntur Iudices seculares, absoluendo reos in foro iudiciario: spiritualis verò authoritas adhuc est duplex, id est, vna iurisdictionis respectu excommunicationis, & alia ordinis & iurisdictionis respectu peccatorum in sacramentali confessione; hæc vltima absolutio pertinet ad forum pœnitentialem, quæ à sacerdotibus solum potest impendi. *c. canonica*, 50. *de sent. excomm.* Illa verò prima ad forum contentiosum, & demãdari potest Diacono, & alijs Clericis. *Glos. in c. pastoralis*, 11. *in verbo, præterquam in mortis articulo, in fin. de officio ordinarij. Sylu. in summ. verb. absolutio* 1. *in principio. Summa Angelica, Armilla, Tabien. in verbo, absolutio.*

His præmissis, dicendum est, quòd M. P. hoc loco de absolutione spectante ad forum pœnitentialem loquitur: nam materia, super qua cadit hæc nostra absolutio, est peccatum mortale: qui enim vouit Religionem ingredi, si postea cõtrahat matrimonium, violat fidem Deo datam per votum in re graui, transgreditur que votum in re graui. *c. in multis*, 27. *q.* 1. quia se constituit in statu incõpossibili cũm exequutione voti. Insuper, si matrimonium cõsummet, adhuc grauiter peccat, cùm ante consummationem esset illi etiam voti exequutio licita & possibilis. *c. verũ*, 2. *de conuers. coniug.* Nam licet alteri coniugi ante consummationem matrimonij ingredi Religionem, etiam altero coniuge inuito, & reluctante.

Ideò ea est seruanda forma absolutionis, quam Ecclesia seruat in foro interiori pro peccatis occultis, iuxta Rituale Romanum de Sacramento Pœnitentiæ: videlicet. *Dominus Iesũ Christus te absoluat, & ego authoritate ipsius, & Sanctissimi Domini Nostri Papæ N. mihi concessa, absoluo te in primis ab omni vinculo excommunicationis & interdicti, in quantũ possum, & tu indiges: deinde ego te absoluo à peccatis tuis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.* Si aliquis verò vellet superaddere, *à transgressione huiusmodi*, posset: sed non existimo necessarium,

sarium, immò superfluum credo; nam forma cadit super materiam à pœnitente subministratam, quę est peccatorum numerus narratus, sub quo comprehenditur ista transgressio.

Iniuncta ei pœnitentia salutari, &c. Quia peccatis debetur pœna satisfactoria. *c. hoc ipsum, 33. quaest. 2. cap. miror autem, de pœnit. dist.* 1. Ideò M.P. mandat Exequutori huiusmodi Breuis, vt præsenti trāsgressori voti, imponat pœnitentiam salutarem, quæ debet commensurari peccatori, peccato, & fini, ob quem imponitur.

Debet primò commensurari peccatori: nam diuersa est imponenda pœnitentia peccatori robusto, & peccatori infirmo, vel peccatori indeuoto, de quo facilè dubitari potest, an magnam pœnitentiam, si ei imponatur, persoluturus sit.

Secundò, debet commensurari peccato. Sicut enim datur maius, & minus in peccatis, ita etiam maior & minor pœnitentia imponenda est, secundùm qualitatē peccati.

Tertiò, debet conuenire fini, ob quem imponitur, id est saluti animæ, vt per pœnitentiam excidantur peccatorum occasiones.

Quia verò hodie pœnitentiæ omnes sunt arbitrariæ, consideratis personarum circumstantijs. *cap. mensuram, 86. de pœnit. dist. 1. cap. tempora pœnitudinis, 26. q. 7.* Ideò M.P. suarum litterarum Exequutoris arbitrio relinquit qualitatem pœnitentiæ iniungendæ, nec præscribit aliquam particularem.

Pro huiusmodi pœnitentijs computantur orationes, eleemosynæ, & ieiunia: sub quibus veniunt omnia opera pœnalia, & corporis afflictiua.

Ipsumque, si aliud canonicum non obstet, in dicto Matrimonio remanere, & debitum, &c. Qui vouit Religionem ingredi, non tenetur ad seruandam castitatem, nisi post emissam professionē: & si matrimonium contrahat, tenet matrimonium, & non est cogendus illud rescindere. *cap. meminimus, 3. qui Clerici vel vouentes matrim. contrah. poss.* Vouens enim vnum statum, non tenetur ad onera illius, nisi postquàm dictum statum assumpserit: Votum verò ingrediendi Religionem, & professionem in ea emittendi, non habet pro materia castitatem, sed statum, in quo vouenda est castitas. *Ita Suar. lib. 4. de voto, cap. 7. n. 15. verſ. aliud exemplum. Caiet. 2. 2. q. 80.*

q.89.art.3.& q.147.artic.4. Armilla, verb. debitum coniugale, nu.14. Ideo iure optimo M.P. mandat declarari, voti huiusmodi transgressorem licitè remanere, & debitum cōiugale reddere & exigere posse in suo matrimonio, addendo tamen, *Si aliud canonicum non obstet.* Nam, si aliud canonicum impedimentum existat inter coniuges, secùs dicendum erit. *d.c.meminimus.*

Quæ autem sint impedimēta, quæ obstent validitati matrimonij, paucis modò attingam, vt suis loco & tempore de vnoquoque impedimento verba faciam. Pro nūc, sciendū est, sex esse, quæ impediūt matrimonium cōtrahendum, sed non dirimunt: videlicet, Interdictum, Sponsalia, Catechismus, Votum simplex, & crimen Incestus, Vxoricidij, Parricidij, Raptus alienæ spōsæ, Matrimonij scienter contracti cum Moniali, fraudulosæ susceptionis proprij filij in baptismo, seu Confirmatione, Pœnitentiæ publicæ.

Impedimenta matrimonii.

Illa vero, quæ non solùm impediunt cōtrahendum matrimonium, verùm etiam dirimunt contractum; sunt tredecim: videlicet, error personæ, conditio seruilis, votum solemne, cognatio spiritualis, & legalis, crimen vxoricidij, vel homicidij mariti, & adulterij cum promissione futuri matrimonij, cultus disparitas, vis, ordo sacer, ligamen alterius matrimonij, publica honestas, cōsanguinitas & affinitas, impotentia coeundi perpetua: de quibus omnibus singillatim aliquid attingam, dum singulas formulas dispensationum matrimonialium infra explicabo.

In foro conscientiæ, &c. Hæc clausula eodem modo intelligenda est, quo supra in alia pręcedenti formula explicauimus.

Ita quòd, si vxori superuixerit, eodem, &c. Ista clausula est adeò clara, vt nō multum laborandum sit pro illius explicatione. Nam per subsequens matrimoniū non tollitur præcisè votum, sed illius exequutio suspēditur. *c.ex parte.9.de conuers.coniug.* & ideò, si præmoriatur vxor; qui antea vouerat Religionem ingredi, non potest aliam vxorem accipere; sed tenetur adimplere votum. *d.c.ex parte. Ita Hugo, & Archid.in c.de eo.30.q.1.& c.antiqui.33.q.2.*

Et ita illum moneas, &c. Hæc admonitio pręmittenda est, ne trāsgressor allegare possit ignorantiam, sub prętextu quòd per huiusmodi absolutionem & declarationem fuerit omninò liberatus à voto.

PRO TRANSGRESSORE
SIMPLICIS VOTI CASTITATIS,
Ad effectum remanendi in Matrimonio.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs Votum Castitatis emisit, & deinde matrimonium cum muliere eius ad præsens vxore in facie Ecclesiæ contraxit, & successiue consummauit. Cùm autem, &c. Lator præfatus in dicto matrimonio remanere, & debitum coniugale exigere licitè posse desideret, pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. Quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita priùs ipsius sacramentali Confessione, à transgressione huiusmodi absoluas hac vice, &c. iniuncta ei pœnitentia salutari: ipsumque, si aliud canonicum non obstet, in dicto Matrimonio remanere, & debitum coniugale reddere posse, & debere, declares: & nihilominus, si de Latoris incontinentia probabiliter timendum esse repereris, cum eodem vt debitum coniugale etiam exigere licitè valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiæ, & in ipso actu sacramentalis Confessionis tantùm, & non aliter, &c. Ita quòd, si vxori, &c. eodem voto teneatur, vt priùs, &c.

Votum solemne castitatis dirimit matrimonium contractum.

Votum solemne castitatis non solùm impedit matrimonium contrahendum, verùm etiam dirimit contractum. *cap. vnico, de voto in 6. cap. consuluit, cap. si quis, cap. in mult. tis, 27. q. 1. & notatur in cap. rursus, 6. cap. veniens, 5. cap. insinuante, 7. vbi Innocent. qui Clerici, vel vouentes, &c. & causa, 27. q. 1. per totam*. & super hoc voto solemni M. P. dispensare nequit.

Simplex verò votum Castitatis impedit quidem matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum. *dictis cap. veniens, & alijs supra cit.*

Licet enim votum solemne, & votũ simplex Castitatis æqua-

æqualiter dirigantur in Deũ. c. *magnæ, 7. de voto*: attamen Ecclesia noluit statuere, vt matrimonium contractum post votũ simplex nõ teneat, sitque inualidum, sicut statuit de matrimonio cõtracto post votum solemne. Ita communiter tenent *Canonistæ in dictis c. rursus, c. veniens, & alijs supra cit. tit. qui clerici, vel vouentes*.

Quòd vero votum solemne, & votum simplex æqualiter dirigantur in Deum, patet: quia quoad vinculũ obligationis æquè diriguntur ad Deum: quoad efficaciam obligationis, æqualiter vtrũque obligat: quoad tempus, perpetua est vtriusque obligatio: quoad peccatum, æquè vterque peccat contraueniens voto: sed contraueniens voto solemni grauiùs punitur. *c. si vir. dist. 27. c. de virginibus. 27. q. 4. c. 1. de voto in 6.* & votum solemne non solùm dirimit matrimonium postea cõtractum; verum etiam dirimit matrimonium precedens, nisi fuerit consummatum copula. nã si fuit matrimoniũ cõsummatum copulà, non dissoluitur, *c. ex publico, 7. & c. quidã, 4. de conuers. coniugat.*

Ratio huius disparitatis benè allegatur à *S. Th. in 4. dist. 38. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2.* Nã per votũ solemne quis actualiter tradit Deo suum corpus ad continentiam perpetuam seruandam, & sic actualiter à se transfert dominiũ sui corporis & tradit Deo; & ideo nõ potest alteri illud tradere.

Per simplex verò votum promittit solummodò suum corpus ad continentiam Deo seruandam, non autem tradit actualiter: & ideò, si postea per matrimonium tradat actualem potestatem sui corporis vxori; validè tradit, cùm potior sit cõditio possidentis. *c. nulli dubium, 12. q. 5. l. si debitor. 10. ff. de pignoribus.* Et super voti huiusmodi transgressione M. P. dispensat per præallegatam formulam.

Possidentis potior conditio.

Pro intelligentia dictæ formulæ, duo tantùm remanent declaranda; reliqua enim omninò conueniunt cum alia præcedenti formula trangressionis voti Religionis.

Ipsumque in dicto matrimonio remanere, & debitum coniugale reddere posse, & debere, declares &c. Cùm simplex votum Castitatis nõ inualidet matrimonium, sed solùm impediat, vt supra probauimus ex *cap. rursus, 6. qui Clerici, vel vouentes*; ideò M. P. mandat huiusmodi litterarum suarum Exequutori, vt declaret transgressorem posse licitè remanere in matrimo-

nio

nio sic contracto, & teneri ad coniugale debitum reddendũ suæ vxori; nam contrahendo matrimonium tradidit actuale dominium sui corporis vxori. *c. vna sola, 33. q. 5. c. si vir, & vxor. & c. scripsit. 27. q. 2.* nec potest vxor inuita suo spoliari dominio. *d. c. ex publico, de conuers. coniug. glossa in c. Agathosa, 27. q. 2. & in d. c. quidã, & in c. placet. 12. de conuers. coniug.* Et ideò de mariti sui corpore disponere valet ad libitum, iuxta modum à lege præscriptum, *d. c. quidam, & c. placet, de conuers. coniugat.*

Nihilominus, si de Latoris incontinentia probabiliter timendum esse repereris; cum eodem, vt debitum coniugale etiam exigere licitè valeat, misericorditer dispenses. Qui contrahit matrimonium post simplex Castitatis votũ à se emissum, non potest exigere debitum coniugale, *d. c. quidam, & c. placet, de cõuers. coniugat.* nam tenetur, quantũ in se est, seruare votũ in ijs, in quibus non est factus impotens. *S. Thom. in 4. senten. dist. 38. q. 1. art. 2. q. 2. in fin. Syluest in sum. verb. debitum coniugale, n. 11. gloss. in dict. c. Agathosa.* Et si exigit, grauiter pecca, & toties peccat grauiter quoties exigit: nam semper tenetur seruare votum in ijs, in quibus non est factus impotens. Et ideo eget dispensatione, si vult legitimè coniugale debitum exigere.

Dispensatio autem in voto non conceditur absque iusta, & legitima causa. *Sot. tit. de voto & voti redempt.* Quæ sint causæ legitimæ pro dispensationibus obtinendis, inferiùs attingam, dum de formulis dispensationũ matrimonialium verba faciã; simulq; explicabo, quid sit dispensatio. Pro nũc sciendum est, quòd dispẽsatio est rigoris iuris misericors relaxatio. *c. requiritis. §. nisi rigor. 1. q. 7. Speculat. in tit. de dispensation. in princip. & DD. communiter in d. c. requiritis.* Dicitur, *relaxatio*, id est concessio, vt aliquid licitè fieri possit contra iuris præscriptum. *Dispensatio quid sit.*

Dispensatio autem non debet fieri sine causa, sed cum causa, videlicet, quando adest honor Christi, vel vtilitas Ecclesiæ, quæ est eius corpus. *c. 1. de voto & voti redemptione. S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 3.* Et sub nomine vtilitatis Ecclesiæ venit etiam vtilitas membri dicti corporis, qualis est persona, quæ indiget dispensatione. Et ideò, quando adest vouentis vtilitas, potest concedi dispensatio. *Syluest. verb. votũ, 4. nu. 1.* His positis, veniamus

ad

ad nostri §. declarandas partes.

Dictio nihilominus quid importet.

Nibilominus, &c. Hęc dictio auget dispositionẽ, eamque præcisam reddit. *l. fin. §. fructus. vbi glossa in verb. nihilominus. ff. qui in fraudem credit. l. qui potestate, 6. in fin. ff. qui testamen. facere possunt. Gonz. super reg. 8. §. 7. proœm. num.* 124. Superiùs dixerat, Latorem teneri ad reddendum debitum coniugale vxori; ad præsens autem, ignoscens fragilitati latoris, præscindensque suam dispositionem à legis rigore, quo ille priuatus remansit primæuo suo iure petendi debitum coniugale; fauorabiliter concedit, vt, mediante dispensatione, illud etiam exigere licitè valeat. Concessio autẽ ista non est absoluta, sed relatiua ad causam impediendi peccatum, eiusque periculum auferendi: qua cessante, dispẽsatio non conceditur.

Si de latoris incontinentia, &c. Causa istius dispensationis est probabilis timor incontinentiæ: & aduerte diligenter illud aduerbium, *probabiliter*: nam non inducit, quòd timor iste debeat probari per depositionem testium, vel exactũ ipsius latoris examen; sed solùm sufficit, vt exequutor, pensata qualitate ætatis, complexionis, cohabitationis, & similium, timeat de latoris incontinentia: qui timor facillimè admitti potest. Nam quis igni adhęreat, & non calefiat saltem, nisi penitùs comburatur? quę omnia inducunt probabilem incontinentiæ timorem.

Cum eodem, vt debitum coniugale, &c. Augmentum istius dispensationis non est simpliciter & absolutè faciendum, sed pręcisè quoad petendum debitum coniugale: & ideò votum non remanet suspensum quoad alios actus illicitos, sed remanet in suo robore & vigore: & si fornicetur, vel aliquid simile peragat, omninò faciet contra votum. Moneat ergo exequutor pœnitentẽ de isto speciali & limitato effectu huius dispẽsationis: nã multi decipiuntur, quia per similẽ dispẽsationem existimãt se à voto omninò liberari: quod falsum omnino est, vt superiùs demonstrauimus.

Misericorditer dispenses, &c. Quia ista dispensatio de iure non debetur, cùm vnusquisque teneatur vota sua reddere Deo. *cap. magnæ. 7. de voto.* Immo deneganda esset, quia temere ausus est illud trãsgredi, & proximo periculo denuò trãsgrediẽdi per matrimo-

monium contractū se volūtariè exposuit; ideò, deficientibus meritis, & accedentibus demeritis, quicquid ei conceditur, ex mera misericordia, & gratis conceditur. Et eò magis, quia, vt dicit *glossa in c. exhibita* 12. *in verbo, misericorditer, de homicidio*; quicquid facit Ecclesia, totum est misericordia, ac propterea rectè ponitur aduerbium, *misericorditer*, & semper poni debet in omnibus dispensationibus, vt notat *Hostiens. in sum. tit. de dispensationibus*, dum definit, quid sit dispensatio. *Glossa in c.* 1. *verb. suscepit, de corpore vitiatis ordin. vel non.*

Modus absoluendi, declarandi, & dispensandi iuxta formam istius Bullæ, poterit esse infrascriptus.

Dominus noster Iesus Christus te absoluat: & ego, authoritate ipsius, & Sanctissimi Dom. Nostri Papæ, absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, & interterdicti, in quantum possum, & tu indiges: deinde ego te absoluo à peccatis tuis, & eadem authoritate declaro te in dicto Matrimonio remanere, & debitum coniugale reddere posse, & debere: nec non dispenso tecum, vt idem debitum etiam exigere licitè valeas. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Reliquæ formulæ huiusmodi partes intelligendæ sūt, vt suprà in præcedenti formula Transgressionis voti Religionis declarauimus.

Pro transgressore voti Cęlibatus, eodem modo rescribere solet Maior Pœnitentiarius: & ideò eodem modo exequutioni demandari debet eius Bulla.

COMMVTATIONES VOTORVM.

Quid sit Cōmutatio, & quot modis fieri possit?



Commutatio est nomen deriuatū à verbo *Muto*, & cōponitur à nomine *Mutatio*, & præpositione *Cum*: significatque, rem aliquam cum alia mutare. *c. 1. cum seqq. de rerum permutatione*. Est enim vnius rei cum altera vicaria præstatio. *l. quoniam asseueras*, 5. *C. de rerum. perm.*

Gof-

Goffred. in sum. de rerum permut. num. 1.

Commutatio est contractus participans de emptione, & venditione. *l. permutationem.* 2. *C. de rerum permut.*

Differunt tamen in hoc, quia Emptio, & Venditio contrahuntur mediante pecunia, quæ datur pro re, quæ emitur, & venditur. *Panorm. in c.* 1. *de his, quæ fiunt à Prælat.*

Cõmutatio verò contrahitur, quando datur res vnius speciei, & accipitur alia alterius speciei. *d. l. quoniam asseueras, C. de rerum permut.*

A Sacris Canonibus, & Doctoribus pro eodem accipiuntur ista duo nomina, Cõmutatio, & Permutatio. *cap. quæsitum* 5. *c. vt commutationes* 2. *& c. ad quæstiones 6. de rer. permut.*

Commutatio igitur, quoad nostram materiam, secundùm *Syluestr. in sum. verb. Votum* 4. *num.* 1. est annullatio obligationis Voti, cum ligamine ad aliquid aliud faciendum. Quòd sit annullatio obligationis Voti, per se patet. Nam vouens per huiusmodi commutationẽ liberatur ab adimplendo Voto. *c.* 1. *& d. c. magnæ de voto, & voti redempt.* Et quòd hæc liberatio fiat cum ligamine ad aliquid aliud faciendum, similiter est clarum: nam in hoc consistit tota substantia commutationis, vt videre est in toto *tit. de rerum permut. & in dicta l. quoniam asseueras. C. de rerum permut.* Et propterea vouens tenetur sub eadẽ obligatione Voti adimplere id, in quod votum fuit commutatum. Nam per commutationem fit subrogatio vnius loco alterius, & subrogatum sapit naturã eius, in cuius locum sobrogatur. *l. si cum* 10. *§. iniuriarum ff. si quis cautio. iudicio sisten. causa fac. non obtemp.* Et præcipuè in nostro casu; cùm res subrogata assumat omninò naturam eius, in cuius locum fuit subrogata, & concurrat ad eundem effectũ, ad quem cõcurrebat Votũ, id est ad honorem Dei, & salutem vouentis: & ideo necesse est, vt sapiat omninò naturam eius, in cuius locum fuit subrogata. *Glossa in l. certi conditio.* 7. *ff. si certum petatur, Bart. in repetitione l. pater filium* 14. *ff. de inofficioso testam. num.* 13. *Bartholom. Soccinus reg.* 475. Et probatur per textum in *l. cum in fundo* 81. *§. si fundus. ff. de iure dotium.* Vbi dicitur, quòd si fundus dotalis distrahatur, pecunia, quæ ex dicta distractione redigitur, remanet sub eisdem oneribus, & priuilegijs, sub quibus erat ipse fundus.

Subrogatum sapit naturã eius, &c.

C 3

Commutatio voti duplex. Commutatio Voti, duplici modo fieri poteſt, vel in aliquid maius, vel ſaltem æquale. *cap.1. cum ſequen. de voto, & voti redempt. Goff. in ſum. eodem tit. Panor. in d.c.1.*

Vel in aliquid minus, & hæc commutatio participat de diſpenſatione: habet enim admiſtam diſpenſationem. *Leſſius lib. 2. cap. 40. de voto, dubio 16. num. 109. Caietan. verb. votum, c. vlt. Suarez lib. 6. de voto cap. 18. Sanchez lib. 4. cap. 53. num. 4. Sotus lib. 7. de iuſtitia quæſt. 4. art. 3. col. 8. verſ. quando verò.* Et ideo illi ſemper adiungitur, vt infra dicemus, *Diſpenſando commutes.* Et non ab omnibus fieri poteſt, ſed ſolum à Prælatis, & Epiſcopis cum ſuis ſubditis; & in omnibus votis, quinque exceptis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, videlicet Religionis, Caſtitatis perpetuæ, Sancti Iacobi, Hieroſolymitani, & Sancti Petri Romæ. *cap. 1. cit. Goffred. loco cit. num. 10. Tolet. in ſum. lib. 4. c. 18. num. 9.*

Primus modus commutandi in melius poteſt eſſe licitus etiam ipſi vouenti. *cap. ſcripturæ 4. de voto, & voti redempt. Nauar. cap. 12. nu. 75. Archid. in in cap. qui poſt votū de regular. in 6. Leſſius d. lib. 2. cap. 40. num. 101. Suarez lib. 6. cap. 18. num. 4. verſic nihilominus. Sanchez in ſum. lib. 4. cap. 49. num. 4. & alij.* Ratio eſt, quia, qui commutat votū in melius, non facit Deo iniuriam, & non dicitur votum infringere. *cap. peruenit 3. de iureiurando.*

Melius autem in hac præſenti materia illud eſt, quod omnibus conſideratis eſt Deo gratius.

Poteſt etiam fieri commutatio ab ipſo vouente in euidenter æquale. *Henriquez lib. 5. de Pœnitentia cap. 20. num. 5. Leſſius lib. 2. cap. 40. dubio 16. num. 105. Sanchez in ſum. lib. 3. cap. 19 num. 9. & alij:* nam Deo nulla fit iniuria, cùm ei res æque grata reddatur per commutationem voti factam.

Cui maius etiam minus. Nota: qui poteſt diſpenſare in voto, poteſt etiam illud commutare, non autem è cōtra: nam cui licet quod maius, videlicet diſpenſare, licet etiā quod minus, videlicet cōmutare, *per cap. cui licet 43. de reg. iuris in 6.* Diſpenſatio enim remittit totum vinculum voti, commutatio verò partem, vt ſupra probauimus.

Ad commutationem voti requiritur, neceſſitas, vel vtilitas vouentis. *cap. ex multa 9. prope finem, & cap. magnæ 7. de voto, & voti redemptione. Panorm. in cap. 1. eod. tit. nu. 5.*

Aduerte: quando cauſa cōmutationis eſt mera voluntas vouen-

uouētis, tunc habet locū opinio *Innoc.in rubr.de obseruat. ieiun.& Archid.in c.presbyter. dist.*28.quòd commutatio fieri debeat in melius, & Deo acceptius. Quando verò est necessitas in vouente, videlicet debilitas complexionis, vel aliquid simile; eo casu sufficit vt commutatio fiat in æquale, licet nō sit magis Deo acceptum. *c. quod super* 8. *& c. magnæ, de voto & voti, &c. Panorm. in d.c.* 1.*cit.nu.*3.

Omnia vota voluntaria redimi possunt & cōmutari authoritate Superioris, ex cuius iudicio dependebit considerare qualitatē personæ, & causam commutationis, colligendo an recompensatio melior sit, & Deo magis accepta. *c.*1. *de voto & voti, Goffred.in sum. eod.tit.num.*7. *Panorm. in dict. c.*1.*n.*2. qui ibi dicit, in cōmutatione voti non posse dari certam regulam, sed totum dependere ab arbitrio Superioris, qui ex diuersis informabit animum suum.

Commutatio voti in minus non potest fieri sine legitima causa *c.nō est.*5.*de voto & vot. redempt.vbi glossa* ait *in verb. adimplere*, dispensationē voti sine causa non esse dispensationem, sed dissipationem, cùm ille, cum quo sine legitima causa dispensatur, non sit securus quoad Deum.

Ex præmissis nota diuersitatē, quæ est inter dispensare super voto, & illud irritare, commutare, & redimere. *Dispensatio quid sit.*

Nam dispensare in voto, est nomine Dei condonare, & remittere obligationem voti, quam vouens erga Deum contraxerat vouendo. *Caietan.* 2.2.*q.*88.*art.*12.*& alij.* Et spectat ad potestatem spiritualē, & requiritur causa, *d.c.non est, de voto, & voti redempt.*

Irritatio est annullatio obligationis voti ex beneplacito voluntatis; vt cùm dicit maritus vxori, nolo vt votum obserues: & spectat ad potestatem dominatiuam, & requirit causam; sed si fiat sine causa, est valida, peccat tamen venialiter sic irritans, quia impedit bonum sine causa. Nam impedire bonum opus alterius sine causa, est malum. *Less.lib.*2.*c.*40.*num.*75. *Suar. lib.*6.*de voto c.* 1. *&* 7. *Clauis Regia lib.*6.*nu.*12.*c.*4. *Irritatio.*

Possunt irritare vota, Pater, Tutor, Tutrix, Curator minoris, Dominus, Prælatus. *c.manifestum* 33.*q.*5. Ratio est, quia nullus vouere potest in præiudicium illius, cui est subiectus, nisi ille consentiat. Istorum enim vota censentur facta sub conditione tacita, nisi ille, cui subest materia voti, renuerit. *Sanch.l.*4.*c.*24. *num.*30. *cū sequen.& alij communiter.*

Com-

Commutatio. Commutatio voti eſt obligationis voti annullatio cum ligamine ad aliquid faciendũ. *Sot. lib. 7. de iuſtit. & iur. q. 4. art. 1.*

Redemptio. Redemptio voti eſt annullatio obligationis voti cum ligamine ad aliquid dandum, vt *tot. tit. de voto, & voti redemptione.*

His poſitis videamus quomodo M.P. reſcribat, quando mandat alicuius ſimplex votum Religionis cõmutari ob ſtimulos carnis, ad effectum contrahendi matrimonium.

FR. Antonius Barberinus, &c. Diſcreto Viro Confeſſori, Magiſtro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per latorem præſentium ad infraſcripta ſpecialiter eligendo, ſalutem in Domino. Ex parte latoris præſentium nobis oblata petitio continebat, quòd ipſe aliàs vouit Religionem ingredi S. Franciſci. Cùm autem ſicut eadem petitio ſubiungebat, lator præfatus ob ſtimulos carnis, quos patitur, continenter viuere poſſe diffidat; pro ſuæ Conſcientiæ quiete cupit ſibi votum huiuſmodi in alia pœnitentiæ opera ad effectum contrahendi matrimonium, per Sedem Apoſtolicam commutari. Quare ſupplicari fecit nobis humiliter, vt ſibi ſuper his de oportuno remedio prouidere dignaremur. Nos igitur, qui Pœnitentiarię Domini Papæ curam gerimus, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, authoritate Apoſtolica ſpecialiter nobis conceſſa, diſcretioni tuæ committimus, quatenus ſi eſt ita, ac latorem, audita prius eius ſacramentali Confeſſione, ſtimulis carnis adeo agitatũ, vt maximè dubitet continere poſſe, & propterea de eius incontinentia probabiliter timendum eſſe, per diligentem latoris examinationem, ac poſt monita, & conſilia oportuna illi præſtita inueneris: eundem latorem à mutatione propoſiti, (quatenus tibi videatur) abſoluas hac vice in forma Eccleſiæ conſueta, iniuncta ei pęnitentia ſalutari: ſibique Votũ præfatum ad hoc vt matrimonium contrahere licite poſſit, in frequentiam Sacramentalis Confeſſionis peccatorum ſuorum

ſibi

sibi singulis scilicet mẽsibus, vt minimum semel, vel quoties tibi videbitur, & in alia pęnitentiæ opera perpetua per te iniungenda; inter quæ sint etiam aliqua Religionis, quam vouit; quæ quotidie facere teneatur ad eum finem, vt ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua huiusmodi voto adstringebatur, prout secundum Deum ipsius animæ saluti expedire iudicaueris, dispensando commutes in foro Conscientiæ, & in ipso actu sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, neque vllo alio modo. Datum Romę apud S. Mariam Maiorem, &c.

Omissis primis prędictę formulæ duabus partibus, vt superius in alijs formulis fecimus, deueniamus ad tertiæ partis clausulas explanandas.

Stimulis carnis adeo agitatum, &c. Remanet solum discutiendum, quęnam carnis agitatio requiratur ad hoc, vt habeat locum cõmutatio ista voti; nam de præcedentibus alijs clausulis satis abunde diximus in præcedentibus.

Stimulis carnis, &c. Stimulus propriè dicitur fustis acutæ cuspidis, quo rustici boues suppungunt. *Plaut. in Asin.*

Vtinam nunc stimulus in manu mihi sit.

Et per translationem dicitur omne illud, à quo multum diuexamur. *Cicer. Tuscul. Non modo stimulos amoris, sed etiã fulmina fortunæ contemnamus.* Ex quibus colligitur, quòd nõ simplex tentatio sensualis sit sufficiens ad commutationem voti, sed requiritur, vt sit tentatio acutæ cuspidis, hoc est penetratiua, vt solet dici, vsq; ad animam; & non solum penetratiua, sed ad instar fulminis, quod solo tactu comburit, & consumat; vt ex prædicta Ciceronis authoritate colligitur, dũ stimulos carnis, & fulmina fortunę insimul adęquat; & argumentum à nomine appellatiuo, vel ab Etymologia vocabuli desumptum benè procedit, & probat. *cap. forus 10. de verb. signif. l. pupill. 239. §. territorium, ff. eod. Panor. in cap. 1. de iudic. Bart. in l. 2. §. appellata, ff. si certum petatur.*

Argumentum ab Etymologia vocabuli.

Quòd autem hæc sit intentio Maioris Pęnitẽtiarij, apertè dicit *Nauarrus*, olim Maioris Pęnitentiarij Cõsultor Canonista, *lib. 3. consilior. tit. de voto, &c. cons. 36. n. 5.* vbi affirmat Sacram Pœnitentiariam

concedere commutationem voti Castitatis, quando vouẽs vrgetur grauibus stimulis carnis ad fornicandum, eo quod existimet esse bonum ei liberari à peccatis venereis cum fractione voti per sanctũ matrimonium, iuxta dictum *Apostoli ad Corinthios* 7. *Melius est nubere, quam vri*.

Ratio est, quia de minima carnis agitatione non est habenda cõsideratio, iuxta *l. scio* 4. *ff. de restitut. in integr. l. si oleum* 10. *§. finali, ff. de dolo, l. quamuis* 32. *ff. de condit. cap. cum te* 23. *de sent. & re iudic. Bal. in l. si prædium, C. de ædilit. edicto. Ant. Corsettus in tractatu de minimis*.

Idemque dicendum est de mediocri tentatione: nam vt dicitur *Iob* 7. Perpetua tentatio vita hominis est super terram, & eam homo tenetur superare cum labore: hanc enim ob causam *ibi* dicitur: *Militia est vita hominis super terram*: Et ratio est, quia agitur de mutanda promissione Deo facta; & de maiori vouẽtis bono. Grauis igitur stimulus carnis requiritur pro sufficienti causa commutationis voti; hanc solummodo in nostro casu existimant Doctores sufficientem causam esse. *Sanchez de dispensationib. lib.* 8. *disput.* 21. *num.* 18. *& Nauarr. in Manuali cap.* 12. *num.* 78. vbi asserit vnam ex legitimis causis ad votum Castitatis commutandum, esse magnam fragilitatem, quam vouens in se experitur ad obseruandum votum.

Et probatur ex *c. veniens* 5. *qui clerici, vel vouentes, &c.* vbi dicitur tutius esse, vt post votum Continentiæ simpliciter oblatum, contrahatur matrimonium, quàm fornicatiotionis reatus incurratur: minus enim malum tolerandum, vt maius euitetur, *cap. si quid verius*, 33. *quæst.* 2. *& cap. hi qui*, 27. *q.* 1. *& c. considera* 22. *q.* 1. Minus autem malum est, vt vouens nõ ingrediatur Religionem, quam vt ingressus incontinenter viuat, alijsque scandalum, & Religioni dedecus euadat. ***Minus malũ tolerandum, vt maius euitetur.***

Grauitas istius stimuli colligenda est ab effectibus, qui inde sequuntur. Nam lapsus vnius, vel alterius transgressionis, non inducit sufficientẽ causam dispensandi in voto, quia adhuc valde vtile est votum, vt vouentem contineat, ne ita facile labatur. *Valentia* 2.2. *disp.* 6. *q.* 6. *puncto* 7. *ad fin. Azor. lib.* 11. *Instit. moral. c.* 19. *q.* 17. Votũ enim est medicina deseruiens prauis affectibus huiusmodi.

Sed requiritur vt probabiliter iudicetur vouens, ita affectus, vt credatur sæpius votũ

vio-

violaturus esse. *Sanchez lib. 8. de dispensationibus disp. 21. n. 18. in fin. Alcozer lib. de ludo cap. 13.*

Nec sit spes emendationis, vel ob infirmitatem, vel passionem, vel malitiam, & prauũ habitum vouentis, atque ita votum sit seruatu difficile, & viribus impar. *Philiarcus de officio Sacerdotis tom. 1. par. 2. lib. 3. c. 4. ad finem.* Igitur vouens examinãdus est, quoties castitatem fregerit, an continuis, vel interpolatis vicibus; an inter huiusmodi actus modicum, vel diuturnũ tempus intercesserit: Nam continuatio actuum significat firmiorẽ, ac tenaciorem habitum, qui difficillime curari potest. Interpolati verò actus non significãt ita profundè defixum radicibus habitum, vt non possit aliqua cum facilitate mutari.

Dictio illico. *verificatur intra triduum.* Aduerte quod interpolatio duorum, aut trium dierum potius participat de cõtinuatione, quã interpolatione; argumẽto *l. fi. C. de iud.* vbi dictio *illico* verificatur, intra triduũ.

Præterea videndus est à quanto tempore inceperit lapsus, nam inueterati habitus difficilius tolluntur, quàm de recente contracti.

Quãdo vouẽs reperitur cũ inueterato, vel multũ intenso habitu ad lapsus, illico cũ ipso dispẽsari potest in voto huiusmodi Religionis, ob rationes superius allatas: & quod dico de dispensatione, etiã de commutatione intelligendum est.

Quãdo verò reperitur habitus recẽter cõtractus, tũc exequutor considerare debet indolẽ, & cõplexionẽ vouentis, an salutaria remedia accepturus sit: an illa acceptata profutura sint, an vouẽs sit iuuenis, natura sanguineus, iracundus: abũdantia enim sanguinis, & bilis multũ inclinant ad actus venereos: an sit tenacis melãcholiæ, ac apprehẽsionis; similes enim homines difficillimè deponunt habitũ, quem semel cõtraxerunt: & ideo similibus hominibus, qui se stimulos carnis magnos pati asserũt, facillimè fides præstari potest, eorũq; vota ad effectũ cõtrahẽdi matrimoniũ, cõmutanda sunt absque adeo magna indagatione præmissa, cùm in istis apprehensio multum operetur.

Hæc & similia relinquimus arbitrio prudẽtis exequutoris cõsiderãda. Regulæ enim generales possunt præscribi; quæ tamẽ nõ omnibus, & singulis casibus eodem modo aptari queunt. Et ideo iure optimo asserit *Panor. in suprad. c. 1. de voto, & voti redẽpt. n. 2.* cõmutationes votorum relinquendas esse arbitrio Superioris.

Quæ omnia à me superius dicta colliguntur expresè ex

subsequentibus verbis, *Adeo agitatum, vt maximè dubitet continere posse*. Nota illas duas dictiones, *adeò*, & *maximè*, quæ ex se mutuo vires accipiunt. Nã prima cõducit agitationẽ huiusmodi ad superlatiuũ, *maximè*, operaturque, vt nõ nisi ex maxima carnis agitatione dubiũ exortũ de futura incõtinentia sit sufficiẽs ad commutationẽ concedendã.

Et propterea de eius incontinentia probabiliter timendum esse, &c. Postrema hæc pars magis declarat vehementiam ꝑstimulorũ carnis requisitam ad votũ cõmutandũ: nã vltra dubiũ de incontinẽtia futura, requirit timorẽ, & nõ quemlibet timorẽ; sed timorẽ fundatũ in ratione causæ allegatæ, adeo vt vehemẽtia stimulorum carnis in vouente cogat exequutorẽ ad credẽdã incõtinentiã futurã eiusdem: hoc enim importat verbũ illud *timendũ*; cũ timor secundũ omnes DD. sit passio animi, qua imminẽs malũ formidatur; præsertim cũ id adeò graue videtur, vt vires nostras excedere censeatur. Hinc collige vehemẽtiã huiusmodi sensualiũ stimulorum, vt nõ solũ vouẽtis animum diuexet, verũ etiã sua vehementia afficiat exequutoris animum. Nã timor à M. P. requiritur in exequutore; dubiũ verò in vouẽte, quemadmodũ illa verba demõstrãt, *vt maximè dubitet continere posse, & probabiliter timẽdũ esse inueneris*: prima .n. verba referũtur ad vouentem, secunda verò ad exequutorẽ.

Per diligentẽ latoris examinationẽ, &c. Hæc verba importãt cõditionem, & formã, vt in prima formula Dilationis probauimus: & ideò si omittatur examinatio, &c. existimo commutationem aliter factam esse nullam.

Ac post monita, & consilia, &c. Quia stimulos huiusmodi nõ potest exequutor aliter ꝑcipere, quã ex vouẽtis dicto, vt præsupponitur, ideò exequutor tenetur vouẽtẽ monere de grauitate negotij, de veritate sine fuco, & mẽdacio propalãda, de obligatione voti, de inualiditate commutationis, nisi veritatẽ propalet, de periculo suæ salutis, de bono statu Religionis, & similibus, vt videtur indicare *Sanch. lib.* 8. *de dispens. disp.* 34. *n.* 27. Eidemque consulat, vt præmissa bene secum perpẽdat, cõmẽdet se B. Virg. Mariæ tutelæ, Sãcto sui nominis, necnõ suo Angelo Custodi: communicet aliquoties ad hũc effectũ: aliquam, si potest, pauperibus eleemosynam tribuat; aliquas orationes recitet; vt his præmissis si postea fiat cõmutatio voti, & illius vigore matrimoniũ cõtrahat, possit in eo pacificè, & sine animi per-

perturbatione remanere.

Inueneris, &c. Si huiusmodi monitis, & cõsilijs promissis exequutor inueniret pericculũ imminere incõtinentiæ, poterit tuta conscientia progredi ad commutationẽ; sin minus, debet desistere ab illa concedenda, vt supra probauimus.

Eundem Latorem à mutatione propositi, &c. Vouẽs mutando propositum deficit à promissione Deo facta de ingrediẽdo Religionem, & ideò ẽget absolutione propter talem defectionem.

Quatenus tibi videatur, &c. Hæc verba important arbitrium boni, & prudentis Viri, & non propriam, & nudã voluntatẽ. *l. fideicommissa* 11. *S. sic fideicõmissũ. ff. de legat* 3. *DD. in l. si sic ff. de legat.* 1.

Et subintelligitur indigere: nam recedere à promissione ob aduenientem causam licitã non est illicitum, immò licitũ. *l. vlt. ff. qui satisdare cogantur*, *cap. breui.* 17. *de iureiurando*, & *c. significante*. 7. *de pignoribus*. Sed quia M. P. ignorat, an vouẽs sit in aliqua culpa, ob quã venerit legitimum impedimentum, ideo hoc discutiendũ relinquit arbitrio exequutoris per prædictã cautelam.

Potest etiam subintelligi, ad cautelã, *Absoluas*, id est, ad bene esse; nã in rebus concernẽtibus animã tutior pars est eligenda. *c. iuuenis* 3. *de spons.*

Et ideo semper præmittẽdam esse existimo huiusmodi absolutionem cum conditione, in quantum indiges. *In rebus Animæ tucior pars eligenda*

Absoluas hac vice in forma, &c. Satis abunde hanc particulam explicauimus in formula trãsgressionis voti Castitatis: ideò vide quæ ibi ad hoc propositum diximus.

Iniuncta ei pœnitentia salutari, &c. Quæ pœnitentia sit imponenda vouẽti pro huiusmodi mutatione propositi, poterit exequutor melius determinare ex qualitate culpæ, & personæ, quã ego verbis indicare, iuxta *text. in cap. Deus* 8. *de pœnit. & remiss.*

Sibiq; votũ prædictũ ad hoc vt matrimoniũ cõtrahere licitè possit, &c. Duplex est finis, propter quem cõceditur huiusmodi voti commutatio.

Primus est Dei honor, ne offendatur à vouente: Secundus vtilitas ipsius vouentis; vt per matrimonium consulatur saluti animæ ipsius; ne turpiter fornicando violet votum, & damnetur. Quia verò finis est primum principium cuiusque actionis, cùm omne agens propter finem moueatur ad agendum; ideo M. P. iniungendo huiusmodi commuta-

tationem, ponit primò ad quẽ effectum fiat, id est, ad hoc vt matrimonium contrahere licitè possit; & ideò si cesset iste finis matrimonij, ita vt vouẽs nolit postea matrimoniũ contrahere, sed velit innuptus remanere, cessabit validitas cõmutationis, & tenebitur ingredi Religionem. Nam quod pro remedio necessitas reperit, cesſãte necessitate, & illud cessare debet. *c. quod pro remedio. 1. q. 7.* nisi cesset necessitas, neque illud cessare debet.

Remediũ necessitatis cessat ea cessãte.

Quòd autem matrimoniũ sit salubre remedium incontinentiæ, non eget probatione, cùm ex se pateat. Nam secundarius finis matrimonij est euitatio fornicationis, primus vero proles. *Syluest. verbo matrimon. 1. nu. 1. circa medium, & DD. communiter.*

Ideo vouens in nostro casu vel debet vigore huiusmodi commutationis contrahere matrimonium, vel Religionem ingredi.

In frequentiam sacramẽtalis confessionis, &c. Exequutor tenetur primum vouenti iniungere hanc frequẽtiam sacramentalis confessionis, eo quòd eam M.P. expressit, iudicans eam expedire spirituali cuiuscumque vouentis saluti, eiusque viribus, ac fragilitati commensurari, atque rationi consonum esse, vt loco tanti voti, quo adstringebatur, subrogetur; eo quòd nemo ita fragilis sit, vt nequeat eã exequi. *Sanch. lib. 8. de dispens. q. 34. nu. 33.* Nã hæc est secunda tabula post naufragiũ peccati: vt bene ait *Gabr. in 4. dist. 14. q. 2. art. 3. dub. 2.* & peccatori præstò est, etiamsi millies peccet: & amissa gratia recuperatur per eã. Prima enim tabula post lapsũ totius generis humani, est Baptismus.

Singulis scilicet mensibus, vt minimum semel, &c. Verba ista clare demonstrant intentionem M.P. esse, vt vouens ad minus obligetur ad singulis mensibus semel confitendum sacramẽtaliter: hoc enim important dictiones illę duæ, *vt minimum, & semel:* atque ita Exequutor tenetur necessariò primùm subrogare in obligationem voti menstruã confessionem sacramentalem.

Et quoties tibi videbitur, &c. Hæc clausula importat arbitrium boni Exequutoris, adeò vt, si ille iudicauerit imponere vouenti, vt pluries teneatur confiteri, vouens necessariò debeat parere, & nisi pareat, transgrediatur quo ad hanc partem votum: nec potest opponere se voluntati & determinationi Exequutoris innixus illis prioribus verbis,

vt minimum semel. Caueat tamen exequutor, ne nimis in hoc aggrauet vouentem, cùm in simili onere imponẽdo Ecclesia tam circumspectè se gerat, semel dumtaxat in anno fideles ad confitendum obligans, per *c. omnis vtriusq; sexus 12. de pœnit. & remiss.*

Dubitare forsan aliquis posset, quomodo accipiendi sunt isti singuli menses, an secundùm communem acceptionem, communemque cursum eorum, an potius numerandi sint à die præcedẽtis commutationis, seu præcedentis confessionis. Nam ex prædicto *cap. omnis vtriusque sexus* videtur colligi, quòd numerandi sint à die præcedentis confessionis, cùm in dicto capitulo præcipiatur vt vnusquisque fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, semel saltem in anno confiteatur; & tamen constet, secundum omnium Doctorum sententiam, non satisfieri præcepto huiusmodi, si initio vnius anni quis confiteatur, & deinde in fine sequentis anni iterum confiteatur. Sed sequens opinionem *Sanch. in lib. 8. de dispens. dist. 34. nu. 36.* dico quod dictio illa, *singulis*, adiuncta *mensibus*, declarat mẽses accipiendos esse secundùm communem acceptionem, communemque cursum, ita vt vouens satisfaciat obligationi frequentiæ confessionis sibi iniunctæ, si v.g. in principio Ianuarij confiteatur, & postea in fine sequentis Februarij iterum confiteatur, & sic de cæteris: nam per istas confessiones verificatur quòd vouens singulis mensibus semel confessus sit.

Ad rationem dubitandi superiùs in contrarium allatã; respondeo adesse disparitatem. Nam in casu dicti capituli accipitur annus materialis pro spatio duodecim mensiũ, non autem accipitur secundũ communẽ acceptionẽ, prout est annus numericus, videlicet annus xxiv. &c. Ideò bene dicitur non satisfacere præcepto, qui initio vnius anni confiteatur, & in fine alterius postea confiteatur. In nostro autem casu secus est: nam accipitur mensis numericus v.g. Ianuarius, &c. secũdum communem acceptionem & spatium, non autem materialis prout dicit aggregatum triginta dierum; & ideo superadditur adiectiuum *singulis*, quod de sui natura importat numerum & diuisionem, disiũctionemq; vnius rei abalia. *Bertaz. de clausul. instrument. claus. 4. glos. 3. n. 1.* & ideo non debemus confundere vnum mensem cum alio: quæ confusio sequeretur, si mensis acci-

peretur prout dicit agregatū triginta dierum solummodo: nam inciperet in vno, & finiret in alio.

Maior difficultas exoriri posset, quando quis vouens Religionem, esset etiam obligatus ex alio voto ad menstruam, vel alias confessiones, an hic satisfaciat, v. g. per vnicam confessionem his duabus obligationibus. Sed existimo illū non satisfacturum vtrique obligationi, sed necesse esse vt bis in mense confiteatur: nam cōmutatio requirit opus subrogationis in locum voti commutati, aliàs non esset cōmutatio, quæ est, vt res vna dimittatur, & alia loco illius assumatur, vt supra probauimus.

Quid si in medio mense fieret commutatio? an necesse sit quod in eodem mense confiteatur denuò, licet, vt præsupponitur, occasione dictæ commutationis iam confessus sit?

Respondeo, quòd sicut tenebatur vouens adimplere votum, vbi primum commodè potuerat, sic etiam tenetur ad frequētiam confessionis incipiendam: cùm subrogatum sapiat naturam eius, in cuius locum subrogatur. *d. l. si eum, §. iniuriarum, ff. si quis caution. &c.*

Secus verò dicendum censeo, cùm medietas mensis elapsa iam sit: hoc enim casu existimo mētem Maioris Pœnitentiarij esse, non obligare velle vouentem ad nouam cōfessionem in ea mensis extremitate, nec rationem habuisse de isto modico tempore, ac si non esset, quia parum, & nihil æquiparantur *Bald. in authen. præterea C. vnde vir, & vxor. Corn. consil. 63. lib. 1. & consil. 77. lib. 2. & consil. 29. lib. 3. Soccin. consl. 108. col. 3. & notatur in c. de multa, verbo nullus aut rarus, de præben. & dignitat. &c.* *Parum, & nihil æquiparantur.*

Obijci potest. Præceptum de confitendo semel in anno non obligat, quādo non adest materia necessaria cōfessionis, id est peccatum mortale, vel graue scandalū: ergo etiam in casu nostro commutatio ista nō obligabit vouentem ad cōfitendum singulis mensibus, quādo ille non habebit graue peccatum, id est mortale.

Respondeo non valere illationem huiusmodi, cùm non adsit paritas. Nam in primo casu præcipitur necessarium ad salutem, quod consistit in se purgando à mortali: in nostro verò casu præcipitur necessarium ad vitæ perfectionem, ad quam vouens se obligauerat, quando peculiari voto se Deo dicauit, & ad quam tenetur nō solum purgando se à peccatis mortalibus, verum etiam à

ve-

venialibus, & ideo tenetur ad confitendum singulis mensibus, etiamsi non habeat peccatum mortale.

Et in alia pœnitentiæ opera perpetua, &c. Votum erat perpetuum, & ideo etiam res, quæ in locum eius subrogatur, debet esse perpetua. Caueat ergo exequutor, ne onus temporaneum, id est ad limitatum tempus duraturũ, imponat vouenti. Nam si secùs facit, & contra rationem voti, & contra mentem M. P. faciet: immo & nulliter faciet, cùm deficiat in re substantiali, vt per se, & ex præmissis patet: deficiens enim in forma substantiali nulliter agit. *c. 1. de renunciat. c. veniens, 3. de presbyt. non baptizato.* Faceret etiam contra mentẽ M. P. quia omitteret formã eius dispositionis, omittendo perpetuitatem in operibus subrogandis loco voti perpetui: forma autem dispositionis si deficit, etiam in minimo, vitiat actum. *l. hæredes, 36. §. idem iuris, ff. familiæ ercisc. Bald. in c. cum adeo. 17. num. 4. de rescript.* Ratio est; quia ipsa dat esse rei, & ideò ea sublata corruit actus, *l. Iulianus 9. §. sed & si quis, ff. ad exhib. & notat. in c. sine except. 12. q. 1. Panor. in c. prudentiam, 21. num. 5. de off. delegati.*

Deficiens in forma substãtiali nulliter agit.

Forma dispositionis omninò seruanda.

Et actus sic nullus, nullo modo valet, vt valere potest. *l. 1. §. si quis ita, ff. de verborũ obligat.* & ideo neque commutatio voti valebit per totum illud tẽpus, quo opera iniuncta duratura sunt.

In alia pœnitentiæ opera, &c. Hinc primò collige, non vnum opus iniungendum sufficere, sed plura: hoc enim important illa duo verba, *alia opera,* in numero plurali posita.

Secundò, non debere esse opera relaxandi animi causa, sed opera laboriosa, & fastidiũ potius, quam quietẽ, & iucũditatem inducentia. Nam debẽt præ se ferre pœnitentiã, id est pœnam tenentia: cùm pœna propriæ dicta sit illa, quæ est corporis afflictiua, vel quæ diminuit patrimonium. *l. in seruorum, 10. ff. de pœnis. l. 3. ff. de damno infecto. Panorm. in c. 1. num. 27. de postul. Prælat.*

Pœna propriè dicta, est corporis afflictiua.

Tertiò, non debere esse opera inter se incompatibilia, sed debent habere aliquam inter se similitudinem, & conuenientiam, hoc enim importat nomẽ adiectiuum, alia. *l. 3. C. de seruis fugitiuis, c. 2. de rescriptis in 6.* Quod si quæras, quænam esse debeat ista similitudo & conuenientia: Dico non esse aliam quàm salutem animæ vouentis, vt ex infrascripta clausula expresse apparebit,

rebit: & ideo omnia iſta opera pœnitentiæ ſubroganda debent eſse media proportionata, & tendentia ad conſequendã ſalutem animæ illius.

Quartò: Licet iſta opera debeant eſſe perpetua, non tamen eſt neceſse, vt omnia ſint quotidiana: non enim neceſſariam connexionẽ habet perpetuum cum quotidiano: vt patet in pẽſionibus eccleſiaſticis perpetuis, quæ licet ſint perpetuæ, non tamẽ quotidie perſoluuntur; ſed ſolum certis & ſtatutis temporibus: & ideo ſicut qualitas iſtorũ operũ relinquitur arbitrio exequutoris, ita etiam eius arbitrio relinquitur eorũ numerus & dies, quibus peragẽda ſunt.

Quintò; qualitas iſtorum operum regulãda eſt ex qualitate vouentis; & ideo certa in hac regulâ præſcribi non poteſt. Exiſtimo tamen iniungi poſſe onus recitandi ſingulis hebdomadis aliquos Pſalmos, vel Coronas; audiẽdi Sacrum aliquo die non feſtiuo; inuiſendi aliquam Eccleſiam B. Mariæ Virginis, vel eius Ordinis, quem ingredi vouit, & ibi præcipuè Deum precandi pro felici progreſſu dicti Ordinis; aliquoties in menſe ieiunandi, & communicandi; aliquam eleemoſynam pauperibus elargiendi [illegible] menſibus, vel ſing[illegible] alia huiuſmodi opera iuxta ſtatũ, conditionem, & poſſibilitatẽ vouentis. Sed aduerte fuiſſe prædicta indicata, nõ vt inſimul omnia iniungãtur, ſed vt oportuniora ex eis eligantur.

Inter qua ſint, etiam aliqua Religionis, quam vouit, qua quotidie facere teneatur, &c. Hic M.P. declarat mentẽ ſuam eſse, vt non omnia opera ſubroganda in locum voti, ſint quotidiana, ſed ſolum aliqua: & hæc ſint ex ijs operibus, quæ Religioſi eius Ordinis, quem vouit, vel quem ingreſsurus eſset vouens, ſi votum adimpleret, ſubire ſolent ex præſcripto Ordinis, id eſt ratione Regulæ, vel approbatæ conſuetudinis. Iſta verò opera debent eſſe compatibilia cum ſtatu coniugali, non valde difficilia ad illorũ exequutionem; nam aliàs ad illa adimplenda vouens non teneretur, quia valde difficilium & impoſſibilium idem eſt iudiciũ. *l. idem Iulian.* 41. *§. conſtat. ff. de legat.* 1. & ſicut ad impoſsibile nemo tenetur, ita etiam in noſtro caſu ad valde difficile non tenebitur. Nam magna difficultas æquiparatur impoſſibilitati. *l. nepos Procul* 125. *ff. de verb. ſign. l. ſi ſeruus depoſitus.* 22. *ff. de noxal. l. diuortio.* 37. *ff. de negot. geſt. Bald. lib.* 1. *conſilior. conſ.* 101. *Magna difficultas æquiparatur impoſſibilitati.*

Hinc

Hanc ob causam M.P. non præscribit particularia opera in suis litteris, quia si præscriberet, facillimè illapsurus esset in huiusmodi incompatibilitates, & difficultates, ob sibi ignotas qualitates vouētiū: & ideo in similibus operibus iniungēdis, exequutoris prudētia necesse est vt operetur.

Possent tamen in genere assignari aliqua ex infrascriptis: videlicet quotidie per aliquod breue temporis spatiū mentem ad Deum eleuare aliqua oratione vocali, vel mētali; capitulum alicuius libri spiritualis perlegere; quotidiano examine defectus animæ inuestigare; Sacrum quotidie audire; aliquod ex operibus Misericordiæ exercere, & similia peragere.

Ad eum finem, &c. Huiusmodi operum officium esse debet, quotidie in memoriam redigere vouenti obligationē voti remissam ex bonitate diuina, & successiuè animi grati virtutem in eo excitare, illūque monere de felici & perfecto statu Religionis, ad quem vocatus fuerat, & quē ex sua fragilitate amisit: vt ex huiusmodi recordatione recognoscens benignam, & misericordem manum Dei in se, cautiùs se gerat, suæque animæ saluti eo diligentiùs prospiciat, quò maius est periculum, in quo remansit, ob insanas mundi illecebras.

Obligationis, qua huiusmodi voto adstringebatur, &c. Voti obligatio erat ad ingrediendam Religionem, id est ad statum perfectionis assumendum. Nam Religio est quidam status perfectionis, & quoddam exercitium perueniendi ad perfectionem. ita *S.Thom. 2.2.q.182.& q.186. art. 2.* Et ideo vouens recordari debet huius obligationis; vt sicùt antea tenebatur ad perfectionem regularem, ita post voti commutationem, ad perfectionem coniugalē, ea qua decet sedulitate, exercendo se in operibus subrogatis: ne cum virginibus stultis excludatur à nuptijs cœlestibus.

Prout secundùm Deum, &c. Exequutor solum habeat prę oculis Deum; id est secundùm rectam rationem, remotis finibus humanis, consideret, quæ profutura sint saluti animæ vouentis, & illa imponat: aliàs seuerā redditurus est Deo rationē de anima illius, dignasque pœnas vt infidelis Christi minister luet. Caueat igitur Exequutor ne inconsiderate & humano repletus affectu in tam graui negotio se gerat.

Di-

Dispensando cõmutes, &c. Ex prędictis in principio explanationis huius formæ, hęc commutatio non est propriè commutatio, cùm non fiat saltem in æquale, sed est quid medium inter commutationem, & dispensationem, cùm subrogatio fiat in opus inęquale, & inferioris oneris, & ideò participat de commutatione, & dispensatione; condonat quod deest æqualitati, & commutat in inæquale.

Quod autẽ ista inæqualitas debeat esse moderata, aperte colligitur ex verbis ipsis M.P. Nam vt principale ponitur, *commutes*; & vti accessorium, *dispensando*; adeo vt esse debeat essentialiter, commutatio, quæ de natura sua est in maius, vel in ęquale, & per accessorium à rigore naturæ suę aliquantisper recedat; & ideò dicitur, *Dispensando commutes*; non autem, *commutando dispẽses*. Et sicut accessorium sequitur naturã sui principalis. *l.cùm principalis 139.ff. de regulis iuris, cap.accessorium 42. de reg. iuris in 6.* ita illud, *dispẽsando*, debet sequi naturam verbi, *cõmutes*, & successiue nõ multum eius naturã alterare.

Accessorium sequitur naturam sui principalis.

Secundò, istud verbum, *dispensando*, ponitur vt ablatiuum instrumentale. Et ideò exequutor illo vti debet in hac commutatione, vt instrumento, per quod possit tantis per moderari rigorem commutationis, non autem eius substantiam destruere.

Tertiò, ista inæqualitas debet esse moderata, & non nimis exorbitans, nam sub generali dispositione non comprehenduntur excessiua. *Bald. cons. 372. vol. 3. Crauetta cons. 3. num. 19.* & ideo sub ista generali clausula, *dispensando cõmutes*, non comprehenditur excessiua remissio obligationis voti; & exequutor debet ab excessiuitate omninò abstinere, & inter moderatos limites consistere, vt alijs prosit, & sibi non noceat. Ista verò excessiuitas, & moderatio regulanda est à qualitate, & conditione vouentis; nam vnum & idem pondus potest esse graue, proportionatum, & leue respectu virium illorum, quibus imponitur: vnum & idem verbum potest esse vni grauiter iniuriosum, alij verò iocosum, & nullius momenti; & sic de cæteris exemplis, quæ adduci possent.

Excessiua nõ veniunt sub generali dispositione.

Et hæc sufficiant de formula istius Commutationis voti Religionis ob stimulos carnis, ad effectum contrahendi matrimonium: aliæ enim clausulæ omninò conueniunt cum eiusdem speciei clausulis prędictarum formularum, & ideo nihil addendum censeo.

IRO-

PRO EO QVI VOVIT RELIGIONEM INGREDI,

Sed ob virium debilitatem illius onera ferre posse diffidit; In hunc ferè modum rescribit, & mandat ei votum commutari.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs vouit Religionem ingredi S. Dominici. Cùm autem sicut eadem petitio subiungebat, Lator præfatus ob viriũ debilitatem diffidat onera Religionis ferre posse; pro sua conscientiæ quiete cupit sibi votum huiusmodi in alia pœnitentiæ opera per Sedem Apostolicam commutari. Quare, &c. Quatenus, si est ita, ac latorem, audita prius eius sacramentali Confessione, adeò debilis complexionis esse, vt idcircò Religionis onera sufferre non possit, neque spem esse quòd de proximo ita conualescat, vt Religioni aptus esse queat, inueneris; eundem latorem à mutatione propositi, quatenus tibi videatur, absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta. Iniuncta, &c. Sibique votum præfatum, dummodo vitam cœlibem ducat, in frequentiam sacramentalis Confessionis, &c. Reliqua sunt vt in præcedenti formula.

In hac formula pauca explicãda supersunt, quia paucis exceptis, omnia alia coincidunt cum præcedẽti: ideo breuiter totam istius formulæ explicationem concludam.

Latorem adeò debilis cõplexionis, &c. Causa finalis cur concedatur ista voti Religionis ingrediendæ commutatio, est inhabilitas vouentis ad subeunda onera Religionis, proueniẽs ex debilitate complexionis: & ideo exequutor debet multum perpendere, an dicta debilitas vere existat, talisque sit, vt verè vouentẽ reddat impotentem ad disciplinã regularem subeundã: illumque examinet de ratione viuendi huc vsque seruata. Primò circa cibum, an indifferẽter omni ciborum genere vescatur:

an

an ex aliquo peculiari cibo detrimentum notabile patiatur: an ex frigore, vel calore multum, & facillime diuexetur; an frequenter ægrotauerit; an labores corporis, & mētis moderatos sine valetudinis iactura notabili sustinuerit. Ex responsionibus enim, quas ad huiusmodi interrogatoria faciet vouens, melius informabit animum suum exequutor de cōplexione illius, quàm ex aspectu corporis, & colore: quia gracilitas, pinguedo, & color sæpissimè fallaces sunt: non tamen nego ista aliquādo esse adminicula ad formādum iudicium de robore, & debilitate corporis.

Adeo debilis, &c. Id est parum habilis. Et hinc collige non requiri totalem inhabilitatē, sed satis esse, vt sit parua habilitas; parum enim, & nihil æquiparantur. *argum. l. scio. 4. ff. de in integrum restit.* Et ratio cur parū habilis excludatur ab huiusmodi voto adimplēdo, est, quia Religioni esset pondus, & non subsidium, cùm Religionis onera sufferre non posset, & propterea suo exemplo alios ad relaxationem, & inobseruantiam regularem facillimè induceret. Quod est maximum Religionū malum. Sed aduertendum est istam paruam habilitatem regulandam esse ab omnibus, vel saltē principalibus regulis, & officijs Religionis, non autem ab vna, vel alia regula, vel munere; nisi sit principalis regula, vel præcipuū Religionis munus, quibus reliqua vti accessoria informentur, & dependeant; cùm omnes regulæ & munera vniuscuiusque sint inseparabilia accessoria ad primarium illius Institutum, & finem, & ideo sequuntur ipsius Instituti naturam: & si lator non est habilis ad Religionis institutum primarium, & finē, neque erit habilis ad alia media, quæ conducunt ad ipsum finem; cum accessoria sequantur naturam sui principalis. *d. c. accessorium, de regul. iuris in 6.* Rari enim, vel nulli reperiuntur, qui sint omnino habiles ad omnia.

Neque spem esse, &c. Ista inhabilitas non sufficit, vt solum duret eo tempore, quo fit cōmutatio: sed necesse est, vt probabiliter sit perpetuo duratura, vel saltem per tantum tempus, vt accedente grandæua ętate incapax remaneat regularis disciplinæ: si verò citò cessatura sit, non est sufficiēs causa ad commutandum votum. Istud autem, *citò*, extendo ad annum, vel duos circiter annos; dummodo tamen vouens sit iuuenis, & non mul-

multum excedat vigesimum quartũ annum, quo tempore iuuentus floret, & faciliùs ægritudinis molestias & incommoda superat; si verò est grandæuus, difficillimè ista totalis inhabilitas cessatura est, & vouens euasurus est multum habilis ad onera Religionis: & ideò si istã debilitatem nõ potuit iuuentutis vigore expellere, multò minus poterit matura ætas; sed quia in hoc etiam certa regula tradi non potest, ideò exequutoris prudẽtis arbitrio determinatio relinquẽda est. Ad quam determinationem facillimè poterit ille deuenire, si considerabit, an dicta debilis complexio sit connaturalis vouenti: si enim est connaturalis, difficillime remouebitur, & semper vouẽs erit inhabilis: nisi tamen conualescere iã cœperit; & propterea speretur de proximo perfectè conualitura: An verò ex aliqua infirmitate remanserit debilitata complexio? & ex qua infirmitate? quia infirmitates diuersas relinquunt affectionum tenacitates: & hoc casu considerandum erit à quanto tempore inceperit, an fuerit semper eadẽ; An meliorari, vel deteriorari cęperit; an ante pręfatã infirmitatẽ fuerit robustæ, vel delicatæ naturæ: si delicatæ, difficilius sperari poterit perfecta, & apta valetudo ad onera Religionis. Hęc & similia exequutor animaduertendo nõ errabit, sed securo procedet pede.

Sibique votum pręfatum (dummodo vitam cælibem ducat.) &c. Ista commutatio modificatur per particularis oneris appositionem, tanquam causæ finalis, videlicet per cælibatum seruandum. Quod vt melius percipiatur, præsciẽdum est istud nomen, *modus*, diuersimode accipi.

Primò. *modus*, generaliter accipitur, prout est omnis qualitas adiecta dispositioni. *l. obligationem.43. §. modus. ff. de action. & obligat.* & comprehendit modum, conditionem, cæteraque, quæ in contractibus apponi solent.

Secundò. *modus* specialiter accipitur prout est moderamen dispositionis per oneris appositionem tanquam causæ finalis: vt, promitto, vel lego tibi hoc, vt facias illud. *l. 1. C. de donat. quæ sub modo, vel condit.*

Dictiones, quibus signatur modus, sunt dictio, Vt. *dict. l. 1.* dictio, Dummodo, *l. cum ab eo, 41. ff. de contrah. empt.* dictio, Ne; *l. cũ pater. 79. §. Titio, vers. plane. ff. de legat. 2.* dictio, Ad, vt, Lego mille ad monumentum meum conficiendum: Dictiones, In, Pro, Nomine; vt lego

lego in dotem, pro dote, nomine dotis. *Syluest. verb. condit. num.* 3.

In secunda hac modi acceptione modificatur hæc nostra voti commutatio, videlicet, Vouenti commutes votũ, *dummodo vitam cælibet ducat*. Et intentio M. P. est, vt commutetur votum, dummodo in cœlibatu vouens remaneat; atque ita si vouens cælibatum non seruat, grauiter peccat, nõ autem commutatio iã facta, inualidatur, nisi fiat cum tali conditione, quod si non seruetur cælibatus, commutatio inualidetur, & annulletur. argumento *c. verum*.4. vbi *glos. de conditionibus appositis*.

Quæ tamen cõditio annullans & inualidans commutationem, non existit in prædicta Commutationis formula.

Præterea intelligi potest hæc clausula, *dummodo vitam cęlibem ducat*, pro primo onere, in quod commutatur votum, ita vt intelligatur tanquã onus principale & incommutabile ab Exequutore, & sensus sit, Commutes votum, sed vitam cælibem ducat, ex nostro mandato, & alia peragas à te nomine nostro, id est authoritate nostra iniungenda: & propterea hoc onus diuerso modo loquendi ponitur, quia Maior Pœnitentiarius per se ipsum, & non per interpositam personam iniungit, & vt à se immediate stabilitum & determinatũ ponit, ac per parenthesin separat ab alijs clausulis, per dictionem illam, *dummodo*, tendentem solum ad ea, quę Exequutor imponere debet ad sui arbitrium. Et ratio est, quia vouens ingredi Religionem non tenetur ad cælibatum vigore voti, nisi postquam ingressus fuerit Religionem. Et si v.g. à Superiore excludatur à Religione, non propterea remanet obligatus ad cælibatum; vt supra probauimus, dum de voto Religionis aliquid diximus: quia nemo tenetur ad onera illius status, quem vouit sumere, nisi postquam illum sumpserit. *Caiet. 2.2. q.89. art.3. & alij*; & ideò si vouens debet cęlibem vitam ducere, solummodo hoc debet ex noua obligatione à M.P. sibi imposita.

Cælibem vitam, id est absque matrimonio, & hoc solum intendit M.P. imponere per huiusmodi clausulam, quia per hoc solummodò medium, id est per matrimoniũ, licet cuilibet libero homini Christiano castitatem non seruare: & hanc libertatem vouẽs vouendo Religionem ingredi, Deo cõsecutiuè dedicat; ideò M.P. in cõmutatione voti illã explicitè iniungit, cùm non adsit causa cur à cælibatu huiusmo-

iusmodi seruando abstinere nequeat.

Reliquæ verò formulæ huiusmodi partes eodem modo sunt intelligendę, & exequutioni demandandę, prout in alia præcedenti voti Religionis formula diximus.

Pro Presbytero, seu Diacono, vel Subdiacono debilis complexionis, qui vouit Religionem, M. P. rescribit vt infra.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs vouit ingredi Religionem. Cùm autem, sicut eius petitio subiungebat, dictus lator propter debilem suam complexionem diffidat Religionis onera ferre posse; pro sua cōscientia quiete, cupit sibi votum huiusmodi in alia pœnitentiæ opera per Sedem Apostolicam commutari. Quare, &c. Quatenus si est ita, ac Latorem, audita prius ipsius sacramentali Confessione, adeo debilis complexionis esse, vt Religionis onera sufferre non possit; neque spem esse, qued de proximo ita conualescat, vt Religioni aptus esse queat, inueneris: eundem latorem à mutatione propositi (quatenus tibi videatur) absoluas hac vice, &c. Iniuncta ei pœnitentia salutari, sibique votum præfatum in frequentiam sacramentalis Confessionis peccatorum suorum, singulis scilicet hebdomadis semel, vel quoties tibi videbitur, & in alia pœnitentiæ opera perpetua per te iniungenda; partem videlicet earum pœnitentiarum, quas Regulares Ordinis, quem vouit, ex præscripto ipsius Ordinis in abstinentijs, vel ieiunijs, aut interioribus indumentis subire solent; inter quæ sint etiam aliqua, quæ quotidie facere teneatur ad eum finem, vt ea adimplens, &c.*

Hæc formula parum discrepat à præcedenti: & ideo parum in ea explicanda immorari necesse erit: discrepantias solum attingam.

Discrepat primò à præcedenti ob prætermissum cælibatum: nam cùm sacerdotes, alijque in sacris ordinibus cōstituti teneantur ex solemni

peretur prout dicit agregatũ triginta dierum solummodo: nam inciperet in vno, & finiret in alio.

Maior difficultas exoriri posset, quando quis vouens Religionem, esset etiam obligatus ex alio voto ad menstruam, vel alias confessiones, an hic satisfaciat, v. g. per vnicam confessionem his duabus obligationibus. Sed existimo illũ non satisfacturum vtrique obligationi, sed necesse esse vt bis in mense confiteatur: nam cõmutatio requirit opus subrogationis in locum voti commutati, aliàs non esset cõmutatio, quæ est, vt res vna dimittatur, & alia loco illius assumatur, vt supra probauimus.

Quid si in medio mense fieret commutatio? an necesse sit quod in eodem mense confiteatur denuò, licet, vt præsupponitur, occasione dictæ commutationis iam confessus sit?

Respondeo, quòd sicut tenebatur vouens adimplere votum, vbi primum commodè potuerat, sic etiam tenetur ad frequẽtiam confessionis incipiendam: cùm subrogatum sapiat naturam eius, in cuius locum subrogatur. *d. l. si eum, §. iniuriarum, ff. si quis caution. &c.*

Secus verò dicendum censeo, cùm medietas mensis elapsa iam sit: hoc enim casu existimo mẽtem Maioris Pœnitentiarij esse, non obligare velle vouentem ad nouam cõfessionem in ea mensis extremitate, nec rationem habuisse de isto modico tempore, ac si non esset, quia parum, & nihil æquiparantur *Bald. in authen. præterea C. vnde vir, & vxor. Corn. consil. 63. lib. 1. & consil. 77. lib. 2. & consil. 29. lib. 3. Soccin. consil. 108. col. 3. & notatur in c. de multa, verbo nullus aut rarus, de præben. & dignitat. &c.* *Parum, & nihil æquiparantur.*

Obijci potest. Præceptum de confitendo semel in anno non obligat, quãdo non adest materia necessaria cõfessionis, id est peccatum mortale, vel graue scandalũ: ergo etiam in casu nostro commutatio ista nõ obligabit vouentem ad cõfitendum singulis mensibus, quãdo ille non habebit graue peccatum, id est mortale.

Respondeo non valere illationem huiusmodi, cùm non adsit paritas. Nam in primo casu præcipitur necessarium ad salutem, quod consistit in se purgando à mortali: in nostro verò casu præcipitur necessarium ad vitæ perfectionem, ad quam vouens se obligauerat, quando peculiari voto se Deo dicauit, & ad quam tenetur nõ solum purgando se à peccatis mortalibus, verum etiam à ve-

venialibus, & ideo tenetur ad confitendum singulis mensibus, etiamsi non habeat peccatum mortale.

Et in alia pœnitentiæ opera perpetua, &c. Votum erat perpetuum, & ideo etiam res, quæ in locum eius subrogatur, debet esse perpetua. Caueat ergo exequutor, ne onus temporaneum, id est ad limitatum tempus duraturū, imponat vouenti. Nam si secùs facit, & contra rationem voti, & contra mentem M. P. faciet: immo & nulliter faciet, cùm deficiat in re substantiali, vt per se, & ex præmissis patet: deficiens enim in forma substantiali nulliter agit. *c. 1. de renunciat. c. veniens, 3. de presbyt. non baptizato.* Faceret etiam contra mentē M. P. quia omitteret formā eius dispositionis, omittendo perpetuitatem in operibus subrogandis loco voti perpetui: forma autem dispositionis si deficit, etiam in minimo, vitiat actum. *l. hæredes, 36. §. idem iuris, ff. familiæ ercisc. Bald. in c. cum adeo. 17. num. 4. de rescript.* Ratio est; quia ipsa dat esse rei, & ideò ea subiata corruit actus, *l. Iulianus 9. §. sed & si quis, ff. ad exhib. & notat. in c. fine except. 12. q. 1. Panor. in c. prudentiam, 21. num. 5. de off. delegati.*

Deficiens in forma substātiali nulliter agit.

Forma dispositionis omninò seruanda.

Et actus sic nullus, nullo modo valet, vt valere potest. *l. 1. §. si quis ita, ff. de verborū obligat.* & ideo neque commutatio voti valebit per totum illud tēpus, quo opera iniuncta duratura sunt.

In alia pœnitentiæ opera, &c. Hinc primò collige, non vnum opus iniungendum sufficere, sed plura: hoc enim important illa duo verba, ***alia opera,*** in numero plurali posita.

Secundò, non debere esse opera relaxandi animi causa, sed opera laboriosa, & fastidiū potius, quam quietē, & iucūditatem inducentia. Nam debēt præ se ferre pœnitentiā, id est pœnam tenentia: cùm pœna propriæ dicta sit illa, quæ est corporis afflictiua, vel quæ diminuit patrimonium. *l. in seruorum, 10. ff. de pœnis. l. 3. ff. de damno infecto. Panorm. in c. 1. num. 27. de postul. Prælat.*

Pœna propriè dicta, est corporis afflictiua.

Tertiò, non debere esse opera inter se incompatibilia, sed debent habere aliquam inter se similitudinem, & conuenientiam, hoc enim importat nomē adiectiuum, alia. *l. 3. C. de seruis fugitiuis, c. 2. de rescriptis in 6.* Quod si quæras, quænam esse debeat ista similitudo & conuenientia: Dico non esse aliam quàm salutem animæ vouentis, vt ex infrascripta clausula expresse apparebit,

rebit,

rebit: & ideo omnia ista opera pœnitentiæ subroganda debent esse media proportionata, & tendentia ad consequendā salutem animæ illius.

Quartò: Licet ista opera debeant esse perpetua, non tamen est necesse, vt omnia sint quotidiana: non enim necessariam connexionē habet perpetuum cum quotidiano: vt patet in pēsionibus ecclesiasticis perpetuis, quæ licet sint perpetuæ, non tamē quotidie persoluuntur; sed solum certis & statutis temporibus: & ideo sicut qualitas istorū operū relinquitur arbitrio exequutoris, ita etiam eius arbitrio relinquitur eorū numerus & dies, quibus peragēda sunt.

Quintò; qualitas istorum operum regulāda est ex qualitate vouentis; & ideo certa in hac regulā præscribi non potest. Existimo tamen iniungi posse onus recitandi singulis hebdomadis aliquos Psalmos, vel Coronas; audiēdi Sacrum aliquo die non festiuo; inuisendi aliquam Ecclesiam B. Mariæ Virginis, vel eius Ordinis, quem ingredi vouit, & ibi præcipuè Deum precandi pro felici progressu dicti Ordinis; aliquoties in mense ieiunandi, & communicandi; aliquam eleemosynam pauperibus elargiendi singulis mensibus, vel singulis annis; & alia huiusmodi opera iuxta statū, conditionem, & possibilitatē vouentis. Sed aduerte fuisse prædicta indicata, nō vt insimul omnia iniungātur, sed vt oportuniora ex eis eligantur.

Inter quæ sint, etiam aliqua Religionis, quam vouit, quæ quotidie facere teneatur, &c. Hic M.P. declarat mentē suam esse, vt non omnia opera subroganda in locum voti, sint quotidiana, sed solum aliqua: & hæc sint ex ijs operibus, quæ Religiosi eius Ordinis, quem vouit, vel quem ingressurus esset vouens, si votum adimpleret, subire solent ex præscripto Ordinis, id est ratione Regulæ, vel approbatæ consuetudinis. Ista verò opera debent esse compatibilia cum statu coniugali, non valde difficilia ad illorū exequutionem; nam aliàs ad illa adimplenda vouens non teneretur, quia valde difficilium & impossibilium idem est iudiciū. *l. idem Iulian. 41. §. constat. ff. de legat. 1.* & sicut ad impossibile nemo tenetur, ita etiam in nostro casu ad valde difficile non tenebitur. Nam magna difficultas æquiparatur impossibilitati. *l. nepos Procul 125. ff. de verb. sign. l. si seruus depositus. 22. ff. de noxal. l. diuortio. 37. ff. de negot. gest. Bald. lib. 1. consilior. cons. 101.* *Magna difficultas æquiparatur impossibilitati.*

Hinc

Hanc ob causam M.P. non præscribit particularia opera in suis litteris, quia si præscriberet, facillimè illapsurus esset in huiusmodi incompatibilitates, & difficultates, ob sibi ignotas qualitates vouētiū: & ideo in similibus operibus iniungēdis, exequutoris prudētia necesse est vt operetur.

Possent tamen in genere assignari aliqua ex infrascriptis: videlicet quotidie per aliquod breue temporis spatiū mentem ad Deum eleuare aliqua oratione vocali, vel mētali; capitulum alicuius libri spiritualis perlegere; quotidiano examine defectus animæ inuestigare; Sacrum quotidie audire; aliquod ex operibus Misericordiæ exercere, & similia peragere.

Ad eum finem, &c. Huiusmodi operum officium esse debet, quotidie in memoriam redigere vouenti obligationē voti remissam ex bonitate diuina, & successiuè animi grati virtutem in eo excitare, illūque monere de felici & perfecto statu Religionis, ad quem vocatus fuerat, & quē ex sua fragilitate amisit: vt ex huiusmodi recordatione recognoscens benignam, & misericordem manum Dei in se, cautiùs se gerat, suæque animæ saluti eo diligentiùs prospiciat, quò maius est periculum, in quo remansit, ob insanas mundi illecebras.

Obligationis, qua huiusmodi voto adstringebatur, &c. Voti obligatio erat ad ingrediendam Religionem, id est ad statum perfectionis assumendum. Nam Religio est quidam status perfectionis, & quoddam exercitium perueniendi ad perfectionem. ita *S. Thom. 2. 2. q. 182. & q. 186. art. 2.* Et ideo vouens recordari debet huius obligationis; vt sicut antea tenebatur ad perfectionem regularem, ita post voti commutationem, ad perfectionem coniugalē, ea qua decet sedulitate, exercendo se in operibus subrogatis: ne cum virginibus stultis excludatur à nuptijs cœlestibus.

Prout secundùm Deum, &c. Exequutor solum habeat prę oculis Deum; id est secundùm rectam rationem, remotis finibus humanis, consideret, quæ profutura sint saluti animæ vouentis, & illa imponat: aliàs seuerā redditurus est Deo rationē de anima illius, dignasque pœnas vt infidelis Christi minister luet. Caueat igitur Exequutor ne inconsiderate & humano repletus affectu in tam graui negotio se gerat.

Di-

Dispensando cõmutes, &c. Ex prędictis in principio explanationis huius formæ, hęc commutatio non est propriè commutatio, cùm non fiat saltem in æquale, sed est quid medium inter commutationem, & dispensationem, cùm subrogatio fiat in opus inęquale, & inferioris oneris, & ideò participat de commutatione, & dispensatione; condonat quod deest æqualitati, & commutat in inæquale.

Quod autẽ ista inæqualitas debeat esse moderata, aperte colligitur ex verbis ipsis M.P. Nam vt principale ponitur, *commutes;* & vti accessorium, *dispensando*; adeo vt esse debeat essentialiter, commutatio, quæ de natura sua est in maius, vel in ęquale, & per accessorium à rigore naturæ suę aliquantisper recedat; & ideò dicitur, *Dispensando commutes;* non autem, *commutando dispẽses.* Et sicut accessorium sequitur naturã sui principalis. *l.cùm principalis* 139. *ff. de regulis iuris, cap.accessorium* 42. *de reg. iuris in* 6. ita illud, *dispẽsando*, debet sequi naturam verbi, *cõmutes*, & successiue nõ multum eius naturã alterare.

Accessorium sequitur naturam sui principalis.

Secundò, istud verbum, *dispensando*, ponitur vt ablatiuum instrumentale. Et ideò exequutor illo vti debet in hac commutatione, vt instrumento, per quod possit tantisper moderari rigorem commutationis, non autem eius substantiam destruere.

Tertiò, ista inæqualitas debet esse moderata, & non nimis exorbitans, nam sub generali dispositione non comprehenduntur excessiua. *Bald. cons.* 372. *vol.* 3. *Crauetta cons.* 3. *num.* 19. & ideo sub ista generali clausula, *dispensando cõmutes*, non comprehenditur excessiua remissio obligationis voti; & exequutor debet ab excessiuitate omninò abstinere, & inter moderatos limites consistere, vt alijs prosit, & sibi non noceat. Ista verò excessiuitas, & moderatio regulanda est à qualitate, & conditione vouentis; nam vnum & idem pondus potest esse graue, proportionatum, & leue respectu virium illorum, quibus imponitur: vnum & idem verbum potest esse vni grauiter iniuriosum, alij verò iocosum, & nullius momenti; & sic de cæteris exemplis, quæ adduci possent.

Excessiua nõ veniunt sub generali dispositione.

Et hæc sufficiant de formula istius Commutationis voti Religionis ob stimulos carnis, ad effectum contrahendi matrimonium: aliæ enim clausulæ omninò conueniunt cum eiusdem speciei clausulis prędictarum formularum, & ideo nihil addendum censeo.

PRO EO QVI VOVIT RELIGIONEM INGREDI,

Sed ob virium debilitatem illius onera ferre posse diffidit; In hunc ferè modum rescribit, & mandat ei votum commutari.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs vouit Religionem ingredi S. Dominici. Cùm autem sicut eadem petitio subiungebat, Lator præfatus ob viriũ debilitatem diffidat onera Religionis ferre posse; pro sua conscientiæ quiete cupit sibi votum huiusmodi in alia pænitentiæ opera per Sedem Apostolicam commutari. Quare, &c, Quatenus, si est ita, ac latorem, audita prius eius sacramentali Confessione, adeò debilis complexionis esse, vt idcircò Religionis onera sufferre non possit, neque spem esse quòd de proximo ita conualescat, vt Religioni aptus esse queat, inueneris; eundem latorem à mutatione propositi, quatenus tibi videatur, absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta. Iniuncta, &c. Sibique votum præfatum, dummodo vitam cælibem ducat, in frequentiam sacramentalis Confessionis, &c. Reliqua sunt vt in præcedenti formula.

In hac formula pauca explicãda supersunt, quia paucis exceptis, omnia alia coincidunt cum præcedẽti: ideo breuiter totam istius formulæ explicationem concludam.

Latorem adeò debilis cõplexionis, &c. Causa finalis cur concedatur ista voti Religionis ingrediendæ commutatio, est inhabilitas vouentis ad subeunda onera Religionis, proueniẽs ex debilitate complexionis: & ideo exequutor debet multum perpendere, an dicta debilitas vere existat, talisque sit, vt verè vouentẽ reddat impotentem ad disciplinã regularem subeundã: illumque examinet de ratione viuendi huc vsque seruata. Primò circa cibum, an indifferẽter omni ciborum genere vescatur:

an

an ex aliquo peculiari cibo detrimentum notabile patiatur: an ex frigore, vel calore multum, & facillime diuexetur; an frequenter ægrotauerit; an labores corporis, & mẽtis moderatos sine valetudinis iactura notabili sustinuerit. Ex responsionibus enim, quas ad huiusmodi interrogatoria faciet vouens, melius informabit animum suum exequutor de cõplexione illius, quàm ex aspectu corporis, & colore: quia gracilitas, pinguedo, & color sæpissimè fallaces sunt: non tamen nego ista aliquãdo esse adminicula ad formãdum iudicium de robore, & debilitate corporis.

Adeo debilis, &c. Id est parum habilis. Et hinc collige non requiri totalem inhabilitatẽ, sed satis esse, vt sit parua habilitas; parum enim, & nihil æquiparantur. *argum. l. scio. 4. ff. de in integrum restit.* Et ratio cur parũ habilis excludatur ab huiusmodi voto adimplẽdo, est, quia Religioni esset pondus, & non subsidium, cùm Religionis onera sufferre non posset, & propterea suo exemplo alios ad relaxationem, & inobseruantiam regularem facillimè induceret. Quod est maximum Religionũ malum. Sed aduertendum est istam paruam habilitatem regulandam esse ab omnibus, vel saltẽ principalibus regulis, & officijs Religionis, non autem ab vna, vel alia regula, vel munere; nisi sit principalis regula, vel præcipuũ Religionis munus, quibus reliqua vti accessoria informentur, & dependeant; cùm omnes regulæ & munera vniuscuiusque sint inseparabilia accessoria ad primarium illius Institutum, & finem, & ideo sequuntur ipsius Instituti naturam: & si lator non est habilis ad Religionis institutum primarium, & finẽ, neque erit habilis ad alia media, quæ conducunt ad ipsum finem; cum accessoria sequantur naturam sui principalis. *d. c. accessorium, de regul. iuris in 6.* Rari enim, vel nulli reperiuntur, qui sint omnino habiles ad omnia.

Neque spem esse, &c. Ista inhabilitas non sufficit, vt solum duret eo tempore, quo fit cõmutatio: sed necesse est, vt probabiliter sit perpetuo duratura, vel saltem per tantum tempus, vt accedente grandæua ętate incapax remaneat regularis disciplinæ: si verò citò cessatura sit, non est sufficiẽs causa ad commutandum votum. Istud autem, *citò*, extendo ad annum, vel duos circiter annos; dummodo tamen vouens sit iuuenis, & non mul-

multum excedat vigesimum quartũ annum, quo tempore iuuentus floret, & faciliùs ægritudinis molestias & incommoda superat; si verò est grandæuus, difficillimè ista totalis inhabilitas cessatura est, & vouens euasurus est multum habilis ad onera Religionis: & ideò si istã debilitatem nõ potuit iuuentutis vigore expellere, multò minus poterit matura ætas; sed quia in hoc etiam certa regula tradi non potest, ideò exequutoris prudẽtis arbitrio determinatio relinquẽda est. Ad quam determinationem facillimè poterit ille deuenire, si considerabit, an dicta debilis complexio sit connaturalis vouenti: si enim est connaturalis, difficillime remouebitur, & semper vouẽs erit inhabilis: nisi tamen conualescere iã cœperit; & propterea speretur de proximo perfectè conualitura: An verò ex aliqua infirmitate remanserit debilitata complexio? & ex qua infirmitate? quia infirmitates diuersas relinquunt affectionum tenacitates: & hoc casu considerandum erit à quanto tempore inceperit, an fuerit semper eadẽ; An meliorari, vel deteriorari cęperit; an ante pręfatã infirmitatẽ fuerit robustæ, vel delicatæ naturæ: si delicatæ, difficilius sperari poterit perfecta, & apta valetudo ad onera Religionis. Hęc & similia exequutor animaduertendo nõ errabit, sed securo procedet pede.

Sibique votum pręfatum (dummodo vitam cælibem ducat.) &c. Ista commutatio modificatur per particularis oneris appositionem, tanquam causæ finalis, videlicet per cælibatum seruandum. Quod vt melius percipiatur, præsciẽdum est istud nomen, *modus*, diuersimode accipi.

Primò. *modus*, generaliter accipitur, prout est omnis qualitas adiecta dispositioni. *l. obligationem. 43. §. modus. ff. de action. & obligat.* & comprehendit modum, conditionem, cæteraque, quæ in contractibus apponi solent.

Secundò. *modus* specialiter accipitur prout est moderamen dispositionis per oneris appositionem tanquam causæ finalis: vt, promitto, vel lego tibi hoc, vt facias illud. *l. 1. C. de donat. quæ sub modo, vel condit.*

Dictiones, quibus signatur modus, sunt dictio, Vt. *dict. l. 1.* dictio, Dummodo, *l. cum ab eo, 41. ff. de contrah. empt.* dictio, Ne; *l. cũ pater. 79. §. Titio, vers. plane. ff. de legat. 2.* dictio, Ad, vt, Lego mille ad monumentum meum conficiendum: Dictiones, In, Pro, Nomine; vt lego

lego in dotem, pro dote, nomine dotis. *Syluest. verb. condit. num.* 3.

In secunda hac modi acceptione modificatur hæc nostra voti commutatio, videlicet, Vouenti commutes votũ, *dummodo vitam cælibet ducat*. Et intentio M. P. est, vt commutetur votum, dummodo in cœlibatu vouens remaneat; atque ita si vouens cælibatum non seruat, grauiter peccat, nõ autem commutatio iã facta, inualidatur, nisi fiat cum tali conditione, quod si non seruetur cælibatus, commutatio inualidetur, & annulletur. argumento *c. verum*.4. vbi *glos. de conditionibus appositis*.

Quæ tamen cõditio annullans & inualidans commutationem, non existit in prædicta Commutationis formula.

Præterea intelligi potest hæc clausula; *dummodo vitam cælibem ducat*, pro primo onere, in quod commutatur votum, ita vt intelligatur tanquã onus principale & in commutabile ab Exequutore, & sensus sit, Commutes votum, sed vitam cælibem ducat, ex nostro mandato, & alia peragas à te nomine nostro, id est authoritate nostra iniungenda: & propterea hoc onus diuerso modo loquendi ponitur, quia Maior Pœnitentiarius per se ipsum, & non per interpositam personam iniungit, & vt à se immediate stabilitum & determinatũ ponit, ac per parenthesin separat ab alijs clausulis, per dictionem illam, *dummodo*, tendentem solum ad ea, quę Exequutor imponere debet ad sui arbitrium.

Et ratio est, quia vouens ingredi Religionem non tenetur ad cælibatum vigore voti, nisi postquam ingressus fuerit Religionem. Et si v.g. à Superiore excludatur à Religione, non propterea remanet obligatus ad cælibatum; vt supra probauimus, dum de voto Religionis aliquid diximus: quia nemo tenetur ad onera illius status, quem vouit sumere, nisi postquam illum sumpserit. *Caiet. 2.2. q. 89. art. 3. & alij*; & ideò si vouens debet cęlibem vitam ducere, solummodo hoc debet ex noua obligatione à M.P. sibi imposita.

Cælibem vitam, id est absque matrimonio, & hoc solum intendit M.P. imponere per huiusmodi clausulam, quia per hoc solummodò medium, id est per matrimoniũ, licet cuilibet libero homini Christiano castitatem non seruare: & hanc libertatem vouẽs vouendo Religionem ingredi, Deo cõsecutiuè dedicat; ideò M.P. in cõmutatione voti illã explicitè iniungit, cùm non adsit causa cur à cælibatu huiusmo-

iusmodi seruando abstinere nequeat.

Reliquæ verò formulæ huiusmodi partes eodem modo sunt intelligendę, & exequutioni demandandę, prout in alia præcedenti voti Religionis formula diximus.

Pro Presbytero, seu Diacono, vel Subdiacono debilis complexionis, qui vouit Religionem, M. P. rescribit vt infra.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs vouit ingredi Religionem. Cùm autem, sicut eius petitio subiungebat, dictus lator propter debilem suam complexionem diffidat Religionis onera ferre posse; pro sua cōscientia quiete, cupit sibi votum huiusmodi in alia pœnitentiæ opera per Sedem Apostolicam commutari. Quare, &c. Quatenus si est ita, ac Latorem, audita prius ipsius sacramentali Confessione, adeo debilis complexionis esse, vt Religionis onera sufferre non possit; neque spem esse, qued de proximo ita conualescat, vt Religioni aptus esse queat, inueneris: eundem latorem à mutatione propositi (quatenus tibi videatur) absoluas hac vice, &c. Iniuncta ei pœnitentia salutari, sibique votum præfatum in frequentiam sacramentalis Confessionis peccatorum suorum, singulis scilicet hebdomadis semel, vel quoties tibi videbitur, & in alia pœnitentiæ opera perpetua per te iniungenda; partem videlicet earum pœnitentiarum, quas Regulares Ordinis, quem vouit, ex præscripto ipsius Ordinis in abstinentijs, vel ieiunijs, aut interioribus indumentis subire solent; inter quæ sint etiam aliqua, quæ quotidie facere teneatur ad eum finem, vt ea adimplens, &c.

Hæc formula parum discrepat à præcedenti: & ideo parum in ea explicanda immorari necesse erit: discrepantias solum attingam.

Discrepat primò à præcedenti ob prætermissum cælibatum: nam cùm sacerdotes, alijque in sacris ordinibus cōstituti teneantur ex solemni

voto castitatem seruare. *cap. clericus. 6. vbi gloss. in verbo, sine gradu, de vita & honestate cleric. cap. omnium Sacerdotum cum sequen. dist. 32. & c. aliter, dist. 31.* ridiculum esset illis imponere cælibatum occasione istius commutationis voti, ideò iure optimo omittitur.

Discrepat secundò in imponenda frequentia sacramẽtalis Confessionis. Nam in nostro casu tractatur cũ personis eminentioris ordinis, vt sunt Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi. *c. ad aures, de tempor. ordinat.* & ideo eminentioris perfectionis opera istis sunt iniungenda, inter quæ non secundum locum tenet singulis hebdomadis semel, aut pluries sacramentaliter peccata confiteri, nouaque gratiæ augmẽta sic cõgerere.

Igitur Exequutor tenetur iniungere prædictis personis constitutis in sacris, vt semel ad minus singulis hebdomadis confiteantur sua peccata sacramentaliter: & si secus faciat, nulliter facit, cùm contra formam à M. P. sibi præscriptam faciat, & faciens contra formam præscriptam nulliter facit. *c. veniens 3. de presbytero non baptizato.*

Quòd hæc sit intentio Maioris Pœnitentiarij, patet præcipuè ex dictione illa, *scilicet*, quæ de sui natura importat certam, & limitatam declarationem præcedentis dispositionis. *Dictio, scilicet, quid importet.*

Et ideò in nostro casu limitat & restringit subsequentem aliam dictionem, *semel*, ad tempus præscriptum, id est, ad singulas hebdomadas: sensusque est, vt isti teneantur vigore huius commutationis, ad semel in hebdomada confitendum.

Et quoties, &c. Hæc dictio, *quoties*, de natura sua est dictio ampliatiua, vt notat *Bartol. Alexand. & præcipuè Tiraquell. in l. Boues. 89. §. hoc sermone. limitat. 26. num. 2. ff. de verb. significat.* & ideo vbi ponitur, ampliat dispositionem, atque ita in nostro casu ampliat dispositionem factam circa frequentiam sacramentalis confessionis imponendam. Nam per superiorem dictionẽ restrinxerat ad semel saltem in hebdomada necessario confitendum; per hanc verò dictionem, *quoties*, ampliat, vt sæpiùs teneatur vouens in hebdomada confiteri, si Exequutor ita expedire iudicauerit. Poterit igitur Exequutor frequentiorem confessionem iniungere vouenti, si secundùm Deum viderit expedire. *Dictio, quoties, quid importet.*

In.

In alia pœnitentiæ opera perpetua, &c. Videlicet, &c. Per hanc clausulam M. P. instruit suum Exequutorem de modo, quo uti debet in iniungendis huiusmodi pœnitentiæ operibus, demonstrãdo & exẽplificãdo ex quo genere illa esse debeant, hoc enim importat dictio illa *(videlicet)* quæ ex sui natura demonstrat & exemplificat. *cap. cum Marthæ. 6. § distinguendum, de celebratione Missarum. cap. nouimus. 27. de verbor. significat. c. nihil. 44. prope finem, de electione, l. si ita vulneratus. 42. ff. ad legem Aquiliam. l. final. in fine, C. in quibus caus. restit. in integr. necessaria non est. gloss. in clement. causam, in verbo, videlicet, de electione. Decius cons. 423. num. 15.* Et etiam determinat *c. super litteris. 20. de rescriptis.*

Dictio, videlicet, exemplificat.

Demonstrat per illud verbum, *partem,* per quod indiscretionem excludit, non omnia pœnitentiæ opera iniungenda esse, quæ indiscrete iniungi possent, sed partem duntaxat eorum proportionatam, & conuenientem statui, & qualitati vouentis. Exemplificat vero per aliud verbum, *Pœnitentiarum,* per quod excludit opera honorifica & delectabilia, necnon pœnitentias in genere.

Determinat demum per subsequentia alia verba *Quas Regulares Ordinis, quem vouit, ex præscripto ipsius Ordinis, in abstinentijs, vel ieiuniis, aut interioribus indumentis subire solent,* quænam pœnitentiæ opera imponi debeant. Debet igitur Exequutor pensata qualitate vouentis, vt in præcedenti formula declarauimus, aliquas eligere pœnitentias facilioris exequutionis ex ijs, quas religiosi Ordinis, quem uouẽs ingredi vouit, vel ingressurus esset, ex regularum determinatione, vel ex communi eiusdem Religionis consuetudine subire solent, easque loco voti vouenti imponere.

In abstinentijs, &c. Abstinẽtia hic accipitur pro ut contradistinguitur à ieiunio, & solum accipitur pro quacunque priuatione cuiusuis cibi, moderatoque ciborũ vsu, *c. non dico. 18. cum duobus sequentibus, de consecrat. d. st. 5.* Nam aliquæ Religiones omninò abstinent ab esu carnium, & continuò vescuntur ouis, & lacticinijs, vt est Religio Carthusiana, Camalduleñsis, & Cõgregationũ reformatarum; & tamẽ non continuo ieiunãt. Aliæ Religiones aliquo die

in hebdomada extraordinariã communium ciborum parsimoniam seruant, vt obseruat mea Societas singulis sextis ferijs in honorẽ Passionis Domini nostri IESV Christi, & aliæ etiã Cõgrogationes Clericorum Regularium; quæ tamen abstinentiæ nõ sunt propriè ieiunium Ecclesiasticum. Huiusmodi abstinentiæ facillimè obseruari possunt ab homine in sæculo remanente: idcircò existimo partem aliquam huiusmodi abstinentiarum in cõmutatione voti subrogari securius posse, quàm alia ieiunia, quæ, quia rigorosiora sunt, facilius transgressionis periculo subiacent.

Vel ieiunijs, &c. Hìc nomine *ieiuniorum* sumitur ieiunium Ecclesiasticum, prout dicit abstinentiam ab esu carnium, ouorum, lacticiniorum, & vnicam in die comestionem.

Vel interioribus indumentis, &c. Nomine interiorũ indumentorum veniunt cilitia, catenulæ ferreæ, & similia, quæ ad lumbos, vel ad brachia, aut ad humeros, vel ad pectus solent admoueri, carnales impetus reprimendi causa.

Aduertat hìc exequutor nõ esse necesse, vt vouenti iniungat partem singularũ prædictarum pœnitentiarum, sed satis esse, vt partem vnius ex ijs imponat; hoc enim importat dictio, *vel*, inter prædictarum pœnitentiarum genera posita, quæ dictio de sui natura est alternatiua, & habet in se implicationem, & implicat præcedentia in sequentia. ita *Doctores communiter in c. inter cæteras, 4. de rescript. Octau. Vulpell. de præposit. & aduerb. significat. sub dictione, Vbi, vers. vel, pag. 127. col. 1. Menoch. cons. 3. num. 21. Surd. consil. 393. num. 8.* *Dictio, vel, alternatiua.*

Hæc etiam dictio est disiunctiua, quo ad verba, & quo ad effectum, & in ea sufficit alteram partem esse veram. *Menoch. de præsumpt. lib. 4. quæst. 83. num. 66. Cened. practic. & canon. quæst. singul. 29. num. 1.* & ideo Exequutor satisfacit suo muneri, si partem alterius dictarum pœnitentiarum imponat. *Est etiam disiunctiua.*

Si verò vellet partem vniuscuiusque dictarum pœnitentiarum imponere, non eum condemnabo; nam dictio, *vel*, stat aliquando copulatiue. *Menoch. cons. 187. num. 18. Gonzal. ad regulam 8. Cancellar. glossa 3. num. 15.* nec improbabile est, hoc etiam modo accipi à Maiori *Et aliquando copulatiua.*

Pœ-

Pœnitentiario, aut saltem non esse hanc interpretationem contra illius mentem; recordetur tamen debitæ discretionis, & animaduertat hanc partem non esse determinatam, sed relictam eius prudenti arbitrio; & ideo non eligat maiorem, ne onus non ferendum vouentis humeris imponat. Non tamen excludendam penitus existimo dimidiam præfatarum pœnitentiarum partem; sed tutiùs eligerem minorem partem earum, tanquàm onus regulariter omnibus proportionatum: nam multa sunt faciliora in Religione propter remotas occasiones, & aliorum conuiuentium exempla, ac propter efficaciora auxilia Religionis à Deo subministrata, quæ tamen in sæculo redduntur difficiliora, vbi desunt exempla, abundant tentationes, & pericula, nec adeò efficacia auxilia à Deo regulariter subministrantur, ob eorum culpam, & modicã vitæ dispositionem.

Inter quæ sint etiam aliqua, quæ quotidie facere teneatur, &c. In explicatione huius clausulæ duæ difficultates mihi occurrunt, quarum prima est: Quænam opera esse debeant, quæ sub quotidiana obligatione sunt vouenti imponenda; an ex prædictis pœnitentijs supra exemplificatis, an verò ex alijs mitioribus.

Secunda verò: An illud, *aliqua*, importet pluralitatem operum singulis diebus, an verò tractum successiuum, ita vt singulis diebus fiat vnũ opus.

Quoad primam difficultatem, Respondeo non esse necesse, vt Excequutor vigore huius clausulæ imponat vouenti sub obligatione quotidiana aliquod opus ex prædictis pœnitentijs exemplificatis; sed satis esse vt aliquid ex mitioribus iniungat. Et adducor primò, quia, quæ ponuntur exempli gratia, non restringunt regulam. *cap. 1. ne clerici, vel monachi. c. inter cæteras. 4. de rescript. l. si ita vulneratus. 42. prope finem. ff. ad legem Aquiliam. Panorm. in cap. nonnulli. §. sunt & alij, nu. 10. de rescrip.* Nam pauca exprimenda sunt exempli causa, vt in *d. cap. 1. vbi glosa in verbo, pauca, Ne clerici vel monachi. & cap. vnum orarium, dist. 25.* Et ideo huiusmodi exempla superius adducta non necessitant exequutorem ad prędictas pœnitentias solum: ergo possunt alia mitiora imponi.

Quæ ponuntur exempli causa non restringunt regulam.

Secundò, si necesse esset

vt vouens quotidie deberet aliquod ex præfatis pœnitētiæ operibus subire, magis rigorosam vitā in sæculo duceret, quàm in Religione ducturus fuisset: Nam Religio, vt plurimùm, ex præfatis operibus nullum sub quotidianā obligatione suis Religiosis imperat.

Tertio: sequeretur vt iugum Christi non esset suaue, & leue; nam perdifficile est in sæculo quotidie aliquod ex prædictis operibus adimplere; vt quisque in se experiri potest. Ergo mitiora, vt in prædicta alia formula declarauimus, imponi debent, videlicet vnum aliquem Psalmum quotidie recitare; inuisere aliquam Ecclesiam; & similia, quæ non ita aggrauent vouentem; nam melius est errare in misericordia remittendi, quam in seueritate vlciscendi. *cap. alligant. 26. q. 7.* vbi dicitur: Si Deus benignus est, vt quid sacerdos eius austerus?

Melius est errare in misericordia quā in seueritate.

Quo ad secundam difficultatem, videlicet: An illud verbum, *aliqua,* denotet pluralitatem operū singulis diebus faciendorum, an verò denotet tractum successiuum; ita vt tractu temporis plura huiusmodi pœnitentiæ opera subire debeat? Respondeo: si rigor litteræ attendatur, necesse esse, vt plura pœnitentiæ opera quotidie peragantur. Nam pluralis numerus vno nón contentatur. *Card. Tusch. pract. conclus. tom. 2. litt. D. conclus. 333. num. 1. & litt. P. conclus. 367.* Et dictio *aliqua,* refertur ad aliam dictionem, *quotidie,* quæ de sui natura respicit tēpus quotidianum. *argumen. l. diarijs. 21. ff. de alimen. & cibar. legat. l. nec semel. 12. §. si in habitatione, vbi notatur. ff. quando dies leg. cedit.* & significat perpetuitatē. *Felin. in proœmio Decretal. verbo, quotidie. Octau. Vulpell. de præposit. & aduerbiorum signific. sub dictione, quotiescumq; versic. quotidie, pag. 101.* Et ideo ista pluralitas debet esse singulis diebus: non tamen seligenda sunt difficiliora, cùm sufficiat, vt sint facilia, & breuia: nam dictio *aliquod,* vel *aliquid,* verificatur in modico, & ad aliquid minimum refertur. *l. si seruum. 70. §. prætor ait. ff. de acquiren. hæredit. gloss. in Clemen. 1. verbo, aut earum parte, de foro competenti. Tiraquell. in l. si vnquam. 8. verb. omnia. C. de reuocan. donat. num. 14. Menoch. cons. 4. num. 18. & consil 35. num. 9. Surdus decis. 283. nu. 8. & cons. 383. num. 12.*

Dictio aliquod, ad minimum refertur.

Duo tamen operum huiusmodi

modi sufficiunt ad istam quotidianã obligationem explendam: quia pluralis numerus in duobus ad minus debet verificari. *l. vbi numerus* 12. *ff. de testibus*, *l. libertas*, 17. §. *vlt. ff. de manumissis. testamen. l. inter illa*, 217. §. *fin. ff. de verb. signif. c. pluralis locutio*. 40. *de regul. iuris in 6. cap. is cui*. 19. §. *fin. de præbend. in 6.*

Pluralis numerus verificatur in duobus ad minus

Quæ duo opera possunt esse eiusdem generis, sed solum differre inter se numero: vt si, v. g. exequutor imponat vouenti singulis diebus, vbi primum surgit è lecto, recitare flexis genibus Psalmum Miserere, vel Canticum Magnificat, & similia, idemque repetere, cùm sero cubitum petit.

Possunt etiam esse ista duo opera diuersi generis, si ita exequutor expedire viderit. Nam M. P. hic indistinctè loquitur, & ideo videtur comprehendere vtrumque casum, quia lex indistinctè loquens omnem casum complectitur. *l. 1. §. generaliter, ver. in infinitum. ff. de leg. præstan.*

Lex indistinctè loquens comprehendit omnem casũ.

Non tamen absonũ à mente M. P. existimo esse, si vnum tantum opus, sed altioris ordinis, iniungatur vouenti: vt si vouens obligetur quotidie ad examinandam propriam conscientiam per dimidium horæ, vel ad orandum mentaliter quotidie per horam; vel ad audiendum Sacrum quotidie; vel si est sacerdos, ad illud quotidie celebrãdum; vnumquodque enim istorum operũ æquiualet pluribus prædicti inferioris ordinis operibus: & ideo, si exequutor vnum tantum ex his operibus vouenti iniungat, satisfacit suo officio: eo maximè, quia vnumquodque dictorum operum magis eleuant animã vouentis, Deoque magis illam vniunt, ac illum ad finem, quem M. P. intendit, adducunt; videlicet, vt ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua huiusmodi voto adstringebatur; quæ verba important animæ eleuationem, ac cum Deo coniunctionem.

Reliqua huius formulæ coincidunt cùm priori formula, & ideo nihil superaddendum pro nunc censeo.



PRO QVINQVAGENARIO SEV SEXAGENARIO VALETVDINARIO,

Qui vouit Religionem ingredi, in hunc ferè modum rescribitur.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs vouit Religionem ingredi. Cùm autem, sicut eadem petitio subiungebat, lator præfatus sit sexagenarius, ac infirmæ valetudinis: idcircò pro suæ conscientiæ quiete cupit sibi votum huiusmodi in alia pietatis opera per Sedem Apostolicam commutari. Quare, &c. Quatenus si est ita, ac latorem (audita eius sacramentali Confessione) propter ætatem, & malas corporis affectiones huiusmodi onera Religionis sufferre non posse repereris, eundem latorem, &c. vt supra.

Debilitas & infirmitas sunt idem, &c.

Ex ijs quæ in præcedētibus duabus formulis diximus, facillimè deducitur, quomodo præsens hæc formula intelligenda, & exequutioni demandanda sit; nam debilitas, & infirmitas, sunt inter se affines, & quod de vna afferitur; de alia etiam asserendum est, maximè quoad effectum, de quo ad præsens agimus. *Dec. in c. ſi pro debilitate, 3. num. 3. de Iudic.*

Omittitur in hac formula sequens clausula, *Neque spem esse, quòd de proximo ita conualescat, vt Religioni aptus esse queat:* nam ætas quinquagenaria, & sexagenaria ex se est prosternatrix virium, & tenax infirmitatum nutrix, & ideo subripit ab humano pectore spem recuperandi perfectam corporis valetudinem, qua onera Religionis ferri possint, liberatque nostrum exequutorem ab onere inuestigandi, an talis vouẽs de proximo cōualiturus, & futurus sit habilis ad onera Religionis ferenda. Sufficit ergo vt pręsens vouẽtis status consideretur, an sit habilis, nec ne ad Religionem, & secundùm quod reperitur, iudicetur.

Dubitari posset, an ista ætas intelligēda sit exacta, & completa, an verò inchoata: ita vt satis sit quòd attigerit vouens quinquagesimum, vel sexage-

Ætas inchoata intelligitur, vbi non exprimitur cõpleta.

xagesimum suæ ætatis annum. Sed facilè adducor ad credendum sufficere, vt huiusmodi ætas sit inchoata: Nam vbi lex non exprimit de ætate completa, intelligitur ætas inchoata; vt videre est in *cap. cùm in cunctis, 7. de electione. l. ad rem publicā 8. §. annus, ff. de muneribus & honoribus, l. in vsucapione, 15. ff. de diuers. & temp. præscript.* Et hanc esse mētem M. P. probabiliter credo: quia vouens, quidquid dierum, aut mensiū habet vltra quadragesimum nonum, vel quinquagesimum nonum ætatis suæ annum, spectat ad quinquagesimum, vel sexagesimum annum, & verè & realiter est cõstitutus in quinquagesimo, vel sexagesimo ætatis suæ anno; & ideo de eo verificatur quòd sit quinquagenarius, vel sexagenarius; vt hoc colligitur ex *Bart. in l. si cui. ff. de legat. 1.* vbi dicit, quòd, quando ætas profertur in genitiuo, requiritur quòd sit completa; in ablatiuo cum præpositione *in*, sufficit quòd sit inchoata, vt *in Clem. generalem, de ætate & qualit. ordin.* Sine dicta autem præpositione, requiritur quòd sit completa. *glos. in Clem. 1. verbo, triennio, de sequest. poss. & fructuum.* In accusatiuo cum verbo significāte rem perfectam, vt est præpositio, *per*, vel cum futuro coniunctiui, requiritur ætas completa. *l. non putabam, 47. & l. si in anno, 48. ff. de condit. & demonstr.* Sine tali verbo, si de fauore agitur, sufficit inchoasse, vt est in nostro casu; in quo agitur de pacificanda cõscientia vouentis, & de prospiciendo eius saluti spirituali. Nam in fauorabilibus annus inceptus habetur pro completo. *Ant. Butrius in cap. attestatione, 10. num. 13. de despons. impub. glos. in c. ad nostram, 8. de regul. in verb. ante consummationem, & in c. cum in cunctis, 7. de electione in verbo, exegerit.*

Annus inceptus habetur pro completo in fauorabilibus.

Secundò, quinquagenarius refertur ad numerum quinquagesimum, qui est diuisibilis; & ideo quicunque habuerit partem istius numeri, poterit ab eo numero accipere denominationem, & vocari quinquagenarius, præcipuè in fauorabilibus.

Tertiò, defectus sex, vel octo mensium in huiusmodi ætate regulariter non notabiliter corroborat vires; ita vt possit iudicari quòd M. P. illorum positioni innixus, cõmutationem voti huiusmodi concedendam duxerit.

Aduerte: tota ista difficultas solummodo fiet in quinquagenario, nam de sexagenario, nullum potest oriri dubium; quia, si quinquagenario com-

completo cōceditur commutatio, multo magis sexagenario inchoato.

Propter malas corporis affectiones, &c. Affectio vt ait Cicero *in lib. 1. de Inuent.* est animi, aut coporis ex tempore aliqua de causa commutatio: vt lætitia, cupiditas, metus, morbus, debilitas, &c. In nostro autem casu nomine istarum malarum affectionum intelliguntur tam infirmitates habituales, quæ difficillime curantur; cùm propter contractum habitum, sint factæ quasi connaturales; quàm etiam casuales, quæ ex aliquo accidenti sint contractæ, videlicet ex aliquo lapsu, ex esu ciborum malorum, vel ex alijs similibus accidentibus: huiusmodi enim infirmitates, licet per se sumptæ, sint curabiles; attamen propter subiecti in tam graui ætate constituti debilitatem, non possunt ita perfectè curari, quin earum vestigia remaneant, & vires notabiliter prosternantur.

Affectio quid.

Exequutor cum huiusmodi personis facillime poterit dispensare: nam regulariter sunt potius pōdus, quam subsidium Religioni: nisi forsan sint tantæ doctrinæ, sāctitatis, aut nobilitatis, vt illud Baldi dictum *in c. 1. num. 2. & Decij, ibidem de renunc. num. 5.* verificetur: *Plus valet vmbra senis, quàm gladius iuuenis:* & propterea vouentes non obstantibus mala valetudine, & grandæua ætate, sint profuturi Religioni; hoc enim casu cum aliqua circūspectione exequutor gerere se debet, cōsiderans qualitatem diffidentiæ, quam vouens habet in sufferendis oneribus Religionis: si enim magnam habet diffidentiam, non est opus alia mora, poterit cum isto dispēsare; quia imaginatio, vt Physici aiunt, facit casum; atque ita iste erit continuò inquietus, & sibi, & Religioni onerosus. Si verò ista diffidentia esset dubia, non ita facile deuenirem ad commutationem; quia aliæ qualitates præfatæ possent esse æquilibres cum debilitate, & infirmitate corporis. Sed totum hoc relinquitur arbitrio exequutoris.



PRO

PRO MVLIERE,

Quæ non habet ſufficientem Eleemoſynam pro ingreſſu Monaſterij, & ſtimulis carnis agitatur, ad effectum contrahendi Matrimonium, in hunc ferè modum reſcribitur, & cõficiuntur Litteræ pro commutatione voti Religionis.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipſa aliàs vouit Religionem ingredi. Cùm autem, &c. latrix præfata ſit pauper, & eleemoſynam pro ingrediendo Monaſterium non habeat: in ſæculo autem remanens, ob ſtimulos carnis, quos patitur, continere poſſe diffidat; Pro ſua conſcientiæ quiete cupit ſibi votum huiuſmodi in alia pænitentiæ opera ad effectum nubendi per Sacræ Pænitentiariæ officium commutari. Quare, &c. Quatenus (audita prius latricis ſacramentali Confeſſione) ſi diligenti habita perquiſitione, Tu inueneris ita eſſe, dictamque latricem adeò pauperem, vt eleemoſynam pro ingrediendo Religionem non habeat; neque ſpem eſſe, quòd de proximo illam honeſte acquirere poſſit, & ſine ea non recipi; & ſi in ſæculo maneat, periculum eſſe incontinentiæ; Eandem latricem à mutatione propoſiti, quatenus tibi videatur, abſoluas hac vice, &c. Iniuncta, &c. ſibique votum præfatum etiam ad hoc vt matrimonium contrahere legitime poſsit, in frequent, &c. Vt in præcedenti formula.

In hac formula duo declaranda videntur, in quibus à priori formula ſolummodo illa differt: videlicet defectus dotis, & periculum incontinentiæ in ſæculo, non autem ſimpliciter.

Defectus igitur dotis conſiderandus eſt reſpectu Monaſterij, quod oratrix ingredi vouit, ſi determinate aliquod Monaſterium vouit; nam alia Monaſteria ingredi non tenetur, etiamſi habeat pro illis ſuffi-

sufficientem dotem. *S. Tho. 2.2. quæst. 138. Sylu. in summa verb. Religio 2. num. 16. Tolet. in summa lib. 4. cap. 17. num. 6. versic. rursus.* Quia votum recipit virtutem ab intentione vouentis: & propterea non debet vltra illam extendi. Si verò vouit Religionem in genere, hoc casu defectus dotis considerandus est respectu diuersorum Monasteriorum Ciuitatis Oratricis; nam vouens Religionem in genere tenetur adire plures domos diuersorum Ordinum in sua Ciuitate, nec opus est peragrare Prouinciam ad hoc vt recipiatur. *Tolet. loco cit.* & ideo tenetur illud Monasterium ingredi, in quo recipienda est cum ea dote, quam habet.

Nec spem esse, &c. Duplex est Spes: altera Theologica, quæ est certa expectatio futuræ Beatitudinis ex gratia Dei proueniens, & meritis habitis, vel propositis. *S. Thom. 2.2. quæst. 21.* & de hac non habetur ratio in præsenti nostra formula, vt ex se patet. *Spes Theologica.*

Altera verò est legalis, quæ est opinio futurorum, & refertur tam ad bona, quam ad mala. *Bart. in l. Gallus 29. §. videndum, sub fin. & in l. si posthumus 14. de liberis, & posth.*

Hæc autem spes legalis duplex est, alia propriè dicta, alia verò impropriè, & lato modo. Spes propriè dicta est illa, quę habet credulitatem fundatam in humana ratione, non necessariò, sed probabiliter, concludente pro vna parte, & non pro alia.

Impropriè verò, & lato modo dicta spes, est illa, quæ habet credulitatem fundatam in leuibus coniecturis: & de hac nulla habetur ratio, cũ sit temeraria, & leuis. *arg. c. inquisitioni 43. de sent. excommunic.*

Igitur Spes in suo proprio significatu sumitur hìc à Maiori Pœnitentiario, prout est opinio habens credulitatem probabiliori in ratione fundatam: & propterea Exequutor debet videre, an sit talis spes acquirendi sufficientem dotem nec ne: si enim adest, debet abstinere à commutando voto, nam præcedens dictio, *Nec*, est dictio negatiua, & implicatiua casus contrarij ad expressum. *cap. 1. de sent. excomm. l. miles ita, 42. §. mulier, ff. de militari testam. l. nec auus, 4. vbi glossa, C. de emanc. liber.* Et ideo, quia vouens exposuerat non habere dotem sufficientem, ideò hic excluditur spes illa de proximo habendi, nã proximè accingẽdus habetur pro accincto, *l. penul. ff. de milit. testam.* & sic potẽtia proxima actui habetur pro actu, *l. item legato, 47. §. fin. ff. de legat.* *Dictio, Nec, est negatiua, & implicati. casus contrarij ad expressum.* *Proximè accingendus habetur pro accincto.*

legat.3.Gloſſa in d.l. penult. in verbo, confeſtim. Bart. in l. 1. §.ſed in eo,ff.ad Syllan.Bal.in l. ſi pro ea,C.mandati. Et continuatur excluſio futuræ dotis, nam dictio, *Nec*, non ſolum implicationem caſus contrarij ad expreſſum importat, ſed etiam continuat, & copulat præcedens dictum, eidemque coniũgitur, *l. nec quicquam 9. ff.de officio Proconſ. Card. Tuſchus pract.concl. tom.2. litt. D. concluſ.312. num. 1.* Et ideò intentio M. P. eſt, vt vouens pro obtinenda huiuſmodi cõmutatione non ſolum careat actuali ſufficientia dotis, verum etiam ſpe illam de proximo habendi.

Dictio, Nec, copulat.

Honeſte,&c. Per iſtam dictionem excluditur turpis acquiſitio dotis: nam ſi vouẽs pro certo habitura eſſet eodẽ die ſufficientẽ dotẽ, ſed cũ ſuę pudicitiæ iactura, vel alia Dei offenſione, nihilominus reiecta tali ſpe, fieri deberet commutatio; nam turpis conditio quemlibet contractum, & actum certum facit irritum, *cap.fin. de condit. appoſitis*. Ergo multò magis actum credulitatis: & præterea conditio turpis habetur, ac ſi non eſſet. *d.cap.fin.in fine*; Ergo iſta ſpes turpis acquiſitionis debet reputari, ac ſi non eſſet.

Conditio turpis facit irritum actum.

De proximo, &c. Iſta proximitas intelligẽda eſt tẽporanea, & prout reſpicit tempus.

Hoc poſito, tota difficultas remanet in determinatione temporis, quod proximitas huiuſmodi comprehendere queat. Et in hoc diuerſas reperio Doctorum opiniones. Prima eſt, quòd vltra ſemeſtre non ſit iſta proximitas, *l. non tantum 20. ff. de excuſ. tutor. vbi Bart. l.properandum, §. & ſi quidam, 12.C.de iud. Gloſ. in cap.atteſtationes 10. verbo, circa finem, & in cap. continebatur, 6. verb.proxima, de deſponſat. impub. Io. Igneus in l. 1. §. impubes, C. ad Syllan.* ſed *Goffr. in ſum. tit. de deſponſat. impub. num. 5.* dicit, quòd extendatur ad annum, vt videtur colligi ex *d.cap.continebatur*, vbi mulier in vndecimo ætatis anno conſtituta dicitur eſſe proxima pubertati.

Proximitas temporis, ad quod tempus extendatur.

Alij verò Doctores tenent iſtam proximitatem extendẽdã ad tres annos, & vltra. *Decius in l. pupillum 3. in principio, ff.de reg.iuris, Panor. in d. c.continebatur, in fin. de deſpõſ. impub. Ioann. Oynotomus ſuper inſt.de autho. tut. §. 2. num. 11. Gloſſ.in inſtit. de inutilibus ſtipulat. §.pupillus, verbo, infantiæ proximus, & ibidem de obligat. quæ ex delict. &c. in §.in ſumma, verb.proximus pubertati, & in d.l.pupillum, ff.de reg.iur.*

Qui

Proximus est pubertati qui agit decimum annum cum dimidio.

Qui omnes afferunt illum dici proximum pubertati, qui agit decimum annum cum dimidio completo: & tamen secundum omnes, pubertas in masculo est in anno decimoquarto completo, in fæmina verò in duodecimo similiter completo. Et hæc etiam dicitur proxima pubertati, cùm annum nonum cum dimidio peregit.

Sed ego existimo istius tẽporis determinationem relinquendam esse arbitrio prudẽtis exequutoris: nam ex quo nec ius, nec M. P. hoc determinant, Iudicis arbitrio est relinquendum. *cap. de causis 4. de offic. delegat. Ant. Butr. in d. cap. atteStationes, de desponsat. impub. num.* 13. *Goffr. Panorm. loco cit. Salic. in l. impunitas,* 7. *C. de pœnis, Io. de Ana. in cap.* 1. *de delict. puer.*

Exequutor igitur considerata qualitate personæ, quo ad ætatem videlicet, an sit supra vigesimumquintum, vel infra; nam plus protrahi potest istud tempus in minori vigintiquinque annorum, quàm in maiori: hæc enim quo magis crescit ætate, eò magis inhabilior ad Religionis onera sufferenda euadit: illa verò crescens ætate, fit capacior status eligẽdi, & electi retinendi, ac propterea differendo ingressum, euadit habilior ad Religionis iugum subeundum. nec non etiam pensato eius ingenio, quo ad industriam videlicet, an labore manuum suarum acquirere dotem possit; quoad familiam, an à suis consanguineis, affinibus, & propinquis eam sperare possit; cõsiderata etiam qualitate patriæ, quo ad conciues, an sint eleemosynarij, an diuites, an adsint legata pia, pro Religionem ingredi volentibus; an huiusmodi auxilium vouens consequutura sit: his & similibus consideratis, poterit determinare istud tempus proximum.

Et sine ea non recipi, &c. Quia M. P. ignorat conditionem vouentis, & statum Monasterij, quod vouens ingredi vouit, vel ingressura esset, ideo ponit hanc clausulam. Dari enim potest casus, quòd vouens tantæ sit virtutis, & qualitatis, vt recipiatur etiam sine dote, & Monasterij opes sint adeo pingues, vt possint eam recipere sine dote: tali casu illa tenetur ingredi etiam sine dote, nec illi commutandum est votum.

Et, si in sæculo maneat, periculum, &c. Per hæc verba ad monetur Exequutor, vt reperto dotis defectu, secundo loco consideret,

an

an vouentis pudicitia periclitatura sit, si remaneat in sæculo. Hoc autem periculum non est necesse, vt actu sit, sed satis est, vt probabiliter futurum sit: hæc vero probabilitas colligi potest ex complexione vouentis; difficilius enim continetur mulier naturæ calidæ, quàm frigidæ; ex moribus, & virtutibus, ex formositate, vel deformitate corporis; facilius enim formosa, quàm deformis, solicitatur, & violatur: ex occasionibus, & familiaritatibus, & alijs similibus coniecturis; quibus formari potest animus Exequutoris ad determinandam præsumptionem futuri periculi incontinentiæ.

Nota quòd defectus dotis, & periculū incontinentiæ, veniunt æque principaliter in causa istius commutationis. nam dictio, *&*, est dictio copulatiua, *l. si quis ita stipulatus* 29. *ff. de verb. oblig.* & facit vt copulata veniant æque principaliter. *l. si mihi, & Titio*, 110. *ff. de verb. obligat. l. reos*, 11. *§. tabulis, ff. de duobus reis, & notat Panormit. in cap. querelam, num. 6. de simonia*. Et ideo ambæ istæ duæ causæ verificari debent, antequam ista commutatio fiat; & si altera earum deficiat, gratia est nulla, quia quælibet earum est insufficiens causa ad

Dictio, &c. facit copulata venire æque principaliter.

obtinendam huiusmodi commutationem: nam defectus dotis pro ingressu Religionis, non est sufficiens causa, vt talis vouens habilitetur per voti commutationem ad contrahendum matrimonium; quia vouens tenetur adhuc se conseruare in tali statu, vt cessante isto impedimento, possit illico votum adimplere.

Multò minus est sufficiens causa, ad commutandum votum, conditionale periculum incontinentiæ; cùm huiusmodi periculum auferatur per ingressum Religionis: nam vt præsuponitur, periculum istud est, si vouens in sæculo remaneat; ergo si non remanet in sæculo, non erit istud periculum. Ergo non est sufficiens causa ad votum commutandum, istud conditionale periculum. Ergo vtraque causa verificari debet, ad hoc vt commutatio huiusmodi fieri possit, aliàs commutatio est nulla.

Præterea, defectus dotis est solum sufficiens causa ad concedendam dilationem, cùm dos sit causa solum extrinseca pro ingressu Religionis, *cap. dilectus* 30. *& cap. quoniam* 40. *de simonia*: nam gratis cuilibet exhibendus est Ingressus Religionis: sed quando Monasterium est tenue, & paupertate gra-

Dos est causa extrinseca pro Religionis ingressu.

grauatum adeò, vt non possit sustentare suis redditibus nouiter ingredi volentem, tunc solum licitè potest peti & accipi aliquid pro victu personæ ingredientis, *c. si quis* 1. *q.* 2. *S.Thom.*2.2.*q.*100.*art.*3. *Sylu. verb. simonia, num.*15.

Etiam ad hoc vt matrimonium, &c. Cùm dubitari posset, an ex solo dubio futuræ incontinentiæ, si vouens in sæculo remaneat, esset inducenda causa sufficiens ponendi vouentem in tali statu, vt impossibilitetur magis ad ingressũ Religionis, ideo M.P. hic ponit dictionem, *etiam*, quæ est dictio implicatiua, & expressiua casus magis dubitabilis. *l. etiam*, 141. *ff. de verb. signif. l. conuenticula*, 15. *C. de Episc. & Cler. l. etiam*, 3. *C. si tutor, vel curator interuenerit. Surd. consil.*445.*n.*28. *Menoch. consil.*116. *n.* 8. & excludit dubium determinando, quòd vouens possit nubere.

Dictio, etiã, est expressiua casus magis dubitabilis.

Obijci potest contra prædictam nostram sententiam. Si mens M. P. esset, vt prædictæ ambæ causæ æque principaliter venirent, necessitaretur vouens ad contrahendum matrimonium sub pœna nullitatis gratiæ: sed non necessitatur: ergo prædictæ duæ causæ non veniunt æquè principaliter; Quòd autem non necessitetur, patet, quia vtitur verbo, *possit*, quod verbum de natura sua importat facultatem, ac liberam volũtatem, non autem necessitatem, quãdo affirmatiuè, vt est in nostro casu, profertur. *l. sæpe*, 8. *cum ibi notatis, ff. de offic. Præsid. l.* 1. *C. quomodo, & quando Iudex, &c. glos. in cap. statutum, verbo, possit, de rescript. Surdus de alimẽtis tit.*5. *q.*4. *n.*14. *cum sequent. Bertaz. de claus. instrum. claus.*27. *glos.*13. *c.*7. *num.*6. *Steph. Gratian. discept. forens. tom.*1. *cap.*146. *num.*15. *Sanch. de matrim. lib.*6. *disp.*38. *num.*20.

Verbum, possit, non cogit.

Respondeo primò, M.P. vti verbis facultatiuis, & liberam voluntatẽ denotantibus, quia rescribit super materia, quæ requirit libertatem. Matrimonia enim debent necessariò esse libera ab initio. *c. veniens*, 13. *& c. requisiuit* 12. *de sponsalib. c. præsẽs*, 20. *q.*3. *c. vbi* 31. *q.*2. *c. vbi* 74. *dist. l. neque*, 15. *C. de nuptijs. l. Titia*, 134. *ff. de verb. oblig.* Et hæc libertas solum tollitur ex delicto, *c.*1. *de adult.* Sed nec propriè tollitur libertas, quia stuprator virginis solum cogitur ad illam ducendam, cùm nolit, vel nequeat illam dotare: Ideo M.P. cùm velit in huiusmodi commutatione obligare vouẽtem ad contrahendum, vtitur simi-

Matrimonia poscunt libertatem.

libus

libus verbis libertati nō præiudicialibus: non tamen inde sequitur quòd vouens non necessitetur ad cōtrahendum matrimonium, si huiusmodi commutationis beneficio vti velit: nec nouum est, vt verba, quæ de sui natura non important necessitatem, sed potius libertatem denotant, quādo sunt à Superioribus prolata, inducant necessitatem in subdito; vt de verbo, *Rogo*, & similibus apparet *.cap. vnico, §. porro, de statu regul. in 6. glos. in c. beatus, 7. q. 1. & in c. rogo, 11. q. 3. Tiraquel. de pœnis temper. caus. 35. num. 4. cum sequent. &c. Panorm. in cap. nam concupiscentiam, 4. de consti. num. 3.* Nam verba deseruiunt intentioni proferentis, non autem intentio verbis. *c. intelligentia 6. de verb. signif. l. non aliter, 67. ff. de legatis 3. l. scire, 17. ff. de legibus. Panorm. loc. cit.*

Verbum, Rogo, à Superiore prolatū inducit necessitatem.

Verba deseruiunt intentioni proferētis, nō autem intentio verbis.

Quòd autem intentio M.P. sit obligandi vouentem ad cōtrahendum, dubitari non potest: nam vult consulere periculo probabili incontinentiæ: huic autem periculo consuli nequit, nisi per matrimonium, stante defectu dotis, & permāsione in seculo: ergo intentio eius est obligare vouētem ad matrimonium, & non relinquere vouentis libertati matrimonium contrahere, vel non contrahere.

Secundò respondeo: finis in omni actu spectandus est. *l. nuper, 11. §. finali, C. de natural. lib. l. denique, 3. §. 1. ff. de minoribus. l. veni, 40. ff. de fur.* Et à fine omnis actus iudicatur. *l. rem non nouam, 12. C. de iud.* Ergo finis, quem habet M. P. in ista commutatione, spectandus est, & secundum istum finem commutatio iudicanda. Finis huius cōmutationis est, per matrimonium consulere futuro periculo incontinentiæ: & ideò M. P. vtitur dictione, *ad*, quæ importat causam finalem & substantialem. *Menoch. consil. 352. num. 1. & 2. Cened. pract. & canon. quæst. sing. 49. num. 8.* Et alia dictione, *vt*, quæ propriè ostendit causam finalem. *l. si creditor, 9. ff. de distract. pignor. l. emptori, 36. ff. de euict. l. 4. ff. de testibus, c. vt Clericorum, 13. de vita, & honestate Cleric. cap. vt debitus honor, 59. de appellat.*

Actus iudicatur à fine.

Dictio, ad, importat causam finalem.

Dictio, vt, ostendit causā finalem.

Ergo secūdum istum finem commutatio huiusmodi iudicanda est. Et sicut iste finis non potest haberi separatim per vnamquamque dictarum causarum, sed per vtramque coniunctim, vt supra probauimus; ita etiam concedendum est vtramque causā venire æque principaliter, & per consequens vtramque verifi-

candam esse, vt hęc commutatio subsistat: ergo si vouens desiderat beneficio huius cōmutationis frui, debet contrahere matrimonium: ergo præsupposito quod vouēs velit huiusmodi commutatione vti, necessitatur contrahere matrimonium.

Residuum istius formulæ est commune cum pręcedētibus formulis, & ideo nihil superaddendum censeo.

PRO EO QVI VOVIT INGREDI RELIGIONEM,

Et deinde Matrimonium contraxit, quod tamen nondum consummauit.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs vouit Religionem ingredi, sed postea fragilitate carnis deuictus, matrimonium cum quadam muliere in facie Ecclesiæ contraxit, non tamen illud ausus est consummare. Cùm autem, &c. dictus Lator de præmissis plurimum doleat, & in dicto matrimonio remanere, illudque consummare licitè posse desideret, pro sua conscientiæ quiete cupit à præmissis per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare supplicari. &c. Quatenus si est ita, dictum Latorem, audita prius, &c. à transgresione dicti voti absoluas hac vice, &c. Sibique votum prædictum, ad hoc, vt in dicto matrimonio remanere, illudque consummare licitè posit, in frequentiam sacramentalis Confessionis, &c. vt supra, in foro Conscientiæ, &c. Ita quod si vxori superuixerit, & non habuerit aliquod legitimum impedimentum, eodem voto teneatur, vt prius: & ita illum moneas. Datum, &c.*

Ista formula coincidit in idē cum pręcedentibus; per vnicam tantum clausulam in fine positam differt; & ideo hoc loco operæ pretium erit, illam solummodo declarare.

Ita quod si vxori superuixerit,

uixerit, &c. Per istam clausulam limitatur, & restringitur commutatio, nam prędictæ duæ dictiones, *Ita quod*, sunt limitatiuæ, restrictiuę, ac taxatiuę pręcedentis dispositionis, vt notatur in *l. Lutius*, 78. *§. quæ habebat, ff. ad Trebel. l. Gallus, §. idem credendum, in fin. ff. de lib. & posth. Surdus consil.* 315. *n.* 24. *Cened. pract. & canon. quæst. sing.* 39. *num.* 1. *Dec. cons.* 221. *n.* 16. *Gratus de dictio. dict.* 110. *Barbos. de dictio. dict.* 182.

Dictiones, Ita quod, sunt limitatiua.

Ratio autem istius restrictionis est, quia temere contrahens matrimonium, contra votum emissum, non meretur liberam ipsius voti commutationem, sed quantum in se est, adhuc tenetur implere votum, ac ingredi Religionem etiam inuita vxore. *c.* 2 *erum*, 2. *de conuers. coniugatorum, & c. ex parte*, 14. *eod. tit.* Commutatur autem ei votum potius ratione suæ vxoris, ne illa absque sua culpa puniatur; & ex culpa solùm viuētis mariti spolietur matrimonio cōtracto, quàm ratione sui ipsius, qui adhuc potest, & debet implere votum, nec in se habet sufficientem causam nō adimplendi votum, & obtinēdi illius commutationem: vt ex ipsiusmet facti narratione præsupponitur: & ideo durante huiusmodi respectu, debet durare commutatio, eoque cessante illa debet cessare. *c. cū cessante*, 60. *de appellat. c. non debet.* 8. *§. cum ergo, de consang. & affinit. l. adigere*, 6. *§. quamuis. ff. de iure patron.* Et vouēs debet ingredi Religionem.

Et non habuerit, &c. Cùm quis sit obligatus ad aliquid præstādum, & impediatur impedimento, quod difficillimè remoueri potest, excusatur ad illud pręstandum. *argum. l. qui commeatus*, 14. *ibi Bart. de re milit.* Quia reputatur impossibile quod cùm maxima difficultate fieri potest. *l. Africanus, vel, apud Iulianum*, 11. *§. fin. ff. de legat.* 1. *Decius in l. qui potest.* 134. *n.* 3. *ff. de reg. iur.* Ideò M.P. hic declarat vouentem excusādum ab adimplendo voto post suæ vxoris obitum, si habuerit aliquod legitimum impedimentū, quod impossibilitet ipsū ad ingressum Religionis. Quænam sint huiusmodi legitima impedimenta, colligitur ex supradictis formulis: videlicet, infirmitas, debilitas, grauis agitatio carnis, matura ætas, & alia similia; quæ afferam, dum explicabo formulas declaratorias votorum. Nam tali casu censetur commutatio simpliciter facta, & vouens omninò liberatus ab onere ingrediēdi Religionem: immò existimo

Impeditus si non agat excusatur.

Maxima difficultas æquiparatur impossibili.

posse illum de nouo contrahere matrimonium. Non enim video, ex quo capite possit cogi ad cælibatum, dum à M. P. tale onus non exprimatur: & quando non exprimitur, intentio Superioris cõiecturanda est ex iure, *c. postulasti, 27. de rescript. Decius in c. ad aures, 8. n. 27. de rescript.* Iura autem volunt quòd in oneribus imponendis, ea solum inducantur, quæ exprimuntur. *c. is qui, 18. de sent. excommunic. in 6. vbi communiter DD. glos. in c. 2. verbo, debitum, de cognatione spirituali.* Et eo magis ad hoc credendum inducor, quia voti commutatio est facta in opera perpetua, sine obligatione cælibatus, prout supra diximus in præcedentibus formulis commutationis voti Religionis ad effectum contrahendi matrimonium.

Intentio Superioris ex iure coniectu-randa.

PRO LAICO QVI VOVIT

MONASTICAM RELIGIONEM INGREDI,

Vt Religionem N. ingredi possit, in hunc modum rescribitur, & expediuntur Litteræ.


F*R. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs vouit Monachalem Religionem ingredi. Cùm autem, &c. Lator præfatus desideret loco Religionis Monachalis, ingredi N. Religionem, pro sua conscientiæ quiete petit humiliter sibi votum huiusmodi per Sedem Apostolicam commutari. Quare, &c. Quatenus si est ita, eundem Latorem, audita prius eius sacramentali Confessione, à mutatione propositi, quatenus tibi videatur, absoluas hac vice, &c. Iniunct. &c. sibique votum prædictum in hoc tantum, vt dictam Religionem N. loco alicuius Monasticæ, quam vouit, ingredi possit, commutes in foro Conscientiæ, &c.*

Hæc formula est breuis, & clara, & propterea executor in hoc vno tantum laborare debet, videlicet in animaduertendo, an expediat animæ saluti vouentis, Monasticam Religionem deserere, & istam aliam ingredi. Quod facillimè assequetur, si perpendet qualitates animi, & corporis vouentis,

vouentis, easque conferet cũ vtraque Religione: videlicet Virtutes, an æque bene in vtraque Religione sint conseruandæ, augendæ, vel potius diminuendæ: scientiam, an sibi & proximis æque bene sit profutura, nec ne? Malos habitus, an æque bene in vtraque Religione sint extirpandi: perseuerantiam, an æque bene sit futura in vtraque Religione: corporis valetudinem an æque bene quo ad diuinum obsequium & animæ salutem sit conseruanda, & similia. Nam si exequutor aliquod notabile in secunda Religione futurum reperiet in præiudicium spiritualis salutis vouentis, à commutatione voti omnino abstineat: quia eius facultas est commutandi votum, non autem dispensandi, & remittendi: vt ex ipsiusmet formulæ verbis colligitur: & ideo æqualitatem debet seruare, vel saltem non notabilem inæqualitatem inducere in ista commutatione. Et si de hoc præiudicio etiam dubitet probabiliter, etiam abstineat, quia in dubio tutior pars est eligenda. *cap. vnico, de scrutin. in ord. facien. in verbo, æstimare. Panorm. in cap. 1. de postul. Prælat. n. 17.*

Si autem exequutor iudicauerit in Domino expedire huiusmodi commutationem faciendam, exequatur istam formulam ad litteram; nam nihil de suo ponere debet; & commutet votum in obligationem intrandi secũdò dictã Religionem. Nec est necesse vt vltra dictum onus intrandi secundò dictam Religionem, subroget alia opera: sed sufficit dicta obligatio: & ideò M. P. adiunxit dictionem illam, *tantùm*, quæ est dictio taxatiua, & restrictiua ponens ea tantummodo, quæ affirmat, cæteraque excludit. *Bald. in l. ita nobis, 28. C. ad l. iuliam de adult. Bartol. in l. 1. & ibi Ias. num. 9. ff. si quis ius dicenti, &c.*

Dictio, tantum est taxatiua.



COMMVTATIO VOTI IN POENAM.

Pro Laico, qui à carnali conuersatione cuiusdam Mulieris abstinere cupiens, si amplius ad eam carnalem haberet accessum, vouit ingredi Religionem; & deinde transgressus est, & ideo voto obligatus remansit; in hunc modum expediuntur Litteræ.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs, vt se à carnali commercio cuiusdam mulieris abstineret, vouit, si ampliùs ad illam carnalem haberet accessum, se Religionē ingressurum; & nihilominus postea illam carnaliter cognoscendo obligatus remansit dicto voto. Cùm autem, &c. Lator præfatus diffidat Religionis onera ferre posse, pro suæ conscientiæ quiete cupit à præmissis, de quibus plurimum dolet, per Sedem Apostolicam absolui, sibique obligationem intrandi Religionem in alia pœnitentiæ opera commutari. Quare, &c. Quatenus, si est ita, dictum Latorem (audita prius eius sacramentali Confessione) à transgressione huiusmodi absoluas, &c. sibique obligationem intrandi Religionem, dummodo vitam cælibem ducat, in frequentiam, &c. dispensando commutes, quo ad præterita, & in foro conscientiæ, &c. Ita quod nihil sibi concessum intelligat, quo minus contra votum acturus, & eandem pœnam incursurus sit, quoties idem admiserit in futurum, si ita se, cum vouit, obligare intendit.

Hæc formula est ferè eadē cum præcedenti pro vouente infirmæ, vel debilis complexionis, & ideo exequutorem remitto ad ea, quæ ibi adduximus, & declarauimus. Hìc solum explicabo vltimā clausulā propriā pręsentis formulę, quæ nō est in præcedentibus.

Quo ad præterita, &c. Per hanc particulam M.P. declarat

clarat huiusmodi commutationem solummodo faciendā esse quo ad obligationem contractam ex voto per præcedentem transgressionem, non autem, quoad votum simpliciter: & propterea superius in dispositione commutationis vsurpauit nomen *obligationis* intrandi Religionem, non autem *voti*.

Deinde actus transgressionis voti est quid distinctum à voto; & ideò cùm quis ab soluitur à transgressione, nō censetur absolutus ab ipso voto, sed adhuc remanet votum; & præcipuè in nostro casu, in quo votum stat in destructionem transgressionis; cùm sit positum in pœnam illius, immò illius pęna: pœna autē est, quę punit, & vindicat delictū, *cap. pœnitentia*, 4. *de pœnitentia dist*. 3. Et sicut lex pœnalis non tollitur ex eo, quod quis contraueniens, vel pœnam luerit, vel à commisso delicto absolutus fuerit: ita neque votum pœnale tollitur ex eo, quòd transgressor pœnam in voto contentam luerit, vel illi commutata fuerit.

Pœna vindicat delictum.

Et quòd hæc sit mens M. P. colligitur tum ex adiecta dictione, *tantum*, quæ est taxatiua, & ea tantummodo ponit, quæ affirmat, cæteraq; excludit, vt supra diximus; tum ex reliquis sequentibus verbis, & dictionibus.

Ita quod, &c. Postrema huius clausulæ pars est declaratoria præcedentis dispositionis; declaratque nihil prorsus contra firmitatem voti innouatum, sed intactum omninò illud remanere, adeò vt, si vouens iterum transgrediatur, iterum eandem obligationem intrandi Religionem contracturus sit.

Si ita, &c. Sunt verba limitatiua, & limitant præfatā declarationem, quādo vouēs aliter senserit, cùm vouit; videlicet; si habuit intentionem ad primam duntaxat trāsgressionem, esse terminandam pœnam, & votum; hoc enim casu absolutus à transgressione remanet absolutus, & liberatus à voto in futurum. votum enim recipit vim, & virtutem ab intentione vouentis, *cap. litteraturam*, 3. *de voto*, *l. obligationum*, 3. §. *non satis*, *ff. de action. & obligation.*

Si verò vouens non habuit talem intentionem limitatam ad primam transgressionem, sed simpliciter vouit; tunc habet locum prædicta generalis declaratio, quòd absolutus à trāsgressione adhuc remaneat sub eodem voto in futurum. Equo enim indomito fræna imponenda, non autem remouenda sunt.

Hic aduerte, loco præcedentis clausulæ solere aliquando apponi hãc aliã, videlicet: *In foro conscientiæ, & de præterito tantum; firmo remanente ipso voto in futurum sub eadem pœna*. Et quia vtriusque clausulæ idem est sensus, sed solum verba diuersa, ideo nihil superaddendum censeo. Aduertat tamen exequutor, hac in postrema clausula subintelligi eandem conditionem, *etiam. si ita se, cùm vouit, obligare intendit*: nam M. P. inhęret priori obligationi voti, & non præsumitur velle pręiudicium aliquod inferre libertati vouentis. *arg. l. 2. §. si quis à Principe, ff. ne quid in loco publico*.

Preiudicium non presumitur inferri libertati.

Eodem modo rescribitur pro transgressore iuramenti pœnalis, & ideo superuacaneum duco hìc eius formulã inserere.

COMMVTATIO COELIBATVS.

Pro eo qui vouit Religionem, & postea commutationem obtinuit, cum clausula, dummodo vitam cœlibem ducat: sed quia continenter viuere posse non sperat, cupit matrimonium contrahere; in hunc modum conficiuntur litteræ.

F R. *Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse alias cùm Religionem ingredi vouisset, obtinuit à Sede Apostolica voti commutationem, cum hoc inter cætera, vt vitam cęlibem ducat. Cùm autem, &c. Lator prædictus ob stimulos carnis diffidat continere posse, & propterea matrimonium contrahere desideret, pro suæ conscientiæ quiete cupit sibi obligationem præfatam in alia pietatis, & pęnitentiæ opera per eandem Sedem Apostolicam commutari. Quare, &c. Quatenus si est ita, & Latorem, audita prius eius sacramentali confessione, stimulis carnis adeo agitatum, vt maximè dubitet continere, &c. inueneris, eidem Latori cælibatum prędictum*

dictum in alia pœnitentiæ opera commutes, ac cum eodem, quòd præmissis non obstantibus, saluis tamen alioqui cęteris omnibus, quæ illi in cōmutatione prædicta iniuncta fuerunt, matrimonium, seruata forma Concilij Tridentini, legitimè contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiæ, &c. & non aliter, &c.

Cælibatus quid sit. Cælibatus proprie est statu excludens matrimonium, & propterea cœlebs ille dicitur, qui non habet vxorem, & illa dicitur cęlebs, quæ non habet maritum.

Et in hoc sensu cælibatum accipi hic à M. P. existimo: si enim voluisset imponere vouenti cōtinētiam ab omni copula carnali, & venerea delectatione, vsurpasset nomen *castitatis*, nō autem, *cælibatus*. Præterea voluit imponere nouum onus, id est auferre ei libertatem cōtrahendi matrimonium, quia quoad alias delectationes carnales, & libidinosas, à lege diuina omnibus hoc est prohibitum.

Ex supradictis in alijs Cōmutationum formulis, quomodo hæc formula, quoad commutationē intelligenda, & exequutioni demādāda sit, colligitur. Igitur eadē ibi allata hic repetere nō est necesse.

Animaduertat vero Exequutor, hac in formula, quam præ manibus nunc habemus, non legi, *dispensando commutes*, sed, *commutes*, simpliciter: & ideo commutatio nihil dispensationis sapere debet, sed remanet in suo rigore, vt res, quæ commutatur, paritatem & ęqualitatem habeat cum re subrogata.

Animaduertat etiam quāti momenti sit cœlibatus, vt nō quodlibet etiam minimū pietatis opus illi æquiparet, & eius loco subroget.

Opera autem, quæ subrogari possent, existimo esse, quotidie recitare Officium B. M. si sciat legere, aut Coronam eiusdem; aut quotidie audire Sacrum; aut inuisere aliquam Ecclesiam; vel singulis hebdomadis semel ieiunare; aut alia huiusmodi secundum statum vouentis peragere: hæc solummodo propono, quia matrimonium satis est sibi ipsi onerosum. *l. dotis fructus*. 8. *ff. de iure dotium*.

Ac cum eodem, quòd præmissis non obstantibus. Cùm

M.P.

M.P. velit cum isto oratore dispensari ad contrahendũ matrimonium, mandat prius remoueri ab eo omnia, quæ impediunt dispensationem, & ideo ponit hic clausulam, *quod non obstantibus*, quæ clausula tollit omnia, quæ obstare possunt dispensationi. *Ias. conf. 210. col. 4. in fin. versic. tertio moueor. lib. 4. Rolan. consf. 67. n. 62. lib. 3. Bero. consf. 147. n. 28. vers. & licet, lib. 3.*

Clausula, nõ obstantibus, tollit omnia, quæ possunt obstare.

Præmissis, id est voto, & cęlibatu in locum voti subrogato; votum enim & cęlibatus obstant matrimonio contrahendo, vt constat ex supradictis; si vero alia obstent impedimenta, videlicet consanguinitatis, machinationis, &c. de his non loquitur M. P. & ideo alia opus est dispensatione.

Saluis tamen alioqui, &c. Præsens clausula est pręseruatiua, & ideo censentur conseruata illęsa priora onera, & obligationes vouentis, quoad alia omnia adimplenda ei in locum voti subrogata. *l. si debitor. 4. §. 1. ff. quibus mod. pign. vel hypot. sol. glos. in l. eleganter 24. vers. pro soluto, & ibi Bart. num. 4. Bald. in vers. in eadem glos. il primo, & Castrens. nu. 8. ff. de pignorat. action.*

Clausula, saluis tamen alioqui, est preseruatina.

Matrimonium seruata, &c. id est, seruatis solemnitatibus à Concilio Tridentino pręscriptis, *sess. 24. c. 1. de reformat. matrim.* scilicet tribus præmissis denunciationibus in Ecclesia contrahentium parochiali, nisi eas postponẽdas, vel omnino remittendas Ordinarius existimauerit, cõtrahatur coram proprio Parocho, & duobus vel tribus testibus matrimonium.

Legitime, &c. Per dictionem istam excluditur expresse matrimonium clandestinum, ne quis existimet per huiusmodi dispensationẽ suppleri prędictis solẽnitatibus, eo quod fiat sciente, & permittente M. P. qui supplet vices D. Papæ, & consequenter cõmunis Pastoris, cùm Papa sit loco Petri. *c. quoniam verus 24. q. 1.* & sic Vicarius Christi. *c. in corporalia 2. de translat. Episcopi, & c. vnico, vt Eccles. benefic. sine dimin. conf.*

Papa est cõmunis Pastor

Excluditur etiam matrimonium cõtrahendum cum alijs personis à lege prohibitis, & propterea, *legitimè*, idem sonat ac secundum legem.

Et in eo postmodum remanere, &c. Quia concesso principali, conceditur accessorium. *l. testatrix. 20. ff. si seruit. vend. l. creditor fundii. 54. §. fin. ff. de act. empt. l. grege pignori obligato, 13. ff. de pignor. l. ait prætor, 3. §. hæc verb. ff. de negor. gest.* ideo hic subnectitur facultas remanẽdi in

Concesso principali conceditur accessorium.

ma-

matrimonio vigore huiusmodi dispensationis contrahendo, id est, quoad illius vsum, vt possit absque vllo consciētię stimulo debitum petere, & reddere: nam à validè cōtracto matrimonio recedi non potest, c. uxor. 32. q. 7. & c. horrendus, & c. præcepit, 32. q. 5. nisi causa Religionis, & vtroq; consentiente. c. ex publico, 7. de conuers. coniug.

Misericorditer dispenses, &c. Id est, ex peculiari gratia remoue prędictum impedimentum, vt possit matrimonium contrahere.

Reliqua huius formulę aliàs à me fuerūt explicata, & ideo ad illa remitto Exequutorem.

COMMVTATIO VOTI CASTITATIS.

Pro stimulis carnis agitato, ad effectum contrahendi matrimonium, rescribitur in hunc modum.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs emisit simplex castitatis seruandæ votum. Cùm autem, &c. Lator prædictus ob stimulos carnis continere posse diffidat; idcircò pro sua conscientiæ quiete cupit sibi votum huiusmodi in alia pœnitentiæ opera ad effectum contrahendi matrimonium per Sedem Apostolicam commutari. Quare, &c. Quatenus si ita esse, ac latorem, audita prius ipsius sacramentali confessione; stimulis carnis adeo agitatum, vt maximè dubitet continere posse; & propterea de eius incontinentia probabiliter timendum esse, per diligentem latoris examinationem, ac post monita, & consilia opportuna illi præstita inueneris: eundem latorem à mutatione propositi, quatenus tibi videatur, absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, iniuncta inde ei Pœnitentia salutari; sibique votum præfatum ad hoc tantum, vt matrimonium contrahere legitime possit, dispensando commutes in frequentiam sacramentalis confessionis peccatorum.*

torum suorum, singulis scilicet mensibus, vt minimum semel, vel quoties tibi videbitur, & in alia pœnitentiæ opera per te iniungenda tamdiù duratura, quamdiù commutationi prædictæ locus erit: inter quæ sint etiam aliqua pietatis opera, quæ quotidie facere teneatur ad eum finem, vt ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua huiusmodi voto adstringebatur; prout secundum Deum ipsius animæ saluti expedire videris: & cum eodem, vt matrimonium sic cõtrahere, & in eo postmodum debitum coniugale reddere, & exigere licitè valeat, misericorditer dispenses, in foro conscientiæ, & in ipso actu sacramẽtalis confessionis tantum, & non aliter, neque vllo alio modo. Ita quod, si vxori, cui coniungetur, superuixerit, castitatem seruet, vtpote eodem voto vt prius obligatus: & si vnquam extra matrimonium fornicatus fuerit, aut matrimonium absque noua dispensatione contraxerit, intelligat se contra votum huiusmodi facere, & debitum coniugale exigere non posse; & ita illum moneas. Datum, &c.

Pauca in hac formula sunt explicanda, quia eodem modo reliqua intelligẽda, & exequutioni demandanda sunt, quo supra fuerunt explicata in formula cõmutationis voti Religionis pro stimulis carnis agitato, ad effectum contrahẽdi matrimonium: ideò istis omissis deueniam ad speciales huius formulæ partes.

Sibique votum prędictũ ad hoc tantum, &c. Dictio hæc, *tantum*, diuersificat istã clausulam ab illa, quæ est in allegata formula voti Religionis: nam Religionis votum sicut nõ obligat ad castitatem ante ingressum Religionis, ita non obligat præter præceptũ diuinum, ad abstinendum à qualibet voluptate venerea. Votum autem Castitatis non solum obligat, præter præceptum diuinum, ad abstinendũ à qualibet illicita voluptate carnis, verũ etiã à licita, qualis est copula matrimonialis, *c. vt cleric. 13. de vita, & honest. clericorum*. Et ideo ne videatur vouenti castitatem fuisse simpliciter votum commutatum, & ipse esse liberatus à

voti

voti obligatione, ponit M. P. dictionem istam *tantum*, quæ est dictio taxatiua & restrictiua, ac solummodo ea ponit, quæ affirmat, cæteraque excludit. *Bald. in d. l. ita nobis C. ad l. Iuliam, de adul. & Bart. l. 1. num. 9. ff. si quis ius di-in centibus*. vt intelligatur voto solummodo fuisse derogatum ad matrimonialem tantũ copulam permittendam; in reliquis vero actibus firmam remanere voti obligationem; ac propterea, si vouẽs ab alijs libidinis vitijs nõ præcaueat, contra votum faciet, vt ex infra dicendis apparebit.

In frequentiam, &c. Verba sunt clara, & non indigent maiori explicatione: frequentia enim sacramẽtalis confess. & alia opera subrogata in locũ voti, tamdiu obligare debent quandiu durat subrogatio; & ideo dissoluto matrimonio per mortem coniugis, statim vouens ab adimplendis operibus subrogatis liberatur, & reincidit in priorem voti obligationem.

Pietas quotuplex sit.

Pietatis opera &c. Pietas triplici modo accipitur: primo sumitur more vulgi, secundũ quod respicit opera misericordię, & circa illa se exercet: & sic pietas idem est, ac misericordia, clemẽtia & mansuetudo. *Tabien. in sum. verbo, pietas, in principio*.

Secundo accipitur pro cultu diuino, & est idem ac religio, seu Theosebia, seu Latria, quæ pertinent ad seruitutem Deo ab hominibus debitam.

Pietas erga parentes quæ sit.

Tertiò verò accipitur pro cultu diligẽti, & officio, quod vnusquisque præstare debet parentibus; & sanguine iunctis, ac patriæ beneuolis, & propterea *Tullius in Rhetorica*, Pietatem isto modo acceptam definit, quòd sit *virtus, per quam sanguine iunctis, patriæque beneuolis officium & diligens tribuitur cultus*. Pietas hoc tertio modo accepta, debetur parentibus & patriæ ex iure naturæ: ideò non est attendenda in ista cõmutatione, quæ expetit opera subrogationis; id est opera alio ex capite non debita.

Pietatis autem opera primo & secũdo modo accepta, attendenda sunt, & imponenda, videlicet eleemosyna, recitatio orationum, Ieiunium, auditio Missæ extra diem, & obligationem præcepti, & similia. *c. magnæ. 7. de voto.*

Et cum eodem vt matrimonium sic contrahere, &c. Per istam clausulam limitatur dispensatio, & ideo limitatum debet habere effectum: limitata enim dispositio limitatũ ha-

Limitata dispositio limitatum habet effectum.

habeat effectum, *l. in agris, 16. ff. de acquirendo rerum dominio, l. cancellauerat. 2. ff. de his, quæ in testam. delen. Dec. conf. 27. nu. 1. & conf. 551. n. 9. & alij communiter.* Vouẽs igitur primò debet contrahere matrimoniũ, & postea habere commercium carnale cum vxore. Non præcedente verò matrimonio, etiamsi præcesserit dispensatio, si cognoscat carnaliter sponsam, non solum faciet contra præceptũ diuinum; verùm etiam contra votum, quia commutatio est limitata ad copulam post matrimonium contractum.

Præterea, si contracto matrimonio cognouerit coniugẽ suam contra naturã, etiam faciet contra votũ, quia cõmutatio est tantũ ad debitũ coniugale petendũ & reddendũ.

Idemque dicẽdum de alijs peccatis, quæ committuntur in vsu matrimonij. De quibus omnibus debet Exequutor admonere vouentem in commutatione, & dispensatione huiusmodi.

Ita quod si vxori, cui coniungetur, superuixerit, castitatem seruet, &c. Verba istius clausulæ sunt clara, & explicatione non egent: ideò exequutor ad litteram ea exequatur, monendo vouentem de limitata dispositione sibi cõcessa, & de resurgente obligatione voti adimplendi, si vxori superuixerit, necnõ de violatione voti, si secus faciat.

Pro iuuene qui vouerat, & per decem annos seruauerat castitatem, propter maximos stimulos carnis cupit matrimonium contrahere.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse decem ab hinc annis vouit castitatem seruare, illamque huc vsque seruauit. Cùm autem lator prædictus ob stimulos carnis diffidat amplius continere; pro suæ conscientiæ quiete cupit sibi votum huiusmodi in alia pœnitentię opera, ad effectum contrahendi matrimonium, per Sedem Apostolicam commutari. Quare &c. Quatenus si ita esse, ac latorem (audita prius ipsius sacramentali confessione) adeò stimulis carnis agitatum, vt maximè dubitet continere posse, & propterea de eius incontinentia probabiliter timendum, per diligentem

gentem latoris examinationem , ac post commemoratam ei tot annorum cum Dei gratia victoriam aduersus inimici tentationes , quando ætate , & vt consentaneum est , spiritus viribus imbecillior erat , ac post monita, &c. vt in præcedenti formula .

Hæc formula est eadem prorsus cum superiori , præter clausulam illam, *Post commemoratã ei tot annorum, &c.* & ideo ea explicata , non erit amplius in hac formula commorandum .

Post commemoratam, &c. Recordatio reportatæ victoriæ de inimico facit insolescere victorem contra eundem inimicum , viresque superaddit : & præcipuè si victoria nõ fuerit vnica , sed multiplex ; victoria enim contemptibilem reddit victum , expellitque à victore timorem , expugnationum , & ruinarum potissimam causam , atque eum constituit non dicam dominum, sed potius superbum inimicorum victorum tyrannum ; vt videre est in antiquis historijs, & in modernis bellorum euẽtibus . Ideo iure optimo M.P. in nostra hac formula , in qua agitur de vouente, qui per decem annos, Deo fauente, vicit carnis illecebras, & dæmonis tẽtationes , posuit præsentem clausulam , vt consideret se toties , immo semper vicisse suæ carnis illecebras , & dæmonis irritationes per tam longum tempus ; & tali consideratione animatus spernat generose diuexationes presẽtes , & perseueret in statu puritatis angelicæ, ad quam mediante voto castitatis vocatus a Deo fuit; quis enim timere potest inimicum , quẽ sæpiùs expertus sit, mediante diuino auxilio, inertem, ac nullius valoris ?

Per hanc etiam clausulam tacitè monetur exequutor, vt cautius se gerat in ista cõmutatione, considerando bonum habitum vouentis contractũ per decennium ad caste viuendum, ex quo non ita facilè de illius incontinentia dubitandum est in futurum; habitus enim tam bene fundati, & radicati, difficillimè extirpantur . Nihilominus, si factis huiusmodi diligentijs, adhuc vouentem adeò animo prostratum reperiet , vt omninò dubitet eum nõ perseueraturum in continentia, & forsan iam cœperit castitatem violare , poterit illicò exequi commutationem : nam agitur de re valde lubrica , & periculosa .

Peri-

Quando ætate, &c. Inducitur argumētum à maiori ad minus: si enim vouens vicit tentationes, & stimulos carnis, quando erat iunior; quæ ætas est procliuior ad lapsus carnis, ob efferuescentem calorem & impatiētes impetus; quanto magis grandior factus superabit incitamenta carnis propter mitigatum calorem & corroboratam prudentiam?

Spiritus viribus imbecillior, &c. Id est absque habitu disponente & inclinante ad cōtinentiam. Habitus enim bonus multum confert ad bene agendum; magni verò præiudicij, & damni est illius priuatio ideo efficax argumentum est & omnino præponendum vouenti ante commutationem voti: si enim Deo fauente vicit stimulos carnis, cùm magis efferuescabat sanguis, & nulla adhuc, vel fragilis erat dispositio, & inclinatio ad bene agendum & resistendum vitio; quanto magis vincet, quando calor est extenuatus, & virtus per habitum bonum corroborata?

PRO VXORATO.

Qui constante matrimonio vouerat castitatem, & ad effectum petendi debitum coniugale petit sibi votum commutari.

F R. *Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs postquā cùm muliere eius ad præsens vxore matrimonium in facie Ecclesiæ contraxerat, & consummauerat, vouit castitatem seruare. Cùm autem, &c. Lator præfatus continere posse diffidat, pro sua conscientiæ quiete cupit sibi votum huiusmodi in alia pietatis opera ad effectum petendi debitum per Sedem Apostolicam commutari. Quare, &c. Quatenus si est ita, ac de latoris, audita priùs ipsius sacramentalis Confessione, incontinentia probabiliter timendum esse repereris, eundem latorem à mutatione propositi, quatenus tibi videatur, absoluas hac vice, &c. Iniunct. &c. sibique votum præfatum, ad hoc tantum, vt à sua vxore debitum coniu-*

gale

gale exigere possit, dispensando commutes in alia pœnitentiæ opera per te iniungenda, tamdiù duratura, quamdiù commutationi prædictæ locus erit, prout secundum Deum, &c. Reliqua vt in precedenti formula.

Vir in præiudicium vxoris non potest vouere castitatem.

Vxoratus, qui absque vxoris consensu vouit castitatem, tenetur reddere debitum: nā reddere debitum non est in eius, sed in vxoris potestate, & ideò hoc vouere non poterat, *cap. quidam, 4. & cap. charissimus, 11. de conuers. coniugat.* In potestate autem vxorati est non exigere debitum, & ideò potest hoc vouere. *diuis cap. quidam, & cap. charissimus citat.* &, si exigit, peccat & facit contra votum, *gloss. in d. cap. quidam, verbo, non tenetur.* Vt ergo possit licitè exigere, eget dispensatione, quam Maior Pœnitētiarius ei concedit secundum prædictam formulam.

De Latoris incontinentia, &c. Ex cohabitatione cū propria vxore, probabiliter timendum est de incontinentia, & præcipuè si sunt iuuenes, vel robustæ ætatis, & cōplexionis: si verò sunt prouectæ ætatis, etiam timerem de eius incontinentia, propter habitum contractum ad exigendum; præsumptio enim fortissima est, quæ desumitur ex consuetis. *Soccinus senior lib. 1. cons. 44. Decius, Parisius, & alij, quos citat Menochius de præsumpt. lib. 1. præsump. 18. num. 1.* Et ideò exequutor nō multum in hoc inuestigando laborare poterit.

Præsumptio ex consuetis est fortissima.

Sibique votum prædictum, ad hoc tantum, &c. Quo ad reddendum debitum vouens non eget commutatione, quia tenetur reddere. Vir enim, vt ait Apostolus, non habet potestatem sui corporis, sed mulier: ideò commutatio solum fit ad hoc tantum, vt possit petere: & si fornicetur, vel abutatur sua vxore, vel alio quouis modo se immisceat impuritatis vitio, faciet contra votum, vt supra probauimus.

In alia pœnitentiæ, &c. Duo ad minus iniungerem vouenti pœnitentiæ opera. Pluralis enim numerus, quo hìc vtitur Maior Pœnitentiarius, in duobus ad minus verificari debet, *l. vbi numerus, 12. ff. de testibus.* Quæ autem esse possint ista pœnitentiæ opera, equidem existimo confessionem sacramentalem, quę est

Confessio sacramentalis est præcipuum pœnitentiæ opus.

est præcipuum pœnitentiæ opus, *cap. quem pœnitet*, 88. *de pœnitentia distinct*. 1. ac Communionem, singulis scilicet mensibus semel ad minus, & sępius etiam, si exequutori videbitur expedire, faciendas. Alia possent imponi pœnitentiæ opera, sed prædicta puto esse vtiliora, salubriora, & magis conformia intentioni Maioris Pœnitentiarij, qui in omnibus ferè votorum commutationibus, & dispensationibus frequentiam sacramentalis confessionis imponit. Et hæc satis sint de huiusmodi formula: nam reliqua non differunt à præcedentibus.

Pro ea, quæ vouit Castitatem seruare: sed quia patre orbata est, & habet matrem pauperrimam, petit vt matrimonium contrahere posit.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Quòd ipsa aliàs emisit simplex Castitatis seruandæ votum: sed quia est Patre orbata, Matremque habet pauperrimam, idcirco, vt sibi consulat, cupit sibi votum huiusmodi in alia pęnitentiæ opera ad effectum nubendi, per Sedem Apostolicam commutari. Quare, &c. Quatenus, si est ita, ipsaque Latrix Matrem habeat, & vtraque pauper sit ex proprio labore victum quærens, eandem Latricem, audita prius ipsius sacramentali confessione, à mutatione propositi, quatenus tibi videatur, absoluas hac vice, &c. Iniuncta, &c. Sibique votũ prædictum ad hoc tantum, vt matrimonium contrahere licitè posit, dispensando commutes in frequentiam sacramentalis confessionis peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, &c.* Reliqua, vt in prima formula cõmutationis voti Castitatis.

Tres sunt partiales causæ finales, propter quas conceditur ista commutatio voti, videlicet obitus Patris, Mater pauperrima, & ipsius vouetis inopia. Dixi causæ partia-

tiales, nam vnaquæque per se non est sufficiens ad impetrandam huiusmodi commutationem, vt videre est, si consideretur vnaquæque in se, & separata ab alijs.

Obitus Patris per se consideratus non necessitat filiam ad violandam castitatem, cùm eius obseruatio non pendeat à vita Patris, sed à virtute vouentis.

Mater pauperrima multò minus obstat obseruantiæ voti, quia adhuc filia illud obseruare potest; & de facto quot virgines cum pauperrima matre castè viuunt?

Nec minus videtur impedimento esse ad votum obseruandum inopia filiæ: quia priuatio diuiarum, & commoditatum in se considerata, est potius tutrix castitatis, quàm violatrix: Et ideò à D. Leone Papa *serm. 4. de Quadragesima*, ieiunia appellantur *casta*. S. Ambros. *in lib. de Elia, & ieiunio*, asserit Iudith ieiunij armis seruauisse pudicitiam, & ieiunium esse incrementum virtutis. Præterea à Sanctis vocatur paupertas custos, & magistra virtutum: & S. Athanasius, *lib. de virginitate ait: Videsne quid faciat ieiunium? morbos sanat, destillationes corporis desiccat, dæmones fugat, prauas cogitationes expellit, mentem clariorem reddit, cor mundum efficit, corpus sanctificat*. Et interrogatus Dominus, quo nā modo immundi spiritus eijcerentur? respōdit: *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi in oratione, & ieiunio*.

Igitur, cùm res ita se habeat, opus est ad validitatem huius commutationis, vt prædictæ tres partiales causę verificentur; singula enim quæ non prosunt, collecta iuuant, *c. cùm causam 13. vbi gloss. de probat. gloss. in l. 2. ff. de excus. tutor. Afflictus decis. 13. num. 24. Soccin. iunior in l. Centurio, 15. n. 300. ff. de vulg.* Et cùm vnaquæque earum per se non sit sufficiens, ideo vna earum non verificata, commutatio si fiat, erit nulla. *cap. quoniam frequenter, 5. §. porro, & §. si autem, vt lite nō cōtestata. Decius in cap. cum cessante 60. num. 13. de appellat. & Panor. ibid.* nam sunt insimul positæ per dictiones copulatiuas, quæ faciunt, vt copulata æquè principaliter veniant. *Panor. in cap. querelā 15. vbi gloss. num. 5. de simonia, & per notata in l. regula, 9. ff. de iuris & facti ignorantia:* ideo vna earum omissa, vitiatur actus. *gloss. in l. cum hi 8. §. si prætor, in verb. nullius erit momenti, ff. de transaction.*

Singula, quæ non prosunt, collecta iuuant.

Secus esset si unaquæque ex dictis causis esset per se sufficiens: nam quando ad alicu-

ius gratiæ concessionem concurrunt plures causæ finales, & vnaquęque per se est sufficiens, etiamsi vna earum solũ remaneat, adhuc gratia remanet valida, §. *affinitatis, instit. de nuptijs, l. liberorũ*, 11. §. *& si talis, vbi Bart. num.* 1. *ff. de his, qui not. infa. & idem Bart. in l. si ventri*, 8. §. *in bonis num.* 1. *ff. de priuil. cred. Decius loco supracit.*

Quatenus si est ita, &c. Aduerte, quòd hic non repetitur obitus Patris, quia pro indubitabili habetur, & pro notorio, adeò vt nulla possit tergiuersatione celari, & propterea non est opus, vt exequutor laboret in dicto obitu inuestigando: sub clausula tamen illa generali, *quatenus si est ita*, quæ comprehendit omnia superiùs narrata, continetur obitus Patris; reliquas verò duas partiales causas de nouo exprimit, quia non sunt ita notoriæ, & egent aliqua discussione.

Dubitari potest, de quo obitu Maior Pœnitentiarius hoc loco intelligat, de naturali tantum, an etiam de ciuili: nam in sacris Canonibus mors semper accipitur pro morte ciuili. *cap. per venerabilem*, 8. §. *rationibus igitur, prope finem qui filij sint legitimi*, *Panormit. in cap.* 1. *de homicidio voluntario num.* 2.

Mors in iure canonica ciuiliter accipitur.

Et cùm hic agatur de re spirituali à iudice Ecclesiastico, qui debet semper procedere secundum sacros Canones, cùm iudicia Ecclesiastica regulanda sint secundum Canones, *cap.* 1. *vbi Panormitan. num.* 3. *& cap. Ecclesia S. Mariæ*, 10. *vbi etiam Panormit. de constit.* & alij communiter.

Et ideò non improbabiliter credendum videtur quòd hic nomine mortis intelligat Maior Pœnitentiarius, etiam mortem ciuilem, & præcipuè ad effectum, de quo agitur, vt infrà probabimus.

Multipliciter quis moritur morte ciuili: primo ob deportationem in insulam, *l. manumissus.* 13. *ff. de interdictis, & releg. l.* 2. *ff. de senten. passis.* Secundò, ob redactionem in seruitutem, vel potestatem hostium, §. *item finitur, instit. quibus mod. tute. finit.* Tertiò, ob ingressum, & professionem in Religione, *cap. placuit il* 2. *vbi glos.* 16. *quæst.* 1. Monachus enim est mortuus mundo, & talis mors æquiparatur morti naturali, *l. vlt. C. de Epis. & Cle.* Quartò, moritur quis etiam ciuiliter per separationem ab alio, cum quo erat vnitus, videlicet vir moritur vxori, cùm iudicio Ecclesiæ separatur ab vxore, 33. *q.* 2. *in summa in princ. gloss. in cap. susceptum*, 6.

Quibus modis quis ciuiliter moriatur.

ver-

verbo,non morte,de rescriptis in 6.

His positis dico, Mortem ciuilem primis tribus modis acceptam habere locũ in nostro casu; sumus enim in materia non stricta, sed extendibili ex identitate rationis, quia mors ciuilis huiusmodi habet eundẽ effectũ,de quo agitur,quem habet mors naturalis,videlicet absentiam,& impotentiam præstandi auxiliũ filiæ inopi;& ideò cum sit in vtraque morte eadem ratio, debet etiam esse eadẽ dispositio, eadem enim ratio exigit idem ius, *l.illud quæsitum. 32. ff. ad legem Aquil. l. à Titio* 108.*ff.de verb.oblig.l.si postulauerit,*27.*§.*2.*ff.de adult.&c.*

Eadem ratio exigit idem ius.

Ipsaque matrem habeat, &c. Nomine matris nõ venit Nouerca, sed solũmodo Mater naturalis, ac etiam naturalis, & legitima, quia in his solummodo est ob sanguinis caritatẽ mutua obligatio naturalis subueniendi alterius sibi coniũcti egestati,*l.*1.*§.fin. ff. de iustit. & iur. Bart. in l.si quis,*5.*ff. de lib. agnoscen.* quæ tamen sanguinis caritas non est in Nouerca.

Nouerca non venit nomine matris.

Et vtraque pauper, &c. Vtriusque paupertas requiritur in nostro casu: nam filia, quæ habet matrem diuitem, non potest dici pauper: quia parentes tenentur alimenta præstare filijs, *l.* 1. *cũ sequen. C. de alendis liberis.* & Mater in specie tenetur, quando Pater,vel ascendentes ex linea paterna desierint, vel sint egentes. *d.l.si quis* 5. *§. idem in liberis, ff. de liber. agnos. & alend.&c.*

Mater quando tenetur alere filium pauperem.

Quod intellige non solum de filijs legitimis, & naturalibus, verum etiam de spurijs. *l.vxorem,* 39. *§.pater naturalis,ff.de leg.*3. *d.l.si quis,§.vtrũ, Innoc.in cap.*2. *de regular. Panorm.in cap.cum haberet,* 5. *de eo qui duxit in matrim. &c.* Dummodo prædicti filij non habeãt aliud vnde viuere possint, & sint egentes. *d.l.si quis à liberis,ff.de lib.agnos.*vel non accusauerint parentes, *d. l. si quis à liberis,§. item iudex, ff. de lib.agnosc.*Vel non commiserint crimen ingratitudinis contra Patrem,*l.si patrem,* 4. *C. de alen. lib.* Vel non inciderint eas in causas, ex quibus exhæredari possint. Quænam sint istæ causæ, vide *Authent. vt cum de appellat. cognosc.§.causas.* Vel nisi parentes sint ipsi etiam egẽtes, *d.l.si quis §.sed si filius,ff.de lib. agnos.* Tali enim casu non tenentur vltra vires.

Pauper,&c. Multipliciter paupertas sumitur à DD.

Pauper quis sit.

Aliqui enim dicunt illum esse pauperem, qui non habet in bonis quinquaginta aureos, per textum in *l. nonnulli*, 10. *ff. de accusationibus*. *Bart. in l. qui accusare*, 8. *ff. de accusat. Bald. in l. in fundo*, 39. *in addit. num.* 1. *ff. de rei vendic.* illum appellat pauperem, qui non potest soluere, nisi manum ponat ad vẽdendam domum sibi necessariam pro habitatione propria, & similia, quæ non solent vendi, nisi ex necessitate præcisa.

Necessitas in quotidiano labore indicat paupertatem.

Glossa in. §. sed & propter paupertatem, Institut. de excus. tuto. appellat pauperẽ, qui habet necesse operari vt viuat. *Panorm. in cap. quod super.* 8. *num.* 4. *de voto, & voti redemptione. Aretinus verò super inftit. tit. de excus. tutor. §. sed & propter, num.* 2. dicit illum esse pauperem, qui necessitatur omni die laborare cum persona, vt victum pro se, & sua familia quærat.

Insufficiens dos indicat paupertatem.

Bald. in l. si quis ad declinãdam 47. *vers. circa tertium, C. de Episc. & cleric. & in l. paupertas*, 9. *in principio, ff. de excusation. tutor. Decius in cap. ceterum*, 5. *num.* 74. *de iudiciis*, *& consil.* 120. *num.* 2. *& alij* asserunt eam esse pauperem puellam, quæ licet ei non desint necessaria ad victum, attamen non habet facultates, quibus possit secundum suæ conditionis statum dotari.

Alij demum, & sapientius, affirmant non posse dari certã regulam, sed relinquendum hoc esse arbitrio prudentis iudicis, qui considerato statu, & qualitate personarum, poterit melius determinare quisnam sit pauper: Nam nobilis erit pauper in eo, in quo rusticus erit diues. *Bart. in l. si constante*, 25. *num.* 3. *ff. soluto matrimonio. Bald. & Iacob. Butri. in Auth. præterea, C. vnde vir & vxor. vbi etiam Decius n.* 15. *& consil.* 162. *num.* 7.

Nobilis est pauper in eo, in quo rusticus est diues.

In nostro autem casu licet prima facie videatur Maior Pœnitentiarius sequi opinionem *gloss. in d. §. sed & propter paupertatem*, & forsan etiam *Aretini*; attamen si res attentius perpendatur, facillime concedimus ex M. P. mente etiam cum *Bart. Bald. Butrig. Decio supra cit.* relinquendũ id necessario esse prudentiæ, & arbitrio exequutoris; diuersi sunt enim victus, & vestitus rustici, & nobilis, robusti, & debilis, parui, & magni, diuersæque expetuntur facultates in plebeio, & nobili; & ideò licet latrix, vel eius Mater habeant in bonis tot facultates, quot necessariæ sint sustentationi v. g. vitæ rusticalis; attamen vere erunt pauperes, si vtraque sit nobilis, & assueta multis commoditatibus, quibus.

bus vt consulant, necesse habent vt laborent.

Ex proprio labore, &c. Aduerte non esse necesse, vt latrix, ac eius Mater nihil habeant in bonis, sed solummodo viuant ex labore: nam si hoc prætenderet Maior Pœnitentiarius, apposuisset aliquam dictionem taxatiuam, & restrictiuam, videlicet, *tantum, solummodo, &c.* satis est, vt non habeant in bonis tot facultates, quot secundum sui status conditionem viuere possint: neque est necesse, vt cogantur ad quotidianum laborem pro sui sustentatione, sed satis erit, vt necesse habeant laborare pro vitæ sustẽtatione, videlicet, pro victu. Et ita verificabitur propositio, quod sint pauperes, & victum ex proprio labore quærant.

Ex proprio labore qui dicãtur viuere.

Victum, &c. Nomine victus veniunt cibaria, vestimenta, calceamenta, lectus, habitatio, & alia huiusmodi, sine quibus homo viuere non potest, *l. verbo victus*, 43. *& l. quos nos*, 234. *§. verbum, ff. de verb. signif. l. legatis, 6. ff. de alimentis, & cibarijs legatis. Bart. in tract. de aliment. in princip. Decius in l. de alimentis, 8. C. de transactionibus in princ. Rom. cons.* 440. *Non est dubium, & omnes DD. comm. idem tenent.*

Victus nomine quæ veniant.

Et hæc sufficiunt pro ista formula, nam reliqua conueniunt cum præcedentibus formulis: & ideò exequutor secũdum à me superius allegata se gerere debet in exequutione huius commutationis.

COMMVTATIO VOTORVM CASTITATIS, ET RELIGIONIS.

Pro eo qui vouit castitatem seruare, & Religionem ingredi; sed quia stimulis carnis agitatur, ideo petit sibi vota huiusmodi commutari ad effectum contrahendi matrimonium.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs vouit Religionem ingredi, & castitatem seruare. Cũ autem, &c. Lator præfatus ob stimulos carnis, quos patitur, conti-*

nere poſſe diffidat, pro ſua conſcientiæ quiete cupit ſibi huiuſmodi vota in alia pietatis, & pœnitentiæ opera ad effectum contrahendi matrimoniũ per Sedem Apoſtolicam commutari. Quare, &c. Quatenus, ſi ita eſſe, ac Latorem (audita prius eius ſacramentali Confeſſione) ſtimulis carnis adeo agitatũ, vt maximè dubitet continere poſſe, &c. Reliqua vt in voto Religionis ad effectũ contrahendi matrimonium, vſque ad clauſulam, *in foro conſcientiæ, & nõ aliter, &c.* Nam poſt dictam clauſulã ponitur vt infra, &c, videlicet: *Ita quod cõmutatio quoad votum caſtitatis ſit tantũ ad effectum, vt matrimonium legitimè contrahere, & in eo poſtmodum debitum coniugale exigere, & reddere licitè poſſit. Quod ſi vxori, cui coniungetur, ſuperuixerit, caſtitatem ſeruet, vtpote eodem voto caſtitatis, vt prius obligatus: & ſi vnquam extra matrimonium fornicatus fuerit, aut matrimonium abſque noua diſpenſatione contraxerit, intelligat ſe contra votum caſtitatis huiuſmodi facere, & debitum coniugale exigere non poſſe; & ita illum moneas. Datum Romæ, &c.*

Hæc formula non eget magna explicatione, quia includit omnes, & ſingulas clauſulas poſitas in formulis vniuſcuiuſque dictorum votorum, & conſequenter etiam admittet omnes, & ſingulas declarationes in vnaquaque earum poſitas: & ideo exequutorem remitto ad illas.

Non tamen omittam eum admonere, vt aduertat, quod ſicut iſta commutatio eſt perpetua reſpectu voti Religionis, & ad tempus reſpectu voti Caſtitatis, vt ex verbis dictæ formulæ apparet; ita opera ſubroganda partim debẽt eſſe perpetua, & partim tẽporanea.

Nec obſtat quòd in formula legatur, *ſibique d. vota diſpenſando commutes in alia pœnitentiæ opera perpetua*. Nam iſta perpetuitas ſubintelligitur cum terminis habilibus, hoc eſt, ſecundum ſubiectam materiam, videlicet ſecundum commutationem, quæ reſpectu voti Religionis habet in ſe perpetuitatem, & reſpectu voti Caſtitatis, temporalitatem, vt aperte colligitur ex verbis, quæ in fine huiuſmodi formulæ ponuntur; vi-

de-

delicet: *ita quod, si vxori superuixerit, castitatem seruet, vt pote eodem voto, vt prius obligatus*. Atque ita per istam vltimam partem declaratur alia præcedens pars; vna enim pars declarat aliam partem, iuxta textum *in l. qui fi. liabus, 17. & l. si seruus pluriũ, 53. § fin. ff. de legatis 1. l. pacta nouissima, 12. C. de pactis. Dec: consil. 442. n. 3.* *Vna pars declarat aliam partem.*

COMMVTATIO VOTI

SEPVLCHRI DOMINICI,

Pro eo qui vouit inuisere Sepulchrum Dominicum, sed ob ingrauescentem ætatem nequit adimplere votum; Ideò petit, &c.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs vouit inuisere Sepulchrum Dominicum: sed quia ob ingrauescentem ætatem, votum huiusmodi adimplere nequit, idcircò pro suæ conscientiæ quiete cupit sibi votum præfatum in alia pœnitentiæ opera per Sedem Apostolicam commutari. Quare, &c Quatenus, si est ita, ac Latorem (audita prius eius sacramentali Confessione) propter ætatem huiusmodi laborem itineris ferre non posse repereris, eundem Latorem à negligentia (si per illum factum est, vt tamdiù distulerit voto satisfacere) absoluas hac vice, &c. Iniuncta ei pœnitentia salutari, sibique votum præfatum in alia pœnitentiæ, & pietatis opera, prout secundum Deum ipsius animæ saluti expedire videris, dispensando commutes in foro conscientiæ, & ipso actu sacramentalis Confessionis, & non aliter, neque vllo modo. Datum Romæ, &c.

Tria hìc necessaria scitu videntur esse exequutori, nam reliqua non differunt à superioribus formulis: videlicet quænam ætas hic requiratur, quænam pœnitentiæ, & pietatis opera subroganda sint, & demum quam diù opera præfata durare debeant. Quibus explicatis, tota hæc formula erit

erit sufficienter explicata.

Propter ætatem, &c. Id est propter senectutem: senectus diuersimodè in iure accipitur. Aliquando enim ille dicitur senex, qui est maior septuaginta annis. *§. item maior, Institut. de excusat. tutor. l. 2. in principio, vbi glos. ff. eodem. l. 3. ff. de iure immunitatis. glos. in l. si paterfamilias, 15. in verb. sexaginta, ff. de adopt. & in cap. si testes, §. inuiti, verbo, senes, 4. quæst. 3. Bart. in l. 2. ff. de excusat. tutor. Panorm. in cap. quoniam frequenter, 5. num. 18. vt lite non contestata, vers. ego puto senem. Specul. in tit. de teste, §. nunc tractemus, vers. sed quos vocat senes, propè finem.*

Senex quis sit.

Aliquando accipitur pro sene, qui est quinquagenarius. *glossa in Proœmio sexti Decretal. verb. perfectus.* vbi asseritur senectutē incipere ab anno quinquagesimo, vsque ad septuagesimum, decrepitatem verò à septuagesimo, & esse terminum aliarum ætatum.

Senectus, & decrepitas quã incipiant.

Aliquando ille dicitur senex, qui excedit quinquagesimum quintum annum. *l. fin. vbi glos. C. qui ætate, & professione se excusant, lib. 10. & l. 2. in fine, & l. non tantum, 11. ff. de decurionibus.*

Aliquando quis dicitur senex, quando sexagesimum ætatis suæ annum excedit. *l. si paterfamilias, 15. vbi glosa in verbo. sexaginta, ff. de adoptionibus. glos. in l. 2. in principio. C. de his qui non impl. stipen. lib. 10.*

Propter tam varias senectutis acceptiones bene dicit *Oynotomus super Instit. de excusat. tutor. §. item maior,* necesse esse vt antequam quis iudicetur senex, primò animaduertatur, ad quem effectū quis iudicādus sit senex: nam diuersi respectus diuersam expetunt ætatem: & propterea, si consideretur ætas respectu munerum publicorum personalium, in quibus corpus ipsum versatur, & labor eius, ille iudicatur senex & ad huiusmodi munera subeunda inuitus trahi non potest, propter senectutem, qui est maior quinquagintaquinque annis, iuxta præfatas *l. final. C. qui ætate. & profes. &c. lib. 10. & l. 2. & l. non tantum, ff. de decurionibus*: & in hoc sensu loquuntur præfatæ *glos. in l. 2. & in l. si paterfamilias.*

Senex pro laboriosis muneribus quis.

Si verò consideretur senectus respectu tutelæ, & curæ pupillorum, ille solum dicetur senex, qui est maior septuaginta annis, vt loquuntur *§. item maior, Instit. de excusat. tutor. l. 2. in principio, ff. eodem, & l. 3. ff. de iure immunit.* Et ratio cur maior ætas requi-

Senex pro tutela, &c.

requiratur in excusatione à tutela, quàm ab alijs muneribus suscipiendis, est, quia in tutela magis est opus prudentia, & consilio, quàm labore, & quæ exequenda sunt prudentia & consilio, non remittuntur debilitato corpore, *l. 2. §. corporis. ff. de vacat. munerum. c. ex multa, 9. §. 2. de voto & voti, &c.* eamque ob causam quoad testimonium ferendum ille solum dicitur senex, qui est septuaginta annorum.

Senex respectu propagandæ prolis quis.

Considerata autem senectute respectu potentiæ generatiuæ, vir dicetur senex, qui excedit sexagesimum ætatis suæ annum. *d. l. si pater familias, ubi glos. in verb. sexaginta, ff. de adoptionibus.* & fœmina regulariter dicetur senex respectu eiusdem potentiæ generatiuæ, quando est quinquagenaria, *l. si maior, 12. C. de legit. hæred.*

Ex quibus colligitur, quisnam sit senex, & quæ nam ætas in nostro casu requiratur, ad hoc, vt quis dicatur senex & excusabilis à peregrinatione subeunda. Cū enim agatur de labore corporis, ille dicendus est senex, qui excedit quinquagesimumquintum suę ætatis annum, iuxta *leges* in prima senectutis consideratione allegatas. Immò non longe à M. P. mente esse duco, si etiā ad huiusmodi excusationem admittatur quinquagenarius: hic enim cùm senectutis limites ingrediatur, vt bene notauit *glos. in prooemio Sexti Decretal.* incipit etiam senectutis beneficio frui quoad labores, & præsertim hisce nostris temporibus, quibus vniuscuiusque naturę vires debilitatæ sunt, & decrescente vita, senectus præpropero cursu vnumquemque adoritur, singulasque ætates depredatur: quod colligitur ex ijs verbis, *ingrauescentem ætatem*, in principio præsentis formulæ positis; quæ verba non important actum perfectum, videlicet iam grauem ætatem, & senectutem perfectam, sed actum in fieri, id est, grauescētem ętatem, & senectutem in fieri: ætas autem ingrauescēs, & senectus in fieri incipiunt à quinquagesimo ætatis anno, ex communi omnium consensu; & experientia ipsa nobis hoc etiam inuitis demonstrat quotidie.

Quinquagenarius fruitur beneficio senectutis.

Igitur sequuti sententiam Baldi *in sua Margarita, in verb. senem, & Felin. in dict. cap. quoniam frequenter, col. 6. vers. ad tertiam quæstionē,* qui dicunt, arbitrio iudicis relinquēdum esse iudicare, quinam sit senex, existimamus arbitrio nostri exequutoris relinquendum, an lator præfatus sit senex; nam quandoque quis.

quis est senior, in quinquagesimo anno, quàm alius in sexagesimo, ob diuersas corporis affectiones, vt bene notat *Panorm. in d. c. quoniam frequenter, num.* 18.

Corporis affectio est mensura senij.

Quomodo autem inuestiganda sit ab Exequutore hæc ætas: Respondeo vel ex fide Baptismi, vel ex dicto ipsiusmet dispensandi, cuius dicto (vt superius diximus) standū omnino est, in hoc foro conscientiæ, &c. ex aspectu corporis etiam, vt tenet *Bart. in l.* 1. *in ver. nota etiam quod sicut minor. C. de mendic. valid. lib.* 10. *n.* 5.

Aspectus corporis arguit ætatem.

In alia pœnitentia, & pietatis opera, &c. Vota peregrinationis redimi possunt eleemosynis. *c.* 1. *&* 2. *de voto & voti redempt.* commutantur in vigilias, orationes, & ieiunia, *c. magnu,* 7. *de voto, & voti redempt.*

Igitur hoc nostrum votum commutandum est in alia pœnitentiæ, id est, opera corporis afflictiua. Et primum labor itineris alio proportionato labore compēsandus est, *dicto, c. magna,* §. *laborem etiam laboribus:* & ideo vouenti imponi potest, vt visitet per plures dies aliquam Ecclesiam suæ ciuitatis, vel loci, vbi habitat; vel carceres, aut hospitalia.

Secundò, recitet Officium Beatæ Virginis, vel Psalmos Pœnitentiales, aut Coronam B. V. vel alias Orationes, & preces, iuxta vouentis capacitatem & possibilitatem.

Tertio, aliquod leue etiam ieiunium, si complexio vouentis ferre possit.

Pietatis, &c. Id est. eleemosynis in pauperum vsum erogandis, *c.* 2. *de voto & voti redempt.*

Quæ autem quantitas huiusmodi pro eleemosyna sit eroganda, ex *d. c. magna,* §. *cū igitur, in fine* colligitur: videlicet integra quantitas, quā expēsurus esset in eūdo, redeūdo & cōmorando in Terra sancta prædictus vouens. Hæc autē eleemosyna facienda est pauperibus, vel locis pijs arbitrio exequutoris, vt sequētia verba innuunt, *prout secundum Deum, &c. videris;* ex quibus verbis etiam colligitur, quòd si vouens est pauper, nec partem, nec integram summā huiusmodi distribuere queat, poterit exequutor alia opera pœnitentiæ, & pietatis subrogare.

Remanet difficultas, quā diu durare debeant opera in prædicti voti locum subrogata: nam Maior Pœnitentiarius indefinite loquitur in dispositione pęnali, quæ cēsetur in dubio perpetua, quādo nulla

Dispositio pœnalis in dubio censetur perpetua.

lã temporis præfinitionẽ tacitè vel expresse continet. *l. seruus*, 34. *ff. de pœnis*. Idemque videtur *ex d. c.* 2. dicendum; quia Papa in commutatione voti huiusmodi in specie imposuit, vt vouẽs toto vitæ suæ tempore vni pauperum Christi prouideret.

His tamen non obstantibus, existimo huiusmodi opera ad summum tamdiù durare debere, quamdiù duraturum esset iter in eundo, redeundo, ac tempus moræ in dicta Terra Sancta. Et ad hoc credendũ pluribus adducor rationibus. Primò, quia, cùm ista opera sint subrogata loco voti temporanei, debent ipsa etiam esse temporanea. Nam subrogatum sapit naturam eius in cuius locum subrogatur. *l. fin. §. qui iniuriarũ, ff. si quis cantion. Bartol. in repetitione l. pater filium*, 14. *ff. de inofficioso testam. num.* 13.

Subrogatum sapit naturã subrogati.

Secundò, quia stylus litterarum M. P. est, vt exprimatur in litteris, quando opera, & onera imponenda debeant perpetuò durare, vt videre est in præfatis formulis præcedentibus: stylus autem maximi faciendus est, quia facit ius. *c. quam graui*, 6. *& c. licet*, 5. *de crimine falsi*. Et cùm in hac nostra formula non exprimatur ista perpetuitas, neque à nobis est imponenda. *glossa in c. si vir*, 2. *verbo, debitum, de cognat. spirituali.* Tertiò, in oneribus imponẽdis mitior interpretatio facienda est. *l. cum quidam*, 19. *ff. de lib. & posth. c. odia*, 15. *de reg. iuris in* 6. Ergo in nostro casu potius debemus iudicare quòd sint opera temporanea, quàm perpetua.

Nec obstant in contrarium adducta: nam vltrò concedimus dispositionem pœnalem, quæ nullam habet temporis definitionẽ explicitè, vel implicitè, censendam esse in dubio perpetuam, quoad prohibitionem, & obligationem, non autem quo ad pœnæ exequendæ durationem. Responderi adhuc potest, in dicta lege declarari pœnam ibi appositam esse perpetuam; & ideò non remanet amplius dubiũ, an sit perpetua nec nè. Secus est in nostro casu, & ideò non est par ratio.

In oneribus mitior interpretatio.

Ad *præfatum cap.* 2. *de voto, & voti redemptione*, respondeo esse casum specialem, & onerosum; & ideò non est trahendus in exemplum; & præcipuè quia in toto titulo præfato quid simile quo ad eiusdẽ voti commutationem non reperitur; & ideò credendum, quòd peculiaris ratio induxerit Papam ad onus perpetuum subueniendi vni pauperi imponendum.

Secun-

Secundò respondeo, expensas à dicto Clerico faciendas pro voti adimpletione, adeo pingues forsan futuras esse, vt ex ijs posset vnus pauper sustentari toto vitæ suæ tempore; easque integras insimul persoluere non valens dictus Clericus, annuatim fructus quosdam quasi cēsus vni pauperi persolueret: & ideo nihil contra nos facit huiusmodi capitulum.

Hæc satis sint pro formulæ huius explicatione.

Nota quòd eodem modo commutantur vota visitandi limina SS. Apostolorum Petri & Pauli de Vrbe, & S. Iacobi in Compostella, & similium.

COMMVTATIO VOTI DE NON NVBENDO.

Pro Iuuene, & formosa parentibus orbata, ob periculum incontinentiæ.

FR. Antonius Barberinus, &c Quòd aliàs ipsa votum de non nubendo emisit. Cùm autem Latrix præfata sit iuuenis & formosa, ac parentibus orbata, & propterea suæ honestati matrimonio consulere desideret, pro suæ conscientiæ quiete cupit sibi votum huiusmodi in alia pœnitentiæ & pietatis opera per Sedem Apostolicam commutari. &c. Quatenus, si est ita, ac de Latricis incontinentia probabiliter timendum esse tu repereris, eandem Latricem, audita prius eius sacramentali Confessione, à mutatione propositi, quatenus tibi videatur, absoluas hac vice, &c. Iniuncta ei pœnitentia salutari; sibique votum præfatum de non nubendo, in alia pœnitentiæ opera perpetua per te iniungenda, prout secundum Deum ipsius animæ saluti expedire videris, dispensando commutes in foro conscientiæ, & non aliter, &c. Datum Romæ, &c.

Ex ijs, quæ in præcedentiū formularum declaratione diximus, colligitur quomodo intelligenda, & executioni deman-

mandanda sit nostra hæc formula. Nihilominus, vt exequutoris onus subleuemus magis, aliquid attingemus, quo complanetur ei via ad commutationem huiusmodi faciendam. Tota autem difficultas huius formulæ consistit in decernendo probabili, & iusto timore incontinentię latricis litterarum: sed hæc difficultas facillimè euacuabitur si reperiemus, quis dicatur iuuenis, & quis dicatur formosus.

Iuuenis quis sit. De iuuene omnes conueniunt, illum esse iuuenem, qui excedit adolescentiam, & durare, quousque poterit inter senes numerari; id est à vigesimoquinto, vsque ad quinquagesimum ætatis suę annū. *l. non aliter, 67. §. 2. in fine, ff. de legat. 3. gl. in c. super inordinata. 35. in addit. verb. iuuenis, de præb. & dignit. & glossa communiter recepta in prooemio sexti Decretal. verb. perfectus.*

In nostro autem casu credo non ita strictè sumendam iuuentutē, sed posse ampliari etiam ad adolescentiam, in qua magis feruent sanguis, & caro, & ideo maius est periculum incontinentię; & intelligi iuuenem, prout distinguitur à puero, & sene, & prout à vulgo solet sumi iuuentus.

De formoso, quia nimis patet sensibus, quis sit formosus; ideò non opus est tradere præcepta, sed silentio expedit magis hoc præterire.

Cùm igitur Exequutor repererit latricem esse iuuenē vno ex supradictis duobus modis, sibique visa fuerit formosa, parentibus, patre scilicet, & matre orbata; absque vlla titubatione poterit timere de eius incontinentia.

Nam intus & foris pudicitia tentata, facilius quam credi possit, periclitatur, & expugnatur.

Præterea, mulier ligata voto huiusmodi, si petat solutionem, magnum futuri periculi indicium subministrat: & ideò exequutor ex his optimè potest informare animum suum ad concedendam commutationem huiusmodi.

Et hæc sufficiant pro formula præsenti.



DE

DECLARATORIA VOTI RELIGIONIS,

Oratorem Voto satisfecisse, ex quo propter infirmitates, de consilio Medicorum ante emissam tacitam, vel expressam Professionem, habitum Religionis per eum susceptum dimisit.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs, cùm voluisset ingredi Religionem N. eamque propterea ingressus esset, adeò quibusdam infirmitatibus opprimi cœpit, vt ex Medicorum consilio egredi coactus fuerit, nulla tamen neque expressa, neque tacita per eum Professione emissa. Cùm autem, &c. Lator prædictus quantum in se est, fecerit, vt voto satisfaceret, pro maiori suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam declarari se voto prædicto satisfecisse. Quare, &c. Quatenus si est ita, dictum latorem, audita prius eius sacramentali confessione, voto prædicto satisfecisse nūcies; & declares in foro conscientiæ, & in ipso actu sacramentalis confessionis, & non aliter, neque vllo alio modo: Ipsumque tamen attentius horteris, vt inclinationem, quam aliàs ad Religionem habuit, non contemnat, sed Deum deuote precetur, vt ipsius mentem ad vitæ statum dirigat, in quo melius illi seruire valeat; & nihilominus eam vitæ suæ rationem per exercitationem operum Religionis instituat, qua ab eius proposito non temere, nec longè recessisse dignoscat, habito Doctorum consilio. Datum Romæ, &c.

Quamuis Declaratoriæ huiusmodi non videantur hodie in vsu esse, sed potius loco earum concedantur commutationes votorum, iuxta *c. quod super his*, 8. §. *vnde credimus*, *de voto & voti redempt.* quòd cap. communiter obseruatur,

vt docet *Panorm. in c. 1. n. 4. in fine de voto*. Nihilominus casu quo cōcederentur, operæ pretium est scire, quomodo procedendum sit in earum exequutione.

Tria necessaria sunt ad validitatem istius declaratoriæ, infirmitates, consilium Medicorum, & exclusio professionis tacitæ, vel expressæ; quorum alterum si deficiat, Declaratio erit nulla, & inualida.

Infirmitates igitur necessario requiruntur. Primò. veræ & reales, & non apparentes. Secūdò, quòd sint perpetuæ, & non temporales. Tertiò, quòd sint graues, & reddant vouentem inhabilem ad onera Religionis.

Quòd infirmitates debeāt esse veræ & reales, quis dubitare potest, cùm non entis nullæ sint qualitates? *L. eius qui, 41. ff. si certum petatur, c. ad dissoluendum, 13. de desponsat. impub. vbi glos. in verb. accusari, c. ad audientiam, 5. de eccles. ædifican.*

Nō entis nullę qualitates.

Leuia non considerātur.

Quòd verò debeant esse graues, similiter indubitabile est, cum de leuibus non habeatur ratio; iuxta *l. scio, 4. ff. restitut. in integrum, l. si oleum 10. §. finali ff. de dolo. Anton. Corsettus in tractatu suo de minimis*. Nec satis est, vt sint graues simpliciter; sed necesse est, vt sint graues respectu voti huiusmodi adimplendi, adeo vt impediant, & inhabilem reddant vouentem ad onera Religionis ferenda. *c. beatus, 22. q. 2.*

Demum debent esse perpetuæ, & nō temporales: nam impedimenta temporalia sūt solummodo causa dilationis. *d. c. super his, §. vnde credimus, de voto, & voti, redempt. & argum. l. nepos Proculi, 125. ff. de verbor signif.*

Secundò requiritur consilium Medicorum. Cùm omnia sint facienda consilio, & deliberatione, *l. placet, 5. C. de sacrosan. Eccles. in princ. & c. ne innitaris 5. de constit.* ideò M. P. in hac declaratione requirit secundo loco Medicorum consilium.

Consiliū quotuplex & quid sit.

Aduerte quòd consilium multiplici modo accipitur. Primò sumitur theologicè, prout est vnū ex septē Donis Spiritus sācti & est qualitas subiectiue existēs in intellectu, creata à Deo, quæ inclinat intellectū nostrū, vt bene moueatur à Spiritu sācto in cognoscendis & consiliandis his, quæ sunt ad vitam æternā: & hoc consilium est solum in habentibus gratiam, qui mouentur per donum consilij, quasi consilio accepto à Deo.

Secundò modo accipitur consilium prout est discursus,

& est inquisitio eorum tantum, quæ sunt ad finem operabilium à nobis, non minimorum, nec indifferentium, 12. *q.* 24. *per totam*.

Tertio sumitur pro re, vel actione, ad quam faciendam, aut fugiendam, consilium inducit, *cap. quod præcipitur*, 14. *quæst.* 1. & ideo dicitur consilium esse volũtatis, præceptum autem necessitatis.

Quartò sumitur consilium pro persuasione quadam, & inductione ad aliquid agendum non habente vim coactiuam, *cap.* 2. *de apostatis & reiterantibus baptisma*.

Quintò sumitur pro consensu præstando in aliqua actione, vel operatione, *Panorm. in c. cum olim*, 7. *de arbitris, num.* 5. *Bart. in l.* 1. *ff. de exercit. actio. nu.* 6. *&* 7.

Hoc loco sumendum proprie est consilium prout dicit persuasionem, & inductionem ad dimittendum habitum regularem: nam vouẽs, & exequutor debent à Medicorum consilio persuaderi, & induci, primus ad dimittendum; secundus verò ad declarandum fuisse licitam & bonam prædictam dimissionem: quia cum aliunde aliquid nequeat sciri, vt benè & licitè procedatur, recurrendum est ad peritos: & eo magis quando grauitas negotij id exposcit. *c. fraternitatis*, 6. *& c. fin, de frigid, & malefic.*

In hoc autem consilio tria etiam necessario requirũtur: primo vt sit consilium iustũ: secundo quod sit conforme: tertiò, quod sit plurium Medicorum. *Consiliũ tria requirit necessario.*

Primò igitur requiritur cõsilium iustum, nam consilium de sua natura importat esse iustum. *l. Titium, & Meuiũ*, 48. *ff. de administ. tut. & notat Bart. in l.* 1. *§. si plures, n.* 10. *ff. de exercit. act.* aliàs, si sit iniustũ & malum, reprobatur, & punitur, *l. qui occidit*, 30. *§. penult. ff. ad l. Aquiliã, c. de cætero*, 10. *& c. sicut dignũ*, 6. *§. q. vero, de homic.* *Vt sit iustũ.*

Consilium erit iustum, si sit legi, & rationi consentaneum, ac debitum illi, cui datur, *Lessius de Iustitia, & Iure, lib.* 2. *cap.* 2. *dubitat.* 1. *num.* 1.

Vitam propriam tueri est de iure naturali. *c. ius naturale dist.* 1. *c.* 3. *de sent. excom.* ac de iure positiuo. *c.* 2. de *homicidio volunt. vbi Panor. & alij DD. cõmuniter. &* ideò consiliũ de tuẽda sanitate, est quoad istã partem legi consentaneum & iustum: sed requiritur quod sit debitum, id est, vt sit de vita tuenda debitis, ac licitis modis, aliàs non est iustum, vt *dict. c.* 2. *& c. si perfodiens*, 3, *vbi Panorm. & DD. de homicidio volunt.*

Præterea necesse est, vt hu-

Vt sit debitũ. huiusmodi consilium sit debitum isti vouenti, aliàs non est iustum, neque legi consentaneũ, vt bene affirmat *Less. loco citato*. Considerandum est enim, an per huiusmodi habitus dimissionem periclitetur probabiliter vita spiritualis animæ; si adest huiusmodi probabile periculum, non debetur istud consilium vouenti: quia salus animæ præferri debet sanitati, & vitæ corporis atque omnibus rebus, *cap. si habes*, 24. *q*. 3. melius est enim ingredi debilem, claudum, ac cum vno oculo in vitam ęternam, quàm mitti in gehennã ignis robustum, & duos oculos habentem, iuxta dictum Domini, *Matth*. 5. *& Marc*. 9.

Quomodo inuestigandum sit huiusmodi periculum, relinquitur prudentiæ Exequutoris, qui poterit animum suũ bene formare interrogando vouentem de vita traducta ante ingressum in Religionẽ; de difficultatibus in Religione habitis circa obseruationẽ diuinorum præceptorum; de tempore, quo perseuerauit in Religione, quod regulariter non erit nisi modicũ: & ideò mali habitus in sæculo contracti, non ita facilè præsupponuntur extincti, sed solum sopiti, & propterea cũ vitæ relaxatione facillime, & maiori cum impetu reuiuiscent.

Cõsiderandæ etiam sunt passiones, & procliuitates ex corporis temperamento prouenientes; occasiones periculorum, & alia similia, quæ inducere possunt exequutorem ad cognoscendum, an salus animæ latoris in discrimen adducenda sit.

Secundo requiritur necessariò vt consilium sit conforme: nam si sit difforme, non erit consilium plurium, sed consilia plura inter se differẽtia, & ideò illis vt singularibus non credendum; dictum enim vnius est nullius, *c. licet* 23. *& c. veniens*, 10. *de testibus*, *l. qui sentẽtiã*, 16. *C. de pœnis*, *l. iureiurandi*, 9. *C. de testibus*. & hoc denotat expressio consiliorũ numero inter se differentium concepta sub numero singulari, qui inseruit ad vnitatem exprimendam. *Vt sit conforme.*

Dicitur *conforme*, id est idẽ confirmans.

Tertiò demum requiritur, vt istud consilium sit plurium Medicorum: nam peritis in arte standum est, in casibus & actibus suæ peritiæ *cap. fin. de frigid. & malefic. l.* 1. *§. si neque C. de veteri iure enucl. & not. in c.* 1. *de constit. Bart. in l.* 1. *§.* 1. *ff. de vent. inspicien. & in proœm. digest. Innoc. in c. proposuisti*, 4. *de probat.* Medicorũ autẽ peritia est circa infirmitates expellendas, & sanitatẽ resti- *Vt sit plurium.* *Peritis in casibus sua peritia standum.* *Peritia Medicorum circa qua.*

restituendam. *glos. in l. maritus 62. ff. loc.* & DD. communiter *in c. presbyterũ 7. de homicidio.* & ideò in ijs, quæ spectant ad sanitatem, illorũ iudicio quiescendum est.

Isti verò Medici ad minus debent esse duo, vt illis fides habeatur, *c. significasti, 18. de homicidio. Bart. in proœmio digest. Salic. in l. comparationes, 19. C. de fide instr. Felin. in d. c. proposuisti, 4. n. 7. vers. secunda conclusione, de probationibus, & in d. c. significasti, n. 6. & 7. de homicidio.* Pluralis enim locutio in duobus ad minus verificari debet, *l. vbi numerus, 12. ff. de testibus, c. pluralis locutio, 40. de reg. iuris in 6.*

Pluralis loquutio in duobus ad minus verificatur.

Vltimò necessaria est ad validitatem istius declararoriæ exclusio expressæ, & tacitæ professionis: nam si vouens emisit expresse vel tacite professionem Regularem, non potest amplius recedere à Religione, & habitum regularem dimittere, ex quacunque etiam vrgenti & aliàs licita causa, *cap. porrectum, cap. super eo, & cap. ad Apostolicam de Regular. vbi Panorm.* & alij omnes.

Professio expressa est solemnis promissio obseruantiæ regularis in manibus Superioris facta, vt *in dictis cap. porrectum, & c. ad Apostolicam.*

Professio regularis expressa.

Tacita verò professio fit per assumptionem habitus Professorum, *cap. viduas, 27. q. 1. c. quod interrogasti, 27. distin. c. super eo, c. vidua, de Regular. vbi Panorm.* & in dicto habitu suscepto per triduanam perseuerantiam, *c. ad nostram 8. de Regular. S. Tho. in 4. sentent. dist. 38. quæst. 1. art. 2. circa finem.*

Tacita.

Tacita professio etiam fit per exercitium alicuius actus professorum, vt quando nouitius se ingerit in actibus professorum scienter, id est sciens illum actum esse professorum; & sponte, id est non coactè facit illum actum; si enim coactè, non erit tacita professio, *cap. 1. quod metus causa. Panormit. in dicto c. vidua.*

Quod verò hæc tria, videlicet infirmitates, consilium Medicorum, & exclusio professionis expressæ & tacitæ, sint necessaria ad validitatem istius declaratoriæ, patet ex dictis: nam infirmitates sunt impedimenta voti adimplendi legitima; professio vero tacita, vel expressa, est impedimentum legitimum non dimittendi habitum regularem; & Medicorum consiliũ est causa efficiens istius declaratoriæ, quæ efficit vt à non perito bene procedatur in re, in qua non habebat peritiam.

Voto

Voto satisfecisse, &c. Vouens satisfecit voto per ingressum actualem in Religionem: adimpleuit enim quantum ex parte sua tenebatur adimplere: & si per me non remanet, quo minus votum perficiam, subsistente bona voluntate, debeo reputari, ac si votum perfecissem. *cap. dixi* 4. *& c. magna pietas, de pœnitent. distin.* 1. *cap. duæ sunt, distin.* 45. *& cap. non satis, vbi glos. in verb. velle*, 86. *distin. Panorm. in cap.* 1. *de voto. & notatur in c.* 1. *de eo. qui mittitur in possess.* & superuenientes infirmitates abstulerunt obligationem voti, iuxta vulgatam & communiter receptam regulam: Omne impedimentum superueniens, quod à principio habuisset impedire votum, si oritur post factum, habet auferre obligationem voti. *Archidiacon. in cap. qui bona agunt*, 17. *quæst.* 1. *Panorm. in cap.* 1. *de voto & alij communiter*.

Et ideo vouens satisfecit ex parte sua voto tam de iure, quàm de facto, & ad aliud amplius non tenetur.

Nuncies & declares, &c. Id est, definias votum in tali casu carere vi obligandi. *Sãch. de matrim. lib.* 8. *disputat.* 1. *num.* 1. Et propterea vouens tuta conscientia potest remanere in sæculo; nam exequutor noster non est merus exequutor, sed etiam est iudex, vt supra probauimus, & ideo eius sententiæ definitiuæ acquiescendum est.

Hæc sententia propriè appellatur sententia interlocutoria, cum sit iudicialis declaratio super voti obligatione, summariè, & sine vlla solemnitate scripturę, quasi loquendo cum vouente prolata, per quam ius remanendi tuta conscientia in sæculo ei tribuitur: sententia enim interloquutoria summarie, & sine solẽnitate scripturæ profertur, *glos. in cap. final. in verb. diffinitiua, de senten. & re iudicata in* 6. *& in cap. quoniam contra, in ver. interlocutiones, de probat.* Nihilominus potest etiam lato modo appellari definitiua sententia, cùm definiat latorem voto satisfecisse, & amplius non teneri ad illud exequutioni demandandum.

Ipsumque tamen attentius horteris, &c. Hæc hortatio potest præcedere, & subsequi hanc declaratoriam, prout Exequutori videbitur: nam, cùm Maior Pœnitentiarius non limitet tempus, nec nos limitare debemus.

Notet autem Exequutor aduerbium illud, *attentius*, quo admonetur hãc hortationem non esse faciendam pro forma, & pro loco, sed cum efficacia, vt vouenti persuadeatur obligationem extinctam quidem esse, quoad perseuerandum in Religione, vel de nouo eam ingrediendam; sed nihilominus remanere aliam obligationem grati animi erga Deum pro eius vocatione ad sublimem statũ Religionis; & ideo tenetur aliquod in suis moribus, regularis obseruantiæ vestigium conseruare, aliqua pietatis, & deuotionis opera peragẽdo.

Secundò, tenetur aliquod displicentiæ signum exhibere pro tanti status dimissione, ne vno, eodemque tempore & vocationẽ ad Religionem, & Religionem videatur contemnere præuia obliuione.

Tertiò, tenetur exercitio operum spiritualium memoriam excitare beneficij vocationis, vt huiusmodi recordatione se ad ea beneficia à Deo accipienda reddat dignum, à quorum fruitione per infirmitates corporis excludi nequeat, ne à Religione exclusus excludatur à Cæli regno.

Quæ autem opera pietatis peragere vouens, & quomodo se in sæculo gerere possit, prudens Exequutor ex præcedentibus formulis, & ex earum explicationibus superius à me factis colliget. ideò de hac formula dictum satis.

DECLARATORIA

Pro eo qui vouit quoddam particulare Monasterium, ad quod accedens receptus non fuit.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs vouit Regularem obseruantiam amplecti in Monasterio N. ad quod pluries accedens institit pro sui admissione ad Regularem habitum, sed semper ab illius Superioribus repulsam reportauit. Cùm autem, &c. dictus lator desperet sui receptionem, ideò pro suæ conscientiæ maiori quiete cupit per Sedem Apostolicam declarari se satisfecisse voti huiusmodi obligationi. Quare, &c. Quatenus si est ita, ac Reli-

Religiosi Superiores, ad quos spectabat recipere, vel recusare, Latorem admittere noluerint, dictum Latorem, audita prius eius sacramentali confessione, voto præfato satisfecisse, &c. vt in præcedenti formula.

Causa huius declaratoriæ est non receptio. Vt autem non receptio sit causa sufficiens istius declaratoriæ, tria necessaria sunt: primo, vt fit à Superiore, ad quem spectat recipere, vel recusare: secundò, vt fiat ex tali causa, quæ per vouentem remoueri nequeat: tertio, vt ista non receptio sit perpetua, non autem ad tempus.

De primo requisito non est dubitandi locus. Nemo enim inuitis Superioribus, v.g. Religionis S. Dominici, fieri potest Religiosus dictę Religionis; & si lator vouit illam ingredi, eius Superiores non vouerunt illum recipere.

De secundo requisito patet: quia vouens tenetur facere quantum in se est, vt remoueatur omne id, quo illius impeditur receptio. *argumen. c. sicut ex litteris, 22. de sposal.* Nam eadem est ratio finis, & eorum quæ tendunt ad finem. *l. oratio 16, ff. de spons.* Et sicut vouens tenetur ingredi Religionem, ita etiam tenetur assumere media, per quæ possit admitti ad Religionem: & ideo si culpa sua receptus nō fuit; non potest fieri hæc declaratio, sed tenetur remouere causam ex sua culpa inductam, si tamen locus sit suæ retractationi. Immò etiamsi retractationi locus nō sit amplius; neque adhuc potest fieri hæc declaratoria, sed potius debet fieri commutatio voti, ne vouens ex sua culpa lucrum reportet.

Eadem ratio finis, & mediorum.

Tertiò, ista non receptio non debet esse ad tempus, ita vt vouēs pro nunc nō recipiatur, & postea recipiendus sit; sed debet esse perpetua, hoc est, includere in se talem diffidentiam, vt excludat omnem spem futuræ receptionis; nā, si adest spes futuræ receptionis, nostra hæc declaratoria non habebit locum.

Aduertat Exequutor, vt cautius procedat in hac declaratoria, modum, & verba, quibus vouēs exclusus ab ingressu Religionis fuerit: an ad tentandam eius constantiam, prima & secunda vice repulsā à Superioribus reportauerit: an ad instar irati, seu indignātis hominis responsum ei fuerit: an serijs, & disertis verbis: an cum legitimarum, seu

potius leuium causarum allegatione: an vouens pluries, & qua efficacia habitum regularem petierit: an semper idem negatiuum responsum reportauerit: an potius variatio in responsis fuerit; nam variatio in responsis denotat inconstantiam in respondente, & propterea speranda reiteratis precibus receptio latoris ad Religionem.


Ira, & indignatio, cùm nulla cognoscatur in Superioribus materia offensæ, & displicentiæ, quæ sunt obiecta, circa quæ versantur ira, & indignatio, propterea præsumũtur fictæ ad probandam vouentis constantiam in vocatione.

Idem dicendum de prima, & secunda repulsa: nam labore acquisita pluris æstimantur; & difficultas in acquirendo auget pretium rei acquisitę: facilitas verò minuit.

Et hęc pro nunc de formulis votorum.

Finis Primæ Partis.

Praxis ad Litteras, & Bullas Maioris Pœnitentiarij.



PARS

PARS SECVNDA
PRAXIS
AD LITTERAS
MAIORIS POENITENTIARII, ET OFFICII S. POENITENTIARIÆ APOSTOLICAE.

IN QVA DECLARANTVR CLAVSVLÆ Litterarum Dispensationum Matrimonialium pro Foro Conscientiæ, & traditur modus eas exequendi.



PRAXIS AD LITTERAS MAIORIS POENITENTIARII,

IN QVA TRACTATVR

De Formulis Matrimonialium Dispensationum, quæ in foro occulto conceduntur.

PARS SECVNDA.



VM Maior Pœnitentiarius dispensationes matrimoniales solūmodo de impedimentis occultis cōcedat; ne prima principia videamur ignorare, operæ pretium esse existimo primo videre, quid sit *occultum*. Et quia occultum est, quod publicitate caret, ideò videbimus, quid sit *publicum*, quot sint publicitatis species: ex quarum præmissa cognitione apertè colligemus, quid veniat, & intelligatur nomine occulti.

Quid, & quotuplex sit Publicum.

PRo maiori, & faciliori isti' articuli intelligentia sciēdum nobis est, istud verbum, *publicum*, multiplicem in iure significationem habere: aliquid enim dici, & denominari publicū potest ex pluribus capitibus, videlicet à causa efficiente; vt instrumentum dicitur esse publicum, quando conficitur à tabellione, *cap. scripta 2. vbi glos. in verb. per manum publicam, de fide instrum.* Notarius enim est persona publica, *l. 2. ff. rem pupilli saluam fore, & S. cum autem, instit. de adopt.* & ita simi- *Publicum quotuplex sit.*

similiter nominantur viæ publicæ illæ, quarum solum fuit emptum ære publico, & sic confectæ: *gloß. in l. viæ vicinales 3. in verbo, numero sũt, ff. de locis, & itiner. publ.*

Secũdo denominari potest publicũ ab aliquo intrinseco, vt sunt ratiocinia publica, quibus obligãtur officiales Curiæ ex administratione aliqua ad rẽ publicã pertinẽte, *l. officinales, 4. C. de Epiſ. & Cler. Goffre. in sũmæ tit. de obl. ad ratiocin.*

Tertio denominatur publicũ ex causã finali, id est à fine, ad quẽ aliquid dirigitur, vt sũt leges, quæ propterea dicũtur publicæ, quia ad bonum publicũ tendunt, *l. 1. ff. de iudic. publ. l. 2. ff. ne quid in loco pub. l. 1. ff. de iuſtitia, & iure.* & similiter munus publicum, illud vocatur, quod licet à priuato homine exerceatur, tamẽ tendit ad vtilitatẽ, & cõmodum populi, *l. pupillus 239. §. munus publicum, ff. de verb. signific.*

Quartò, publicũ denominatur à loco publico; ut edicta dicuntur publica, quę apponũtur in loco publico, *cap. 1. vbi gloſſ. de poſtulat. prælat.*

Quinto, denominatur publicũ ab aliquo munere, vsuq; publico; vt Palatiũ Cõmunitatis dicitur publicũ, quia ibi negotia ad populũ spectãtia gerũtur, *l. 1. ff. de locis, & itiner. pub.*

Sexto, dicitur aliquod publicũ ex eo, quod habeat dependentiã, & attinẽtiã à populo; v. g. bona alicuius Cõmunitatis appellantur bona publica. *l. bona ciuitatis, 15. & l. inter publica, 17. ff. de verb. signif.*

Sciendum secũdo est, quod istud verbũ, *publicũ*, à populo emanat, & deriuatur, id est, publicum, quasi res populica. *Accurſius in continuatione tit. de publ. iudic.*

Sciendum tertio est, quoad propositã nostrã materiã: istud verbũ, *publicũ*, accipiendũ nõ esse quomodocũque à populo emanet, sed solũmodo prout dicit, & includit notitiã, & cognitionẽ quãdã in populo de aliquo facto, & actu immediate manantẽ; & propterea dicitur illud esse publicũ, quod fuit factũ multis præsentibus. *c. 1. de poſt. Prælat. & ita docet Ant. de Butrio in tract. de Notorio art. 2. n. 19. & Bar. in l. 1. §. pen. de suſpect. tutor. Panor. in c. quia omnibus, n. 11. de vſuris. Nau. c. 27. n. 225. tom. 1.* qui dicunt illud esse publicũ, quod patet omnibus, id est populo: & propterea.

Notandũ est, istud verbum, *publicũ*, quoad propositã nostrã materiã, adhuc in strictiori sensu accipiendum esse nõ solum pout includit præsentiã populi, sed etiã animaduertẽtiam. non enim v. g. Frãciscus dici potest publicus homicida

ex eo, quod occiderit Petrũ in publica platea plena populo, nisi populus animaduerterit tale homicidium à Francisco fuisse perpetratum: quia accidere posset, vt populus tempore dicti homicidij alijs rebus esset intentus, vel esset de nocte, & propterea Franciscus tali casu diceretur verè occultus homicida, vt melius ex infra dicendis apparebit: nam præsens non dicitur, qui ad aliud attẽdit *l. coram Titio*, 209. *ff. de verb. signif.* Et in summa populus debet habere cognitionem, & scientiam rei, quæ dicenda, & denominanda est publica, siue habeat hanc sciẽtiam per sententiam Iudicis. *Clem. 1. vbi glos. in ver. publice, de sepult. & glos. in c. ad probãdum*, 24. *in ver. cassata, de sent. & re iudic.*

Præsens non dicitur, qui ad aliud attendit.

Siue per ipsius facti euidentiam *cap. 1. vbi glos. in verb. publice, de postulat. prælat. & cap. tua nos*, 8. *vbi Panorm. de cohab. cler. & mul. c. manifesta*, 2. *q.* 1. *glos. in cap. exceptionem*, 12. *in verb. publicè, de except.*

Siue per propriam rei confessionem. *glos. in c. vestra*, 7. *in verb. notorium, de cohab. cleric. & mul. Bart. in l. à procedente*, 4. *C. de dilatio. Grammat. decis.* 36. *num.* 30. *Felinus in rubr. de probat. n.* 7. *Mars. in rubr. C. de probat. n.* 87. *Dec. in c. at si clerici*, 4. *n.* 141. *de Iudic.*

His sic stantibus dicendum est, istud verbum, *publicum*, esse nomen genericum, & habere sub se species, videlicet, Notorium, Manifestum, & Famosum. *Ita Panor. in dd. c. vestra, n.* 11. *& cap. tua, n.* 2. *de cohab. cler. & mul. Nauar. c.* 27. *de irreg. n.* 255. *& colligitur ex glos. in c. manifesta*, 2. *q.* 1.

Publicum est idem ac notorium, manifestum, & famosum.

Sed contra hoc obijcitur *d. cap. 1. de postul. Prælat.* vbi illud videtur dici publicum, quod fuit factum multis præsentibus, & non est adhuc diuulgatũ, vt etiam videtur docere *Ant. de Butrio in tract. de notorio, art. 2. n.* 19. ergo istud verbum, *publicum*, non est genericũ, sed speciale, cùm specificetur per illud quod sit factũ multis præsentibus, & non tamen sit adhuc diuulgatum.

Respondeo primò. dictum capitulum, si verba illius bene perpendantur, non facit contra nos, sed nostram sententiam corroborat, & confirmat. Textus enim ibi loquitur de publico notoriè, id est, prout est idem ac notorium. Dicitur ibi publica, id est notoria interdicti sententia, quæ fuit promulgata in loco publico, id est omnibus patente, & insuper multis presentibus, id est præsente multitudine hominum, quæ multitudo cõstituit populum; nihil enim aliud est populus, quàm mul-

multitudo hominum.

Præterea, textus non affirmat illud esse publicum, quod fuit factum multis presẽtibus, & non est adhuc diuulgatum; sed dicit solummodo sufficere ad hoc, vt aliquid dicatur publicum secundum subiectam materiam, id est, notorium, vt fiat multitudine præsente, & animaduertente quod fit: hoc enim importat illud *publicè promulgatum*, ad differentiam eius, quod fit occultè. Et non est necesse vt per speciale mandatum, vel litteras, singulorum auribus inculcetur. vide *glossam in d.c.1. in verb. publicè promulgauerit*. Et in hoc sensu loquitur *Ant. de Butrio loc. cit.* vt melius ex infra dicendis apparebit, dum loquemur de singulis prædictis speciebus per se.

Secundò responderi potest, textum loqui de manifesto, si dicamus cum *Anton. de Butrio loc. cit.* particulam illam, *multis præsentibus*, esse idem ac, pluribus præsẽtibus; nam textus ibi, & ponit scientiam plurium, in quorum præsentia fuit interdicti sententia edita; & ponit etiam famam, & promulgationem, quòd huiusmodi sententia fuerit solemniter, & publicè, id est, non occulte edita, in illis verbis, *& eadem interdicti sententia in Regno Francorum iam à multis cœperit publicè obseruari:* & in alijs precedẽtibus verbis, vbi Episcopus non negauit se habuisse notitiam interdicti, sed allegauit se non fuisse obligatũ ad illud obseruandum, quia non ei erat specialiter intimatũ per litteras Apostolicas, vel eius Legati: & propterea huiusmodi excusatio in textu non admittitur, sed dicitur ille fuisse obligatus ad obseruandum interdictum ob notitiam, quam habuit. Igitur huiusmodi rationibus corruit quidquid videtur obstare nostræ sentẽtiæ.

Obijcitur secundò. *Glos. in d. c. exceptionem, in verb. publicè, de except.* dicit eam Iudicis sententiam esse publicã, quæ profertur coram Officialibus in loco, in quo ipse publicè iudicare solet, & præsentibus partibus, vel earum altera. Sed hæc sententia non est notoria, quia non profertur coram populo: non est manifesta, quia nulla est sequuta fama: neque est famosa, vt per se patet. Ergo istud verbum, *publicum*, est aliquid differens à notorio, manifesto, & famoso: ergo male dicitur esse genus, non autem species.

Respondeo primò, huiusmodi sentẽtiam ibi dici, & denominari publicam lato modo, prout est data à Iudice, quæ est persona publica, coram Officialibus, qui similiter sunt

personæ

personæ publicæ, & edita in loco publico; & propterea dicta glossa non facit cõtra nos, qui solũ loquimur de isto verbo, *publicum*, stricto modo, prout respicit immediate notitiam populi.

Respondeo secundò, huiusmodi sententiam adhuc posse dici, & denominari notoriam, & editam coram populo ex iuris præsumptione, quia Officiales repræsentant personam publicam, id est populum; prius enim populus iudicabat, vt de Susanna in sacris litteris, &c. nunc verò nomine populi Iudices, & Officiales: & ideo nihil obstat dicta glossa.

Respondetur tertiò, *cum glossa in Clement. 1. verb. publicè, de sepulturis*, non ideò dici aliquam sententiam esse publicam, id est notoriam, ex eo quod proferatur coram paucis Officialibus, & in loco, in quo publice proferri solent sententiæ, sed requiri qualitatem fori, multitudinem, scilicet, Officialium, & adstantium; aliàs sententia esset occulta, licet prolata fuisset à Iudice in Banco coram tribus Officialibus. Vide huiusmodi glossam, quæ multas authoritates allegat.

Quid, & quotuplex sit Notorium.

CONsiderandum hoc loco nobis est illud verbũ, *Notorium*, nõ prout dicit simplicem, & priuatam notitiam, sed prout includit publicam, & propterea dicitur esse species, & subesse verbo *publicum*, vt suo generi, quod specificatur per noticiam, vt suã differentiam: Notorium enim est, quod nititur scientia populi. *Panorm. in d. c. vestra de coh. cleric. & mul. Nauarr. cap. 27. de irreg. num. 255. glos. in c. manifesta. 2. q. 1. Specul. in tract. de Notorijs criminibus in §. iam in notorio n. 5. Felin. in c. cum opporteat, 19. num. 6. de accusat. Iason in l. si vero, 5. §. qui pro rei qualitate, num. 9. ff. qui satisdare cogantur, & ibi Bal. Menoch. de arb. Iud. lib. 2. cent. 2. Bart in l. scriptus, 4. n. 2. ff. de Relig. & sumpt. funerum.*

Notorium exposcit notitiã publicam.

Secundò consideranda est hæc notitia publica stricto modo, non prout dicit quamlibet populi cognitionem, sed solummodo prout dicit cognitionem certam, scientificam, & exclusam ab omni dubitatione, & negatione. *c. super eo 3. de testibus cogẽdis, vbi Felin. n. 7. & idem Felin. in c. si clericus laicũ, 5. n. 5. de foro cõpetenti. Rota decis. 327. Si contra, in nouissimis*, quæ dicit notorium non posse esse, nisi de eo, quod est verum, & habetur ex certa scientia. *Panorm. in d. c. tua de cohab. cler. & mul. prope finem.* Notorium enim illud

Notitia publica excludit dubitationem.

Notorium ponit euidentiã in populo.

illud dicitur, quod ita clarum, & euidens est, vt latere minimè possit,& cuius testis est populus. *d. c. vestra, vbi Panorm. n.6. & c. sequen. de cob. cleric. & mul. & cap. finali. vbi glos. eod. tit c. Sacerdotale, 61. dist. Menoch. loc. cit. Tolet. in summa cap. 74. lib. 1. num. 2.*

Sed aduerte istam cognitionem, & notitiam certam, & scientificam, non esse hoc loco accipiendam, iuxta Philosophorum intellectum, qui eam dicunt esse propriam scientiã, quæ habetur per propriã causam; de qua scientia loquitur *l. scire leges, 17. ff. de legibus, & c. intelligentia, 6. de verb. signif.* Sed accipiẽda est prout habetur per aliquem sensum corporeum: vt puta, scio quod habes caputiũ in capite, quia video, vel illud tango; & hæc scientia requiritur ad notoriũ faciendũ, vt colligitur ex *c. testes, 3. q. 9. l. testium. 17. C. de testibus. Panorm. in d. cap. vestra, & in cap. quanto, 8. de præsumpt. n. 3.*

Scientia est cognitio rei per propriam causam.

Notorium solet diuidi in notorium iuris, præsumptionis, & facti. *glos. in c. manifesta, 2. q. 1. & in d. c. vestra. Archid. in d. c. de manifesta, 2. q. 1. Io. Andr. in c. Romana, 3. §. si autem, de appell. in 6. Specul. de notorijs crimin. in §. notorium. Hostien. in summa de cohab. cleric. & mul. Goffredus in summa eodem tit.*

Notorium triplex.

Hæc autem diuisio mihi nõ placet, sed melius diuidendũ existimo notorium cum bimembri distinctione, vt requirit omnis bona diuisio: & ideo dicemus aliud esse notorium iuris, aliud facti. Nam præsumptionis est idem, quod iuris, quippe præsumptio est à iure inducta, & præsumpta. *Panor. in d. c. vestra, num. 14. Mascard. de probat. concl. 1106 Ant. de Butrio in tractatu de notorio, art. 1. num. 15.* qui propterea *notoriũ iuris* dicit quod sit *probatio finita per medium in iure facta, aut ex facto iudicialiter discusso, siue alias notorio, à iure sumpta, approbata, ficta, vel præsumpta. Specul. loc. cit. Tolet. in summa, lib. 1.*

Cuius distinctionis veritas clarius apparebit, si de quolibet eius membro separatim loquamur, & primò videamus de Notorio Iuris.

DE NOTORIO IVRIS.

Vnde dicatur, quotuplex sit, & quid sit?

Notorium Iuris ex duplici causa ita appellatur, vel quia ex iure oritur, id est, ex ijs, quæ in iudicio fiunt, vel ex eo quod iuris artificio inducitur. *Panor. in d. c. vestra, n. 14. de cohab. cleric. & mul.*

Notorium iuris vnde dicatur.

Et propterea huiusmodi noto-

Notorium iuris duplex est.

Notorium est duplex, aliud est notoriũ probatum, aliud præsumptum. *Mascard. de probat. concl.* 1106. Notorium autem quod probatio probata dicitur, aut est probationis & fidei, aut dispositionis, aut præsumptionis, seu fictionis.

Notorium iuris probatum. Notorium iuris probatum describi primò sic potest: *Est spontanea confessio, clara probatio, iusta, & indubitata definitio, & irreuocabilis & clara. Panor. loc. cit. Specul. de notor. crimin. §. notorium, Goffredus in summa de cohab. cleric. & mul. num. 7. Tolet. in sum. lib. 1. c. 74. glos. in c. manifesta, 2. q. 1.*

Hostiens. *in summa tit. de cohab. cleric. & mul. §. quid sit notorium iuris*, definit, quod sit *voluntaria confessio, clara probatio, iusta, & irreuocabilis definitio, facta in vero iudicio.* Quæ ambæ descriptiones in idem ferè coincidunt, & non placent; quia describunt id, quo causatur notorium: non autem ipsum notorium. Nam *Panor. & Hostien. loc. cit.* explicantes particulas prædictæ definitionis, dicunt, ex confessione in iure facta oriri notorium: ergo non est ipsum notorium.

Melius dicemus cum *Speculatore de notor. crimin. §. notorium:* Notorium iuris probatum est *illud, de quo quis ex propria, & spontanea confessione, vel ex clara probatione in vero iudicio factis canonicè cõdemnatur. d. c. vestra, vbi Panorm. n. 3. & c. fin. de cohab. cler. & mul. l. ingenuum. 25. ff. de statu hominum. l. res iudicata, 208. ff. de regulis iuris. c. fin. de tempor. ordination. vbi glos. in verbo, notorium.*

Dicitur, *ex spontanea confessione*, quia ex illa in iure facta oritur notorium. *d. c. vestra. & c. cum olim, 34. §. fin. de verb. signif. Bald. in l. à procedente, 4. C. de dilat. Grammat. decis. 36. n. 30. Felin. in rubr. de probat. n. 7. Mars. in rubr. C. de probationibus, n. 87. Decius in d. c. at si clerici, n. 141. de iudic.*

Nota, huiusmodi confessionem debere esse spontaneam, & non coactam vi tormentorum, seu alio modo extortam. *Mascar. de probat. concl.* 1107. *num.* 11.

Nec factam ex calore iracũdiæ, quia talis cõfessio, etiamsi fiat coram iudice competẽti, nihil præiudicat, non enim lubricum linguæ ad pœnam facile est trahendum. *l. famosi, 7. ff. ad l. Iuliã maiest. Panor. in d. c. at si clerici, n. 15. de iudicijs.* *Lubricum linguæ non trahendum ad pœnam.*

Nulla enim maior certitudo, & cognitio alicuius rei haberi potest, quàm à proprio illius authore sponte seriem rei narrante; & propterea confessus in iudicio pro cõuicto habetur. *toto titulo de confessis. l.* *Confessus in iudicio pro cõuicto habetur.*

L   *proinde,*

proinde, 25. §. *fin. ff. ad l. Aquiliam*, *l. vnica*, *C. de confessis. Hostien. loc. cit.* Secus, si coactè rem fateatur; hoc enim casu timendum est, ne ille rem vti se habet, narret. *l. 1. §. si quis vlt̃o*, & *§. quæstioni*, *ff. de quæstionibus. glos. in c. nos in quemquam, in verb. confessum. 2. q. 1.*

Atque ita dubitationem inducendo, excluderet notorietatem, quæ nullam potest recipere dubietatem.

Nota secundò, spontaneam cõfessionem esse tantæ efficaciæ, vt, etiãsi fiat extraiudicialiter coram populo, vel maiori parte populi, nihilominus inducat notorietatẽ: nam quodammodo ante audientium oculos repræsentat, quod illis absentibus fuit factum: & hæc confessio potest etiam vocari iudicialis, quia spõte confitẽs, ad tribunal populi factũ deducit, & illicò audientes iudicãt, an confessus, sit honore, vel ignominia dignus, & quantum est in se illum condemnãt, vel ei honorem debitum statuunt. Immò dicit *Innocent. in cap. interposita*, 70. *de appellat.* & *in c. quam sit*, 9. *de excessibus prælat. quem refert Panor. in d. c. at si clerici*, *n. 14. de iudicijs*, per istam confessionem extraiudicialem posse illum puniri tanquam maledicum, ex quo de crimine gloriatur. Insuper idẽ *Innocent. in c. per inquisitionẽ*, 26. *de elect.* existimat, ex tali confessione extraiudiciali posse aliquem priuari beneficijs etiam habitis, ratione infamię inde surgentis.

Dicitur, *ex clara probatione*, ad excludendam omnem ambiguitatem, vt ex ea possit etiã oriri notoriũ. *d. c. cum olim*, *vbi Panor. n. 3. de ver. signif. d. c. nos in quemquam*, *c. Epiphaniũ*, 5. *q. vlt. c. fin. de probat. c. Ecclesia S. Mariæ*, 10. *in fin. de constit. l. fin. C. de probat. l. diuus*, 14. *ff. de officio præsidis. l. qui sententiam*, 16. *C. de pœn. Hostien. in sum. tit. de cohab. cler.* & *mulier.* §. 5. *Bald. in authen. ad hoc col. 5. vers. quære nunquid ille. C. de vsuris. Aret. cons. 42. n. 5. Socc. cons. 8. col. 8. vers. 7. principaliter lib. 1. Dec. in c. ex insinuatione*, 50. *de appellat.* & *consil.* 20. *num. 79. vol. 1.*

Ambiguitas excluditur à notorio.

Et propterea subsequitur alia particula, *in iure factis*: nam confessiones, & probationes, quæ in legitimo iudicio fiunt, sunt veritati conformes, vel saltem pro talibus habentur: quia rei, vel testes interrogati iuris ordine seruato, & à Iudice suo (hæc enim duo importat illa dictio, *legitimo iudicio*) tenentur testimonium perhibere veritati. *cap. super his*, 8. & *sequent. de testibus cogendis.*

Legitimum iudiciũ quid importet.

Nota cum *Panorm. in c. at si clerici*, 4. *num. 6. de Iudicijs*, quod

quod confessio tunc dicitur in iudicio facta; quando fit in præsentia Iudicis legitimi pro tribunali sedētis, vt ex *l. penultima ff. de iustitia, & iur. & ex cap. Deus, §. quando autem, vbi gloss.*

Acta legitimi iudicii faciūt fidem.

Et in huiusmodi legitimo iudicio acta perpetuam fidem faciunt: *c. testimonium, 54. de testib. l. gesta, 6. C. de re iudic. Hostien. in summa tit. de cohab. cleric. & mulier. Panor. consil. 44. Innocent. in c. ex insinuatione, de appellat.*

Testis quando nō tenetur respondere.

Et ratio est: quia extraiudicialiter interrogati, vel iuris ordine non seruato, aut à Iudice non suo, non tenentur respondere, & respōdendo possunt vti verbis & dictionibus ambiguis ad fallendos eos, qui interrogant. *D. Tho. 2.2. q. 69. art. 2. Caiet. q. 89. art. 7. Conar. lib. 1. variar. resolut. c. 2. nu. 2. Tolet. in sum. lib. 5. cap. 58.*

Et propterea probabiliter dubitari potest de eorum responsione, & depositione, an veræ sint nec ne; & consequutiue notorium inde oriri non potest, vel saltem non præsumitur ita oriri, vt ex eorum depositione, & responsione possit quis canonicè cōdemnari, hoc est, per iustam & irreuocabilem definitionē, in vero, hoc est, legitimo iudicio factam, vt requirit vltima pars prædictæ descriptionis, seu definitionis iuris probati, secundum *Hostien. in summa, tit. de cohab. cleric. & mul. Panor. in c. vestra, eod. tit.*

Huiusmodi enim sententia & definitio pro veritate habetur *l. 1. ff. de re iudicata, l. ingenuum, 25. & l. vltima, ff. de statu hominum, l. res iudicata, 208. ff. de reg. iur.*

Et ratio est, quia per sententiam nihil de nouo inducitur, sed sola veritas latens declaratur. *l. & ex diuerso, 26. §. 1. ff. de rei vendicat. Hostien. loc. cit. num. 5.*

Nostram definitionē aliqui oppugnant allegando graue absurdum, si concedatur, ex confessione, & condemnatione in iure factis oriri notoriū; sæpe enim dicetur notorium, quod non solum non fuit factum, verum etiam neque somniatum; vt si quis ob timorem tormentorum confiteatur falso se crimen, de quo agitur, commisisse; vel si quis condemnetur de crimine, quod nunquam commisit: ergo male ponitur in dicta definitione, notorium iuris esse ex confessione, & condemnatione: & propterea requiritur euidentia facti, quæ se ingerat hominibus loci, vbi committitur; non tamen negatur, quod in similibus Ecclesia procedat, ac si essent notoria.

Respōdetur quod, licet quis falsum confiteatur, vel inique condemnetur, attamen per illam confessionem, & sententiam factum habetur de iure pro vero, & notorio; donec contrarium ostendatur: nam semper confessioni stabitur, nisi error probetur, *cap. fin. de temporib. ordinand. cap. final. de confessis, l. vnica. C. de confessis. Specul. de notor. crimin. §. notorium.* Ac etiam sententiæ semper statur, donec eius iniquitas detegatur. *c. sicut, 16. de re iudicata, c. in præsentia, 6. de renunt.* atque ita appellatur notorium iuris, & non facti. *Specul. loc. cit.*

Confessioni propria, & sententia statur, donec appareant error, & iniquitas.

De Notorio Iuris præsumpto.

AD istius notorietatis cognitionem deuenire nō possumus, nisi prius sciamus quid sit præsumptio, & quotuplex sit: quod vt facilius assequi possimus, huiusmodi materiam diuersimode, ac diffuse à Doctoribus tractatam, breuiter, & quantum ad nostrum propositum facit, in subsequenti articulo attingemus.

Quid, & quotuplex sit Præsumptio.

PRæsumptio secundùm *Goffredus in sua summa, titul. de præsumpt.* est *alicuius facti dubij plena, vel semiplena probatio.* Sed hæc descriptio mihi non placet, & non modicam pati difficultatem videtur: nam, si est plena probatio, facit rem apparere euidentem, & non præsumptam. *cap. cum olim, 34. vbi Panor. de verb. signif.* & propterea nō est ampliùs præsumptio, vt ex infra dicendis apparebit: melius igitur describetur, si dicamus:

Præsumptio est *alicuius facti dubij, vel occulti inuestigatio, ex diuersis personarum, locorum, temporum, vel aliorum accidentium qualitatibus procedens, deficientibus certis probationibus.* Ita *Hostien. in sum. tit. de præsumpt.*

Dicitur, *facti dubij, vel occulti*, quia, si factum est clarum, & euidens, non indiget inuestigatione. *c. super eo, 3. de testibus cogendis.*

Dicitur, *ex diuersis personarum, &c.* Quia scholaris, v. g. impetrans beneficium Ecclesiasticum cum clausula, si idoneus fuerit, non tenetur probare se esse idoneum, cum ex eo, quod est scholaris, præsumatur esse idoneus. *c. dudum, 16. de præsumpt. vbi Panorm.* Creditor, vel debitor pupilli reijcitur ab illius tutela. *authent. vt ij, qui obligat habere perhibent res minoris:* & ratio est, quia probabiliter timetur

Scholaris præsumitur idoneus ad beneficia.

metur ne ipsi obcæcati proprio commodo, & interesse sint sibi vsurpaturi bona pupilli, sub colore, & prætextu sui crediti; quod tamen non præsumitur in pupilli matre, & auia, in quibus amor, & affectio in filium, & nepotem præualere solent, & propterea ab illorum tutela non repelluntur. *l. inusitatam, 19. C. de excusat. tutorum.*

In matre, & auia præsumitur præualens amor in filium.

Dicitur *locorum, &c.* Viri & mulieris cohabitatio in lecto & mensa inducit presumptionem, quod inter eos intercedat matrimonium; hæc enim sunt propria coniugum. *c. illud 11. vbi Panorm. num. 5. de præsumpt.* Et, si maritus tenet vxorem extra lectum suum, & mensam, non tractat eam vt vxorem; propterea ex istis locis regulariter colligitur, an inter virum, & mulierẽ existat matrimonium. Monasterium Monialium est locus suspectus Clericis, & si illud absque manifesta, & rationabili causa frequentẽt, præsumitur malus finis, & propterea puniri debent per suum Ordinarium. *c. Monasteria sanctimonialiũ, 8. de vita, & honestate Clericorũ.* Clericus Beneficiatus, si non residet in sua Ecclesia, & citatus à suo Ordinario ad illam non redit, præsumitur illam habere pro derelicta, & propterea Ordinarius illam poterit alteri Clerico concedere. *c. præsentium, 7. q. 1.* nam Clericus beneficiatus non debet in alio loco stare, quam in Ecclesia, cuius est beneficiatus.

Clericus non residens quãdo possit priuari beneficio

Dicitur *temporum, &c.* Nam actor ante litis contestationem producens testes, nisi postea intra annum conuenerit aduersarium, vel ipsum de attestationibus receptis certiorauerit, præsumitur in fraudem hoc fecisse: & ideo elapso anno non probant testimonia sic recepta. *c. quoniam frequẽter, 5. §. sed si actor, vt lite non contestata Hostien. in sum. tit. de præsumpt. n. 3.* Item mulier, quæ per annum cum dimidio cohabitauit sponte cum viro, non est audienda super eo, quod ab initio dicto viro inuita, & per vim in matrimoniũ collocata fuerit: quia per patientiam sequentis temporis præsumitur nouum consensũ accessisse, & primã illam causam remotam fuisse. *cap. ad id quod, 21. de sponsal. vbi glossa, c. de illis, 9. de desponsat. impub. cap. significauit, 2. de eo qui duxit in matrim. quam polluit per adult. c. insuper, 3. qui matrim. accus. poss. c. illud quoque 11. vbi Panorm. de præsumpt. l. minorem, 4. ff. de ritu nuptiarum.* Item qui in adolescentia religiosè vixit, etiam in senectute præsumitur religiose viuere. *cap. ex studijs, 3. de præsumpt.*

Testes ante litis cõtestationem recepti quando probent.

Spontanea cohabitatio mulieris excludit præcedentem vim.

ſumpt. c. cum in iuuentute, 15. *de præſumpt.*

Dicitur, *& aliorum accidentium,&c.* Qui dilationibus iudicum ſubterfugere quærit, præſumitur eſſe nocens, & è contra. *cap. nullus, dubit.* 4. *de præſumpt.* Ex vicinitate loci, vicinus præſumitur facta vicini ſcire, *cap. quoſdam*, 7. *de præſumpt.* Et factum, quod eſt notum in loco remoto, præſumitur notum etiam in vicino. *c. quanto*, 8. *de præſumpt.* Nimis familiariter & in occultis locis cum aliqua muliere conuerſari, inducit præsũptionem quòd intercedat inter ipſos copula. *c. litteris tuæ*, 12. *cum ſequent. de præſumpt.*

Vicinus præſumitur ſcire facta vicini.

Præſumptio quid ſit.

Ex prædictis exẽplis apertè colligitur, præſumptionem eſſe alicuius facti dubij, vel occulti inueſtigationem ex diuerſis perſonarum, locorum, temporum, vel aliorum accidentiũ qualitatibus procedẽs.

Vltima prefatæ deſcriptionis particula videlicet, *deficiẽtibus certis probationibus*, non videtur habere difficultatem: nam vbi ſunt certæ probationes, fruſtra recurrẽdum eſt ad præſumptas.

Quia verò præſumptio non eſt aliud, quam quædam ſuſpicio, quæ cauſatur in animo Iudicis, vel cuiuſcumque alterius perſonæ ex varijs coniecturis, vel argumentis, ſeu indicijs, vt ſupra dictum eſt, & ſecundum quod illa vrgent, ſic cauſatur, firmatur, & augmentatur huiuſmodi ſuſpicio. *Panor. in d. cap. quanto, de præſumpt.*

Propterea ſolent à Doctoribus fere infinitæ aſſignari prçſumptionum ſpecies, ſicut infinitæ poſſunt eſſe coniecturæ, ex quibus illæ inſurgunt. *Panorm. loc. cit.* Sed ſi bene illæ perpendantur, ad tres ſolummodo ſpecies reducũtur, videlicet temerariam, probabilem, & violentam. *Panorm. in d. c. quanto, de præſumpt. Hoſtien. & Goffred. in ſum. eod. tit. gloſ. in c. primo ſemper in verb. ſuſpicionis*, 2. *q.* 1. *& in c. ſi quis de gradu*, 4. *in verb. veriſimilibus, de purgat. canon. & in c. Dixit Dominus, in verbo, ſuſpicio*, 32. *q.* 1.

Tres ſunt præſumptionum ſpecies.

Et omnes aliæ ſpecies, quæ aſſignantur, ſunt nomina, & vocabula magiſtralia potius, quàm iuris, *Panorm. in d. cap. quanto, prope finem*. Quia verò diſputatio de vocabulis relinquenda eſt pertinacibus, *gloſ. ſuper rubrica Infortiati*; idcircò de his tribus ſolummodo præsũptionum ſpeciebus, ad quas omnes aliæ, vt ad ſuos fontes reducuntur, verba faciemus. Tres igitur ſunt prçſumptionum ſpecies, temeraria, probabilis, & violenta.

Te-

Temeraria quæ sit. *Temeraria* præsumptio est illa, quæ temere causatur, vel nullo, aut leui fulcitur fundamento; & propterea reprobatur. *c. primo semper, vbi glos. in verb. suspicionis, 2. q. 1. c. oues vbi glos. 6. q. 1. c. in cunctis, c. temerariū, 11. q. 3. c. inquisitioni tuæ, 44. de sent. excom. Panor. in d. cap. quanto, de præsumpt. Hostien. & Goffred. eod. tit. in summ.* Verbi gratia, non licet præsumere aliquam mulierem esse coniugatam, ex eo, quod deferat annulum; nam mulieres solutæ, ac etiam virgines solent deferre annulum. *c. illud quoque, 11. vbi Panorm. in principio, de præsumpt.* Nec valet inferre ex eo, quod vidi Clericum aliquem cum muliere coniugata loquentem: ergo dictus Clericus cum illa adulteratur; & si infertur talis conclusio, & illatio, est temeraria, & mala. *Panor. in d. cap. quanto, num. 3.*

Probabilis habet fundamētum rationabile. *Probabilis* est, quæ habet fundamentum, & non quodlibet fundamentum, sed fundamentum rationabile, & dicitur probabilis, quasi proba, seu recta, id est iuste causata, & nō temere, quia reddit factum verisimile, non tamen ita violenter, vt sufficiat ad sententiam. *Panorm. in d. c. quanto, n. 3. prope finem, de præsumpt. & Doctores communiter.*

Hæc autem solum admittitur ad semiplenam probationem. *d. c. inquisitioni, de sentent. excommunic. vbi glossa in ver. probabili, c. solicitè, 2. vbi gloss. in verb. verisimile, de restitut. spoliat.* *Facit semiplenam probationem.* V. g. Sacerdos fuit per vim spoliatus beneficio; si postea ad fauorem suorum aduersariorum contingat vt renunciet iuri, quod in illo habebat, rationabiliter præsumitur, non sponte, sed coacte dicto suo iuri renunciasse: nam renunciat iuri, quo fuit spoliatus, nec illud recuperare valet, & si illud actu possideret, verisimiliter non cessisset suis aduersarijs. *d. cap. solicitè, vbi glossa.* Si quis etiam cohabitat cū meis inimicis, rationabiliter præsumitur esse meus inimicus, & repellitur à ferendo testimonium contra me, quia affectio in amicum solet causare, vt amemus quod amicus amat, & odio habeamus, quod ille odit, *c. repellantur, 7. vbi glossa in verbo, cohabitantes, de accusationibus, cap. quatuor, 11. q. 3.* Si mulier vidit suum maritum in locis & horis suspectis, cum consanguinea sua, & solum cum sola, dicitur quod mulier probabiliter præsumere potest inter eos fuisse copulam, & tenetur à debiti coniugalis petitione abstinere. *d. c. inquisitioni, vbi glos. in verb. probabili, de sentent. excommunic.* Quia solitu-

do loci, hora non opportuna, & disparitas sexus, inducunt ad credendum probabiliter, intercessisse talem copulam, *cap. litteris*, 12. *& cap. tertio loco* 13. *vbi Panor. de præsumpt.*

Infamato de crimine imponenda est purgatio.

Et propterea accusatis, & infamatis de his, & similibus excessibus, meritò imponendum est, vt se a prætensis criminibus expurgent, *cap. si quis de gradu*, 4. *de purgat. canon. cap. Presbyter*. 2. *quæst*. 5.

Violenta præsumptio.

Violenta demum præsumptio est, quę ex efficacioribus, vrgentissimis & quasi inexcusabilibus coniecturis, & circumstantijs vero proximioribus causatur, ita vt cōtrarium esse non potuisse videatur, nec ipse reus delictum diffiteri audeat; & propterea sufficit talis præsumptio ad ferendam sententiam, *d. cap. Dixit Dominus* 32. *quæst*. 1. *vbi glossa, d. c. litteris, de præsump. c. si testes*, 4. *q*. 3. *cap. praterea*, 27. *de testib. l*. 3. *ff. de testibus, l. filium*, 6. *ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris. Panor. in cap*. 2. *num*. 5. *de præsump. Goffred. et Hostien. loc. cit. glossa in d. cap. si quis de gradu, in ver. verisimilibus, & in cap*. 1. *in ver. suspicionis*, 2. *quæst*. 1.

Appellatur violenta ex eo quod violenter trahat Iudicem ad credendum, & tantum vrgeat, vt faciat vehementer suspicari contra reum. *d. cap. litteris, de præsumpt. vbi Panor. & DD.*

Si v. g. Mulier coniugata fuit visa in loco secreto cum consanguineo sui Viri, sola cum solo, nuda cum nudo, in eodem lecto iacere; quis non pro certo habebit, carnalem copulam inter eos intercessisse, licet insimul commiscentes non viderit? nam tales actus sunt propinqui ipsi copulæ, & vltimò ad illam disponunt, & propterea violenter impellunt ad credendam consequutionem ipsius. *Panor. loc. cit. & in c. quoties*, 5. *num*. 6. *de testibus*. Vel.

Si de camera habente vnum aditum, & egressum, exeat homo pallidus & trepidans cū gladio sanguinolento, & ibi inueniatur homo mortuus; cuius animus non trahatur violenter, & vrgeatur ad credendum, quòd dictus homo commiserit illud homicidium? palliditas enim & trepidatio, est potens indicium, *l. de minore* 10. *§. penul. ff. de quæstion.* Delatio gladij similiter vrget, quia lex præsumit ad malum, *C. vt arm. vsus inscio Principe interd. sit. l. vnica lib*. 11. *et in auth. de armis coll*. 6. Item ex sanguinolentia gladij, violenta eligitur coniectura. *l. vtrum* 48. *ff. de donat. inter virum, & vxor. Panor. d. c*. 3. *loco, num*. 8. *de probat.*

Palliditas, et trepidatio indicant præcedens delict.

Pone

Pone aliud exemplum: Titius est minatus mortem Sempronio, & Titius solet minas exequutioni demandare: reperitur mortuus Sempronius; bene de homicidio huiusmodi Titius condemnatur, nisi contrarium probetur. *Specul. in tit. de præsumpt.* §. 2. *vers. sed pone quod minatur:* nam minatio, & consuetudo minas exequendi, multum vrgent.

Violenta præsumptio est duplex.

Hæc violēta præsumptio est duplex: alia enim est iuris; alia verò iuris, & de iure. *Glossa in cap. requisisti* 15. *in ver. præsumitur, de testam. Goffredus, & Hostiens. loc. cit.*

Præsumptio *Iuris* est, cum aliquid ius præsumit, sed non statuit super præsumpto: v. g. quidquid Vxor post matrimonium contractum acquirit, Ius præsumit, quod illud acquisiuerit de bonis Mariti. *l. Quintus Mutius*, 52. *ff. de don. inter vir. et vxor.* nisi contrarium probetur.

Cancellatio chirographi indicat liberationem debitoris.

Item præsumitur quòd creditor liberauerit suum debitorem a debito, cùm chirographum cancellauerit, *l. si chirographum* 24. *ff. de probat.* vel cum ei reddiderit cautionem, *l. 2. ff. de pactis*.

Hęc pręsūptio est iusta, a Iure inducta, sed dubitatiua ex honestate, vel æquitate, vel fama, aut natura, seu qualitate facti procedens. *Hostien. loco cit.*

Nam cancellatio chirographi, per quem debitor fatebatur debitum, & creditor poterat suum probando creditum cogere debitorem ad sibi satisfaciendum, iustam & rationabilem causam inducit præsumendi debitorem fuisse per suum creditorem liberatum a debito: non enim creditor præsumitur sua iura neglexisse simpliciter. *l. cum de indebito*, 25. *ff. de probat.* & si non habuisset intentionem liberandi debitorem a debito, non cancellauisset chirographum, vel reddidisset cautionem, se priuando adeo potenti medio cogendi debitorem ad satisfactionem. Non tamē tollit hæc præsumptio probationem in contrarium: quia forsan creditor ex cancellatione chirographi priuati receperit publicum, vel quòd casu fuerit dictum chirographum cancellatum loco alterius chirographi, & cautio ex inaduertentia loco alterius scripturæ restituta. Si pater exhæredauerit filium, præsumitur quod iniuste fecerit, & quodam furore testatus sit. *l. 1. & 2. ff. de inoff. test.* quia non permittit natura præsumere, quod filius patrem offendat, & e contra. *l. omnimodo* 30. *C. de inoff. testamento*. Non tamen hæc præsumptio impedit, quin probentur, & allegentur legitimæ

Nemo præsumitur sua iura negligere.

timæ

timæ causæ talis exhæredationis, §. 1. *Instit. de inoff. testamento*.

Item si quis diffametur, v.g. de aliquo homicidio, & non appareant alia indicia, Ius permittit vt præsumatur iuste illum esse dicti homicidij reum; non tamen auferet ei probationes in contrarium ad se expurgandum. *cap. cum in iuuentute*, 15. *de purgat. canon.*

Item si quis natus est de Christianis, & inter Christianos conuersatur, præsumitur baptizatus. *c. finali, de presbytero non baptizato in fine*; nisi constet contrarium.

Ratio est, quia ex æquitate, & benignitate iuris fit, vt de omnibus dubijs benigna interpretatio fieri debeat. *cap. estote*, 2. *de regul. iuris*.

Præsumptio iuris, & de iure.

Præsumptio verò Iuris, & de Iure est, quando Ius super aliquo dubio æquitate pensata æstimat, quod verius sit, & ex tali æstimatione iuste, & tute constituit ius, id est, determinat in quam partem accipi debeat, quod aliàs est dubium. *Hostien. in sum. tit. de præsumpt. n.* 3. *prope finem*. v.g. Vir cognoscit carnaliter sponsam de futuro, ius antiquum, & per Concilium Tridentinum antiquatum, præsumit & statuit, illum per talem actum voluisse matrimonium contrahere per verba de præsenti, & propterea non admittetur probatio in contrarium. *cap. commissum*, 16. *et cap. is qui*, 30. *de sponsal. c. per tuas*, 6. *de condit. apposit. c. insuper*, 4. *qui matrim. accus. poss.* Maritus si percutit Clericum in flagranti crimine repertum cum Vxore, ius præsumit illum non posse compescere tam iustum dolorem. *l. Graccus*, 4. *C. ad leg. Iuliam, de adult.* & propterea statuit ob talem percussionem illum non incurrere in excõmunicationem. *c.* 3. *de sent. excom. vbi glossa*. Immo in tali casu, si hominem occidit, eum non punit. *l. quod ait lex*. 33. §. *quod ait*, *ff. ad l. Iuliam, de adult.* Nouitius alicuius Religionis si sumat sponte habitum professorum, alijsque se ingerat actibus eorum, ius præsumit & statuit, quod voluerit, immo professionem implicitè emiserit, & sit verè professus, licet explicitè professionem non emiserit, & propterea à Religione amplius discedere nequeat. *cap. vidua*, 4. *de Regular. &c.* Vide alia exempla *in c. fraternitatem*, *dist.* 54. *c. filij* 3. *de hæret. in* 6.

Contra hanc autem præsumptionem non admittitur probatio in contrarium. *d. cap. filij*, 3. *de hæreticis in* 6. *Innocentius in cap. quia verisimile* 10. *de præsumpt. Specul.*

in

in eodem tit. §. 2. vbi istã præsumptionem appellat necessariam, *ex Auth. sed iam necesse, C. de donat. ante nup. vbi Doctores.* Ratio est, quia hæc præsumptio est iusta & certa ex vi constitutionis iuris, & procedit à ratione, seu honestate naturæ, seu publicę Iustitiæ.

Notandũ primo est ex prædictis, omnes & singulas alias pręsumptionum diuisiones tã à *Panor. in d. c. quanto, de præsump.* relatas, quàm ab alijs Doctoribus alibi allatas, reduci ad supradictas species à me expositas, & declaratas, & solum differre in mero nomine; prout vnusquisque ex se colliget, si prædicta bene ac diligenter perpendet.

Signũ æquiuocum nibil probat.

Notandum secundo est. signum æquiuocum ad plura nec probare, nec præcise præsumptionem facere pro altero tantum. *c. illud quoque*, 11. *vbi Panor. in princip. de præsumpt. c. in præsentia*, 8. §. *quare, de probationib.* E contra, signum ad aliquid certum restrictum, & limitatum probat, vel saltem magnam præsumptionẽ facit pro signato. *cap. dilecto*, 25. *de præbend. Panor. loc. supradict. cit. & alij.*

Notandum tertio est, quãto crimen, vel negotium est grauius tanto vehementiores debent esse contra illud, vel pro illo præsumptiones. *cap. litteras*, 14. §. *fin. vbi Panorm. n. 3. de præsumpt.* Ratio est, quia vbi maius est periculum, ibi cautius est agendum. *c. vbi periculum*, 3. *de elect. in 6. Imola cons.* 147. *n.* 13. *Menoch. cõs.* 73. *n.* 19. *& cons.* 149. *n.* 4.

Quid sit, & quotuplex sit Notorium præsumptum.

EX prædictis facile colligitur, nõ quamlibet præsumptionem inducere notorietatem, sed eam solum, quæ violenter, vehemẽter, & quasi necessario trahat ad aliquid credendum. *Auth. sed iam necesse, C. de donat. ante nupt. & ibi Doctores.*

Huiusmodi autem notoriũ præsumptum describi ita potest, quod sit iuris euidentia vehementer de aliquo pręsumpta. *Panorm. in d. c. vestra, n.* 14. *de cohab. cleric. & mul. Hostien. & Goffred. in suis sũmis eod. tit. Specul. de notorijs crimininibus*, §. *notorium.*

Hæc descriptio in se est clara, & non indiget maiori explicatione: nam notorium oritur ex actibus extraiudicialibus, in quibus ius ex coniecturis vehementer aliquid præsumit, sicut paternitas & filiatio. *c. per tuas*, 10. *de probationibus. c. transmissæ*, 3. *qui filij sunt legit. l. Lucius*, 82. *ff. de cond. & demonst. l. quia semper*

per, 5. ff. de in ius vocãdo. Panor. Hostien. & Goffr. loc. supr. cit. Ant. de Butrio in tract. de notorio art. 2. nu. 16. Mascard. de probat. concl. 1107. nu. 32.

Exemplificã: v. g. maritus & vxor habent domi puerũ, qui vere nescitur an sit eorũ filius: si illum vt filium nutriãt & filium vocent, ius pręsumit illum esse eorum filium. *d. c. per tuas, de probat. & c. transmissæ, qui filij sint legitimi.* Franciscus fuit accusatus, vel infamatus de aliquo crimine: si dum quærit se iustificare, deficiat in purgatione, ius pręsumit illum verè esse reum. *d. c. tua. §. final. de cohab. cler. & mulier. c. insinuatum. 13. §. 1. de simonia.*

Notoriũ iuris præsumptum est duplex. Huiusmodi autem notoriũ iuris præsumptũ est duplex: aliud est notorium iuris præsumptum in iure, aliud in populo.

Notoriũ præsumptũ iuris in iure. Notorium præsumptum iuris in iure, est euidentia illa de aliquo vehementer à iure præsumpta; sed remanet tantum ista euidentia in ipso iure, quia illa nescitur à populo, vel eam populus non aduertit.

Notoriũ præsumptum iuris in populo. Notorium verò iuris præsumptum in populo, est ea euidentia iuris vehementer præsumpta de aliqua re; quã euidentiam populus scit, vel animaduertit à iure fuisse præsumptam. Pone exemplũ in filiatione supra allegata: nam ius euidenter pręsumit, quod puer tanto amore à marito & vxore nutritus, sit verè illorum filius: si autem populus hanc euidentem præsumptionem ignoret, notorietas & euidentia remanet solum in iure, atque ita erit hoc dumtaxat notorium iuris pręsumptum in iure. Si verò sciat populus talem puerum, tali & tali modo tractatũ, & nutritũ à marito, & coniuge ex iuris pręsumptione, & interpretatione haberi indubitabiliter pro eorum filio; tali casu erit hoc notorium iuris præsumptum in populo, ob notitiam, quam de mente & determinatione iuris habet populus.

Similiter, tam in iure Canonico, quàm Ciuili, omne bonum factum, recta, & bona intentione præsumitur actum, & è contra. *c. 1. de præsump. vbi Panor. & Innocen. c. si omnia, 6. q. 1. c. 2. de regul. iur. l. 1. C. de sicar. l. item si obstetrix. 9. §. fin. l. item ludus, 10. & l. item Mela 11. ff. ad leg. Aquil.* Forsan hoc nescitur à populo, & propterea erit solũmodo notorium iuris præsumptum in iure: si verò sciatur à populo, erit notorium iuris pręsumptum in populo. *Bona intentio præsumitur in facto bono & è contra.*

Quid

Quid sit Notorium facti.

NOtorium facti est illud, quod ita se exhibet & offert oculis omnium, id est, quod eam portat secum corporalem, & realem euidentiã, vt negari non possit probabiliter. *dd. c. vestra, & c. tua, de cohab. cler. & mul. glos. in cap. manifesta,* 2. *q.* 1. v. g. si Titius in publica platea plena populo aleis ludat, vel seipsum proprio pugione vulneret in facie, tale factum est notoriũ, ex eo, quod fuit factũ in pręsentia populi, qui illud vidit & animaduertit, ac propterea negari non potest.

Aliqui describunt huiusmodi notorium & dicũt quod sit crimen, vel factum, cuius testis est populus & in quo dissimulationi locus non est. *Archid. in c. de manifesta,* 2. *q.* 1. *Panorm. in d. c. vestra, nu.* 14. & est bonus textus, *in c cum dilectis,* 15. *de purgat. canon.*

Toletus *in sua summa, lib.* 1. *c.* 74. definit huiusmodi notorium, quòd sit clara, & indubitata locutio, ex euidentia rei surgens, quæ tergiuersatione aliqua celari nõ potest; & fundatur in *d. c. tua nos, de cohab. cler. & mul. & c. euidentia,* 9. *de accusat.*

Hæc autem definitio non videtur bona, quia potest aliquod crimen esse notum populo; & tamen populus de illo non loquatur. Pone casum vir potens spectante multitudine hominum occidit suũ inimicum, & minitatur spectatoribus etiam mortem, si de huiusmodi homicidio verba faciant; illi autem sibi timentes silcant: definet ne huiusmodi homicidium esse notorium, ex eo quod populus de eo non loquatur? non quidẽ: nam essentia notorij, est sciẽtia populi, non autem loquutio. *c. de manifesta,* 22. *q.* 1. *vbi glos. Panorm. Calder. in cit. cap. vestra. Tolet. in sua summa loc. cit. Bald. & Ias. in l. si verò* 5. *§. qui pro rei qualitate. ff. qui satisdare cogantur.*

Ab alijs tertio describitur Notoriũ facti, quod sit publica & famosa insinuatio, seu proclamatio Communis ex euidentia rei proueniens, quæ nulla tergiuersatione celari possit. *l. qui sententiam,* 16. *C. de pœnis. d. l. si vero, §. qui pro rei qualitate, ff. qui satisdare cog. l. si vicini.* 10. *C. de nuptijs. Hostiens. in sum. tit. de cohabit. cleric. & mulier.*

Hæc descriptio parum, aut nihil à præcedenti descriptione differt: & propterea vltra rationem supra allatam, dicemus per eam describi effectum, qui consequitur ex ipsa notorietate, non autẽ ipsum

No-

Notorium: ideò enim populus proclamat de aliquo crimine, quia est sibi notum, aliàs non proclamaret, si de illo non haberet notitiam. Præterea hæc descriptio, si eius verba perpendantur, multùm reperietur manca, & vitiosa: nam per huiusmodi verba potius describitur Famosũ, vt ex infra dicendis colligetur, quam notorium facti, quod excludit omnem famam per euidentiã ipsius facti.

Alij dicunt quod notorium sit finita, & communiter indubitata probatio, immediate ex natura facti, vel rei continuæ, vel interpolatæ, aut momentaneæ se oculis hominum aut maioris partis exhibens, vt nulla possit tergiuersatione celari, vel negari, vtpote, cuius testis est populus, vel maior pars populi. Ita *Ioseph. Mascard. de probat. conclus.* 1106. *Anton. autem de Butrio in dict. cap. vestra de cohab. cler. & mul.* asserit se huiusmodi definitionem sum psisse ex Pontificijs constit. videl. ex *d. c. cũ dilectis, de purgat. can, c. fin. de cob. cler. & mul. cap. de manifesta, 2. quæst.* 1. *& ex doctrina Archidiac. in cap. Romana 3. in vers. notorio, de appellat. in 6.* vbi notorium dicitur illud esse, cuius populus est testis, vel maior pars illius, & in *c. 1. de offic. deleg. in 6.* *Bart. in l. scriptis, 4. ff. de Religiosis, & sumptib. funerum, num. 2.*

Demum ab alijs describitur notorium facti, quòd sit illud crimen, in quo fama publica suum præbet adminiculum, & ipsa rei euidentia protestatur, ita se exhibens omnium hominum, vel maioris partis alicuius loci viciniæ conspectui, vt nulla possit tergiuersatione celari, *dd. cap. vestra, & c. tua, de cohab. cler. & mul. ita Specul. in tractat. de notorijs crimin. §. notorium, num.* 3. & *in num.* 4. dicit notorium facti esse, quod commissum, vel factum non dubitatur à populo, vel eius maiori parte.

In claris non requiritur adminiculum.

Prima pars dictæ descriptionis non facit ad nostrum propositum: nam frustra requiritur adminiculum famæ, quando adest euidenria facti; adminicula enim admittuntur quando controuertitur super aliquo facto, de cuius veritate non constat. *c. cum causam 13. de probat. d. c. per tuas, de simonia. cap. fin. §. 2. de success. ab intest. cap. litteris,* 12. *de præsumpt.* & illa nos adiuuant ad elucidandam veritatem aliàs occultam. *l. sancimus,* 17. *C. de testamen. l. nec non 28. §. si quis, ff. ex quibus caus. maior 25. ann. in integr. restit.*

Pro-

Propterea concludamus cũ *Archidiacono in d.c. de manifesta supra cit. & Panor. in c. tua nos supra cit.* Notorium facti esse *crimen, vel factum, cuius testis est populus, & in quo dissimulationi locus non est.*

Definitio notorii.

Pro opportuna huius definitionis intelligentia notandũ primò est, quod ad notorium huiusmodi inducendum tria requiruntur, scientia hominum, id est multitudinis; & loci, & temporis qualitates: nam oportet quod non fiat de nocte, quo tempore homines non possunt bene videre, cum lumen desit. *c. perniciosum, 18. q. 2. c. consuluit, 24. de officio deleg. c. consideret de pœnit. distinct. 5. in princip.* Nec fiat in locis secretis, vel paucis hominibus spectãtibus; sed necesse est vt fiat de die, id est sub luce, ad hoc vt spectatores nõ hallucinentur; in loco publico, & patente: quæ enim in occulto fiunt, occulta sunt. *argum. Instit. de iniurijs. S. atrox. c. aut facta, 19. de pœnit. dist. 1.* Et in præsentia multorum: *ita Panorm. & Calderin. in d. c. vestra de cohab. cler. & mul. Bald. in l. ciues, 11. ad finem. C. de appellationibus.*

Ad notorium inducendum tria requiruntur.

Notandum secundò, ad inducendum notorium facti nõ requiri quamlibet notitiam, id est testimonium de auditu, famam, & communem reputationem; sed requiritur certa scientia, quia notorium facti habet originem, immo totum suum esse, à certa scientia. *Mascard. de probat. concl. 1106 n. 19. cum sequent. & DD. communiter.*

Notorium facti à certa scientia oritur.

Contra hoc secundum notabile objicitur: Talis scientia requiritur in factis recẽtibus, & in loco proximiori explicatis; secus verò in factis valdè antiquis, & in longinquo loco commissis. *Ita Butrius in c. 1. de fide instrumentorum. Aret. cons. 37. sequendo ordinẽ, col. 2. Bald. cons. 204. n. 6. vol. 4. quos refert Decius in c. 1. de appellationibus. idem sentit Bart. in d. l. scriptus, ff. de Relig. & sumptibus funer. n. 2. Mascard. de probat. concl. 1106. n. 22. cum sequent.*

Pone exemplum: Heri, vel hodie in Campo Boario fuit à Petro occisus Franciscus: ad hoc vt huiusmodi homicidiũ dicatur, & verè sit notorium hic Romæ, necesse est vt illud fuerit factum coram populo vidente, & animaduertente: & quidem requiritur talis certa notitia, & scientia ob recentiam facti, & vicinitatem loci, in quo fuit commissum. In homicidio verò Neronis secus est, & non requiritur talis notitia, & scientia, sed creditur indubitabiliter Historiographis, qui dicunt illum fuisse occisum

occiſum, & tamen notorium eſt, fuiſſe Neronem occiſum: taliſque notorietas fundatur ſolummodo in illorum dictis, & traditionibus. Ergo non bene, & generaliter aſſeritur, & affirmatur, de eſſentia notorij eſſe ſcientiam de viſu.

Reſpondeo, præfatorum Doctorum allegatas rationes, & authoritates non facere contra nos: ipſi enim loquuntur de Notorio lato modo, & in genere, prout habet ſub ſe diuerſas ſpecies; nec in omnibus his ſpeciebus requiritur talis ſcientia populi de viſu, vt infra dicemus de Manifeſto, & Famoſo, & diximus de Notorio præſumpto. Nos autem loquimur de Notorio ſtricto modo, & proprie ſumpto.

Secundo Reſpondere poſſumus, iſtos Doctores loqui de effectu, non autem de eſſentia Notorij; videlicet, in aliquibus caſibus a lege conceſſis procedi prout in Notorijs quoad ſententiam, & pœnam inferendam, vt diximus in Notorio iuris, & in Notorio præſumpto, & dicemus infra de Manifeſto, & Famoſo.

In Notoriis ſemper eſt certa ſcientia, ſed nõ eodem modo in omnibus.

Tertio Reſpondetur, bene fuiſſe ſupra determinatum, ad Notorium inducendum, & in omni ſpecie illius requiri certam ſcientiam, licet non eodem modo; etenim in Notorio iuris, vel eſt certa ſcientia ex ore confitentis, vel ex teſtibus de viſu, vt ſupra diximus: in Notorio præſumpto, præſumitur certa ſcientia ex coniecturis, & inditijs. In Manifeſto verò eſt ſcientia plurium, in Famoſo ſcientia vnius. vide *gloſſam in cap. de manifeſta, 2. q. 1.* Ergo bene dicimus, ad Notorium inducendum non ſufficere quamlibet notitiam, ſed certam ſcientiam requiri.

Ad exemplum homicidij Neronis reſpondeo, illud dici lato modo notorium, cum ſit potius manifeſtum, vel famoſum: nos verò loquimur de Notorio ſtrictè ac proprie sũpto, prout dicit ſcientiam populi, vel eius maioris partis, quæ tamen ſcientia nulla tergiuerſatione celari poſſit.

Ad Notoriũ quo hominũ ſcientia requiratur.

Hinc inſurgit difficultas: Quot hominum ſcientia requiratur, ad inducendum Notorium facti. Et in hoc inuenio Doctores multum variare, et inter ſe diſcrepare. Bartolus enim *in d. l. ſcriptus, num. 2. ff. de Relig. & ſumpt. funerum*, dicit requiri ſcientiam viginti perſonarum: Textus verò *in l. Prætor. 2. §. 4. ff. vi bon. rapt.* requirit decem, vel quindecim perſonas, quia tot populum conſtituunt. *gloſſa in c. 1. de elect. Menochius de arb. Iud. lib. 2. centuria 2.*

Quindecim perſonæ conſtituunt populum.

Bald.

Bald. *in l. si verò*, 5. §. *qui pro rei qualitate*, *& ibi Iason*, *ff. qui satisdare cogantur*, *Felinus in cap. cum oporteat*, *de accusat. glossa cum textu in c. de manifesta*, 2. *q.* 1. dicunt ad notorium faciendum requiri scientiam decem personarum, quia tot faciunt Parochiam. *cap. vnico*, 10. *q.* 3. & testimonium vnius Parochiæ facit crimen notorium esse. *cap. cum dilectus*, 11. *de purg. canon.*

Decem personæ constituūt Parochiam.

Ista opinio intelligenda est, quòd ad faciendum notorium ad minus requirantur decem personæ. *Ita Panor. in c. vestra de cob. cler. et mul.*

Tres personæ faciunt Collegium.

Alij dixerunt tres sufficere ad notorium constituendum, quia tot faciunt Collegium. *l. Neratius*, 85. *ff. de verborum signif.* & in ore duorum, vel trium stat omne verbum.

Istorum opinio mihi non placet, quia hoc intelligi debet, quoad probandum Notorium, non autem ad illud constituendum. *gloss. in cap. Deus omnipotens*, §. *quando*, 2. *q.* 1. *Panor. in d. c. vestra*, *et in c. cum in tua*, 27. *de spons. Spec. in rub. de notorijs crimin. n.* 9. Nam licet talis numerus faciat Collegium, per legem, & rationem supra allegatas; non tamen ex hoc inducitur, quod faciat, & constituat notorium.

Panor. *in d. c. vestra cit. et Spec. de notorijs criminibus*, §. *notorium*, *n.* 3. dicunt ad causandum notoriū requiri scientiam totius viciniæ, vel maioris partis dictæ viciniæ. *d. cap. cum dilectus*, *de purg. can.*

Io. Andreas *in. c. vestra cit. et ibi Cald. et Anton. de Butrio colum.* 25. requirunt scientiam vniuersi populi, vel maioris partis, & videntur fundari *in cap. scelus*, 2. *q.* 1. vbi Lotharij Regis adulterium appellatur publicum, quia erat omnibus notum.

Aliqui demum dicunt, & forsan non male, quod arbitrio Iudicis remittendum sit, cùm non fuerit in iure expressum quot homines faciant notorium. *arg. cap. de causis*, 4. *de officio delegat. & l. continuus*, 137. *ff. de verb. oblig. Specul. de notorijs crimin.* Definiri enim & determinari non potest, an aliquid sit notorium nec ne, nisi prius consideretur qualitas loci, in quo aliquid cōmittitur, videlicet eius magnitudo, vel paruitas. Nam in Vrbe Romana decem personę nihil sunt, & propterea ibi non possunt inducere istam notorietatem: in Rure verò etiam sex personæ inducent, stante paucitate incolarum; & hoc S. Pœnitentiaria Apostolica obseruauit pluries.

Hìc audio ab aliquo moueri difficultatem: An homici-

dium a centum v. g. hominibus insimul in loco campestri, & nemine alio spectante perpetratum in personam vnius Banniti sit occultum, vel notorium etiam respectu vniuscuiusque ex complicibus.

Fundamentum autem istius difficultatis est, quia tale homicidium ob testium defectũ probari non potest, cùm depositio vnius complicis non possit nocere alteri complici. *cap. veniens, 10. vbi glossa, de test. cap. 1. de test. in 6. cap. si testes, 4. q. 3.* ergo homicidium huiusmodi est occultum.

Depositio cõplicis alteri complici non nocet.

Ex altera verò parte homicidium scitur ab ea numerositate complicum, quæ est sufficientissima ad inducendam publicitatem, & notorietatem; eorumque scientia est certissima, & nulla tergiuersatione celari potest: ergo videtur notorium, & non occultum.

Respondeo, huiusmodi homicidium, licet quoad istos cẽtum viros coniunctim sumptos negari non possit, quin sit occultum, quia, prout supponitur, illud in secreto loco, & nemine spectante commiserunt; attamen respectu eorundem seorsum sumptorum est publicum, & notorium: nam verè scitur & indubitabiliter scitur a nonaginta nouem v. g. centesimum eorum socium cõcurrisse ad prædictũ homicidium, ac participem eius fuisse; & isti nonaginta nouem habent illam certam scientiam, & indubitatam notitiam prædicti homicidij, quę requiritur ad notorium faciẽdum, quia testes sunt de visu.

Ad iura allegata respondeo, quod illa loquantur, & debeát intelligi respectu condemnationis, non autem notorietatis inducendæ. Nam licet ex depositione vnius complicis non possit alter complex condemnari, & puniri; non tamen inde sequitur, quod delictum sit occultum: quot enim delicta sunt publica, & notoria, & tamen in iudicio non fuerunt probata, ex eo v. g. quod testes nolunt deponere contra reum? ergo non bene cõcluditur, delictum est occultum, quia non fuit probatum, vel non potest probari in iudicio.

Nota tertio cum *Hostiense in sua summa tit. de coh. cler. & mul. n. 6.* non implicare quod aliquid sit notorium in vna terra, & occultum in alia; & propterea dicit, probationem huiusmodi notorij faciendam esse coram Iudice extraneo, id est in loco, in quo crimen, vel factum sit occultum; & ita intelligenda esse *cap. eorum, 11. quæst. 3. 3. & cap. pudenda, 24. quæst. 1. & cap. præsentium, 17. q. 1.* Idemque sentit *Masc. de prob.*

prob.concl.108.n.27.Nouel.in pract.crim.fol.15.n.13.vers.quã plurimos.Aret.cons.165.col.6.

Quæret aliquis occasione huius notabilis, an Episcopus v.g. Tiburtinus possit iuxta facultatem sibi concessam per *Concilium Trident. in c. liceat de Reformatione*, *sess.* 24. dispensare cum suo Diœcesano, qui in Ciuitate Cremonæ, vel alibi contraxit publicam irregularitatem, celebrando videlicet, quando erat per cedulones publicos excommunicatus ob non solutionem pensionis, quæ tamen irregularitas ignoretur omnino Tiburi. Ratio dubitandi est, quia Concilium *in d. capitulo, liceat*, concedit Episcopis, vt possint dispensare super quacunque irregularitate occulta, excepto homicidio voluntario, & defectu natalium; ista verò irregularitas est publica, & notoria in Ciuitate Cremonæ; neque interest, quòd ignoretur Tiburi: nam Concilium loquitur simpliciter de occultis; ignorantia autem vnius loci non sufficit ad faciẽdum quod crimen publicum, & notorium possit dici simpliciter occultum, prout videtur requirere Concilium *in d. cap.* Nam quod vna via prohibetur, etiã alia via intelligitur prohibitum. *cap. cum quid vna via*, 84.*de reg. iuris in* 6. Ergo super irregularitate publica nunquam vigore Concilii potest dispensare, etiamsi sit in sua Diœcesi occulta.

Quod vna via prohibetur, etiã alia via censetur prohibitum.

Pro huius difficultatis intelligentia præsupponendum est, Episcopos extra suam Diœcesin non habere, nec exercere posse iurisdictionẽ. *cap. vt animarum*, 2. §. *statuto, de constit. in* 6. *cap. si quisquam*, 11. *quæst.* 7. *glos. in cap. nouit ille*, 7. *de officio legati in verbo, terminos. l.* 3. *ff. de officio Præsidis. l. vltima, ff. de iurisdictione omn. iud.* V.g. non potest extra suam Diœcesim cõdemnare, absoluere, facere statuta, & alia omnia, quæ sapiunt contentiosam iurisdictionem; sed solum illa potest, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, vt conferre beneficia, &c. concedere litteras dimissorias, &c.

Hoc posito, Respondeo facultatem concessã Episcopis a *Concil. in d. c.* 6. *sess.* 24. respicere territorium, & Diœcesin vniuscuiusque Episcopi; & propterea illud verbum, *occultum*, intelligendum est respectu Diœcesis, & territorij Episcopi dispensantis, non autem alterius Diœcesis, in qua ille nullã habet iurisdictionẽ; & idcirco sufficit, vt d. irregularitas sit occulta in Diœcesi Episcopi dispensantis.

Nec obstat regula supra allegata, quòd cùm aliquid vna

via prohibetur, etiam alia via prohibitum intelligitur: nam nulla via prohibetur, immò expresse conceditur Episcopis in suis Diœcesibus dispẽsare posse super irregularitate occulta, excepto homicidio voluntario, & defectu natalium; & in casu nostro præsupponitur irregularitas occulta Tiburi.

Notandũ quarto, quòd simplex euidentia facti non est sufficiens ad inducendum Notorium, sed præterea requiritur quòd in publico fiat, & multitudini hominum sit euidens. *Bald. in l. ea quidem*, 7. *col.* 5. *C. de accusat.* qui dicit aliquem posse habere euidentem maculam in facie, & tamen id non esse notorium, quia forte iste è domo non exiuit. *Mascar. de probat. concl.* 1106. *num.* 16. & *concl.* 1110. *nu.* 5. dicit non sufficere ad inducẽdum notorium, quòd quis aliquid faciat in platea plena populo, sed necesse esse, vt populus videat, & notet quod ille facit. Nam præsens non dicitur, qui licet sit præsens corpore, attamen ad aliud attendit. *l. coram Titio* 209. *ff. de verb. signif.*

Præsens non est qui non attendit.

Notandum quinto, ad hoc vt aliquid dicatur actualiter notorium, non sufficere quod fuerit notum populo, sed requiritur quod actu, & de præsenti sit notum: nam si aliquis v. g. perpetrauit mense prope elapso aliquod scelus in præsentia plurium hominum, qui hodie superstites nõ sunt, sed omnes successiuè obierũt: Huiusmodi scelus, licet ab initio fuerit notorium, attamen per obitum dictorum hominum desiit esse notorium, & consequutiue incipit esse occultum. *Ita Specul. de notorijs crimin.* §. *notorium*, *nu.* 12.

Notandum vltimo, & per transennam, in materia stricti iuris, & in Statutis, nomine, & appellatione Notorij non venire Notorium ex actis in iudicio factis inductum. Ita *Panorm. in cap. dudum*, 22. *col.* 2. *de electione*. *Decius in cap. ex insinuatione*, 50. *nu.* 22. *de appell.*

Quotuplex sit Notorium facti.

TRiplex est notorium facti, videlicet facti Permanentis, Transeuntis, & Interpolati. *gloss. in c. de manifesta*, 2. *q.* 1. *Panor. in d. c. vestra*, *de cohab. cler. & mul. vbi Ant. de Butrio*, *col.* 19. *Mascard. de probat. concl.* 1106.

Notorium facti permanentis est, quod habet continuationem. ita *Speculat. de notor. crim.* §. *Notoriũ*, *n.* 10. v. g. cum aliquis manifeste in carcere detinetur. *c. dilectis filijs Decano*

Notorium facti permanẽtis.

no, 55. *de appell.* Vel ſi quis habeat & detineat in propria domo, menſa, & lecto concubinam. *c. conſuluit*, 14. *de appell. cap. ſignificaſti*, 4. *de diuortijs. l. ſi vicinis*, 10. *c. de nuptijs*. Vel ſi quis contra ſacramentum fidelitatis continuò perſequatur Dominum ſuum. *c. venerabilem*, 34. §. *ſunt enim notoria*, *de electione. c. grauem*, 15. *de exceſſibus Prælatorum*.

Notorium facti transeuntis. Notorium facti tranſeuntis eſt, quod ſemel ita notorie factum fuit, vt nulla potuerit tergiuerſatione celari; quod tamen factum ex quo ſemel publicè actum fuit, reiterationem non habuit, ſed quod ab initio fuit notorium, adhuc per continuam memoriam hominum, & ſcripturarum, notoriũ reputatur. *Ita Spec. loc. cit.* V.G. quod Chriſtus Dominus noſter paſſus ſit pro nobis. *c. notandum* 1. *q.* 4. *c. ſemel Chriſtus de conſecr. diſt.* 2. *cum cap. ſequen.* Vel ſi quis patenter in platea, & ſub conſpectu populi aliquem vulneret, vel occidat. *c. peruenit* 5. *de teſtib. cog. c. aut facta, de pœnit. diſt.* 1.

Notorium facti interpolati. Notorium facti interpolati eſt illud, quod publicè & ſæpius reiteratur, non tamen continuè. *Panor. in d. c. veſtra num.* 15. *de cohab. cler. et mul. Specul. loc. cit.* Quale eſt crimen vſurarii publici, qui cuilibet petenti mutuat ad vſurã. *c. cum tu manifeſtos*, idest, *notorios*, 5. *de vſuris*. Ex præmiſſis nota Notorium facti permanentis dici proprie notorium, quaſi res nota omnibus volentibus inſpicere. *cap. euidentia*, 9. *de accuſ. & cap. illud*, 5. *de cler. excom. miniſt. c. bonæ* 23. §. *liceat, de elect. cap. quanto*, 3. §. *ne autem*, *de translation. Prælat. Auth. quod ſemel*, *C. quomodo aut quando Iudex*, *&c.* vbi dicitur *quòd vox Præconis*, *quæ eſt tranſitoria*, *non tranſit in notorium*, *quia paucis innoteſcit*. *Panor. in d. cap. veſtra cit. Bald. in Auth. quod locum in* 6. *quæſt. C. de collat. Iaſon in l. ſi verò* 5. §. *qui pro rei qualitate*, *ff. qui ſatisdare cogantur*. *Antonius de Butrio in tract. de Notorio art.* 2. *num.* 10.

Nota demum differentiam, quæ eſt inter Notorium, & cõmunem opinionem. Notorium enim eſt de rebus pręſentibus, vel proximè præteritis, vt ſupra probauimus. Cõmunis verò opinio eſt tantum de longè præteritis, quæ non poſſunt probari per teſtes. *Maſc. de probat. concl.* 1110. *nu.* 5.

DE MANIFESTO.
Quotuplex ſit.

HOc nomen *manifeſtum* multipliciter ſumitur in iure. Quandoque enim eſt idem quod Notorium facti

M 3 per-

permanentis. *cap.eorum*, 11. *q.3.cap.manifesta*, 2.*q.1. vbi glossa. c.cum olim* 34.*vbi glossa de ver.signific.Panor.in d.c.vestra*, *num.12.de cohab.cler. & mul.* Quandoque sumitur pro Notorio facti transeuntis, & non redeuntis. *cap.quod suspecti*, 3.*q.5.* Quandoque sumitur pro eo, quod a pluribus prædicatur. *d.cap.3.loco, vbi Panor. num. 3. de præsumpt.*

Item manifestum respectu occulti dici potest id, quod probari potest per vnicum testem. *Ant.de Butrio, de Notorio art.2.num.21. Mascard. de probat. concl.1017.nu.19.*

Quandoque Manifestum est species per se differens a Notorio, & habet se in minus, quam notorium. *Panor.loc.cit.* Etenim per manifestum non tollitur omnis dubitatio, & ideo indiget probatione. *Accurs. in l. ciues, 11. & ibi Bart. & Bald.C. de appell.* Secus est in Nototorio, quod nulla eget probatione, *Bart.in l scriptus, 4. ff. de Relig. et sumpt. funerum. Alex.& Iason in d.l.si vero, §.qui pro rei, ff.qui satisdare cogantur.*

Nos verò hic loquemur de hac vltima manifesti acceptione, quæ facit speciem per se, omissis alijs, quæ solum nomine differũt ab alijs Notorii speciebus, & etiam ab occulto, vt suo loco dicemus.

Quid sit Manifestum.

Panor. *loco supra cit.* describit manifestum, quod sit publica, seu famosa insinuatio ex certo authore, & ex certis causis, hoc est ex certa scientia proueniens.

Hostiens. verò *in sum.tit. de coh.cler. & mul.* paulo immutat prædictam descriptionem manifesti: etenim dicit quod sit publica, seu famosa insinuatio, vel proclamatio, & communis ex certa scientia, & ex certis Authoribus, paucis tamen, prouenicns.

Melior, & clarior videtur esse meo iudicio, descriptio Manifesti allata a *Speculat. in tract. de Notor. crim. §. 7. in principio, et ab Ant.de Butrio in tract.de Notorio, art.2. nu. 18.* qui dicunt, manifestũ esse publicam, seu famosam proclamationem ex certa scientia, & a certis Authoribus prouenientem; idemque videtur sentire *gloss.in cap.manifesta, 2.q. 1.* Istius autem descriptionis bonitas apparebit, dum singulæ illius partes separatim examinabuntur. *Manifesti descriptio.*

Dicitur *publica proclamatio*, quia illud, *publicũ*, se habet vt genus in ista specie Notorij, quia per huiusmodi publicitatẽ constituitur in esse Notorii; si enim esset priuata proclamatio, non esset Notorium, sed

sed occultum, vt ex se patet, & apparebit ex ijs, quæ dicemus, dum de occulto tractabimus.

Dicitur *famosa proclamatio*, hoc est diuulgata proclamatio, quia per huiusmodi particulā declaratur manifestum non esse notorium facti, quod requirit publicam sciētiam & euidentiam facti, vt supra diximus; neque notorium iuris, cū non sit cōfessio rei, neque probatio iuridica, vt dictū fuit; sed solum sit publica, & diuulgata proclamatio tātum.

Dicitur *ex certa scientia proueniens*, vt ostendatur differre manifestū à famoso, quia famosum non fundatur in certa scientia, sed formaliter cōsistit in sola proclamatione communi, vt infra demonstrabimus, dum verba faciemus de famoso.

Dicitur *ex certis authoribus*: nam, si est certa scientia alicuius rei, debet etiā esse certa persona, quæ illam habet, nam scientia humana non datur in abstracto, & in concauo Lunæ, sed in concreto, hoc est in hominibus. Secundò dicitur, ex certis authoribus, quia requiritur scientia plurium, non autem vnius, qui nullo modo potest constituere per se notorium, cùm dictum, & testimonium vnius sit nullius momenti, *cap. admonere. 33. q. 2. c. licet, 47. c. veniens, 10. de testibus, l. iurisiurandi religio, 9. C. de testib.*

Testimonium vnius, & nullius est idem.

Obijcitur contra vltimam nostræ huius definitionis partem. Potest dari casus, in quo publica proclamatio proueniens ex sciētia vnius verè inducat manifestum. Nam si Petrus, v. g. reputatus ab omnibus homo integerrimæ vitæ, Sacerdos, & in dignitate cōstitutus, affirmet se vidisse à Frācisco occidi Ioannem, populus verò Petri assertioni multū credens, proclamare incipiat homicidiū huiusmodi contra Franciscū, verè istud homicidium erit manifestū: ergo male supra dictū fuit, de esse ētiam manifesti esse scientiā certā pluriū.

Respondeo, solam & simplicem assertionē Petri, licet sit omni exceptione maior, nullā habere vim *d. c. admonere, 33. q. 2. & d. l. iurisiurādi religio. C. de testib.* & propterea nō inducere notorium manifestum.

Ad manifestum requiritur scientia plurium.

Ex præmissis primò nota, ad essentiā manifesti requiri sciētiam plurium certam, ex eo quod delictum, vel quid simile factum fuerit coram pluribus personis. Ita *Bart. in d. l. scriptus, ff. de relig. & sumpt. funerū, & auth. qui semel. C. quomodo & quādo Iud. vbi Bald.*

Scientia ex quibus elicitur.

Quæ scientia vltra rei euidentiam potest etiam haberi ex confessione, in iudicio, vel

alibi facta, ac etiam ex legitima rei probatione. *c. cum olim. 34. vbi Panor. de verb. signif. l. fur est, 3. & ibi Bar. in principio, ff. de fur.* vbi manifestum delictũ dicitur, quando delinquẽs comprehenditur in ipso delicto, vel in actu propinquo ipsi delicto; licet aliàs dicatur manifestũ differre ab euidenti. *Bald. in l. ea quidem, 7. C. de accusat. Mascard. de probat. conclus. 1017. num. 16.*

Scientia ex coniecturis. Aduerte etiam, huiusmodi scientiam posse haberi per coniecturas, & verisimiles pręsumptiones. *c. 1. vbi Panorm. in 2. notabili, de cler. non resid. l. licet Imperator, 77. ff. de legat. & fideic. 1. vbi Iason, n. 6. qui declarat intelligi debere de coniecturis, & præsumptionibus legitimis, & à iure approbatis, Bald. in d. l. ciues. C. de appellat. Alex. in d. l. licet Imperator.* Et hinc colligitur eum dici fœneratorem manifestum, qui ex coniecturis probatus est fœnerator. *Idem Bald. in l. cum proponebatur, 66. ff. de leg. 2. & in d. l. ciues. Mascard. de probat. concl. 1017. n. 2. & n. 22.*

Nota secundò nomine istorum plurium, qui requiruntur in manifesto, non venire omnes, vel maiorem partẽ, vt docent *Panor. in d. c. tertio loco, n. 3. de probat. Bart. in l. hæredes palam, 21. in princip. ff. de testamentis, & in d. l. si verò, §. qui pro rei, vbi Alex. & Ias. ff. qui satisdare cogantur.* Et ratio est, quia manifestũ esset idem, ac notorium facti, vt supra ostendimus, si nomine plurium venirent omnes, vel maior pars.

Quot verò nomine plurium veniant ad faciendum manifestum; Doctores diuersimode sentiunt. Aliqui dicũt requiri, & sufficere quinque homines, *Tolet. in sum. lib. 1. c. 74.*

Alij requirunt sex, vel octo homines; & ita videtur sentire *Bart. in d. l. scriptus, dum dixit ad notorium requiri decem. Specul. in tract. de notorijs crimin. §. 7. de Manifesto in princ. Ant. de Butrio in tract. de notorio art. 2. num. 19.* & colligitur etiam ex *l. hæredes palam, 21. ff. qui testam. fac. pos.* vbi lex dicit quod palam, id est, manifestè, *c. eorum, 11. q. 3.* testatur, qui non in publico hæredem nominat, sed coram testibus, qui sufficiunt ad solemnitatem testamenti, id est coram septem testibus, qui sunt necessarij ad solemnitatem testamẽti. *Instit. tit. de testam. §. vlt. l. hac consultissima, 21. §. per nuncupationem, C. de testam.* *Palam, & manifeste est idem.*

Pro huius difficultatis intelligentia præsupponendum est primo, in nostro casu nomine plurium non venire omnes, neque maiorem partẽ, vt docet *Bart. loc. supra cit.*

Præsupponendum secundò est,

est, nomine plurium non venire duos, vel tres; talis enim numerus sufficit solum ad probandum manifestum, non autem ad illud faciendum. *Ant. de Butrio in tract. de notorio, art. 2. n. 19. et in d. cap. vestra, col. 16. de cohabit. cler. & mul. Specul. in tit. de notorijs crimin. §. iam de notorio. Panor. in c. tertio loco, n. 2. de præsumpt.*

Manifestum quid sit. Præsupponẽdum tertiò est, manifestum esse quid mediũ inter notorium, & famosum; nam notorium cõsistit in sciẽtia totius populi, vel maioris partis, vt suo loco dictum, & probatum fuit; famosum verò excludit scientiam, & admittit solam proclamationem, vt infra probabimus: at manifestũ, & admittit sciẽtiam plurium, & proclamationem, vt supra ostendimus. His positis,

Manifestum regulatur à notorio. Dicendum est, manifestum regulari à notorio: si enim notorium requirit sciẽtiam, v. g. decem hominum, manifestum expetet quinque; si notorium quindecim exigit, manifestum admittet septem; idque relinquendum est arbitrio Iudicis, sicut de notorio dicit *Bald. in l. ea quidem, 7. col. 5. C. de accusat. Menoch. de arbtr. Iudicis, lib. 2. cent. 2. cas. 166. Ant. de Butrio de notorio art. 2. num. 2. quos omnes allegat Mascardus de probat. cõncl. 1017.*

Nota tertiò, ex præmissis, ad faciendum manifestum nõ sufficere scientiam plurium, sed præterea requiri famã & proclamationem, quæ processerit ab illis pluribus. *Mascard. de probat. concl. 1017. n. 12.*

DE FAMOSO.

Quid & quotuplex sit famosum.

AD Famosi cognitionem deuenire non possumus, nisi primò sciamus, quid sit & quotuplex sit fama; siquidem famosum nihil aliud est, nisi fama notum.

Quotuplex sit Fama.

FAma est duplex secundũ *Hostien. in sum. tit. de cob. cler. & mul. Bar. in l. de minore, 10. §. plurimũ, n. 4. ff. de quæst. & Boss. in pract. crimin. tit. de inquisitionibus, n. 28.* Id est, fama hominis, & fama inter homines. *Fama est duplex.* Fama hominis duplici modo sumitur, pro bono scilicet, vel pro malo nomine; hęc autem famæ acceptio pro malo nomine, nõ est, nec propriè dicitur fama, sed potius infamia. *c. presbyter, & c. si mala fama, 2. q. 5. c. ex parte, 7. de testibus, l. penult. §. 1. ff. de var. & extraord. cognit. & in tit. de his qui not. infam. C. & ff. l. capitalium, 28. §. famosos, ff. de pœnis.* Vt cum dicitur de aliquo

quo quod dissolute viuat, vel quod Deum non reuereatur, vel quod habeat cõcubinam, & similia. *dd.c.presbyter. & c.si mala fama, 2.q.5. Specul.lib.3. de notorijs crimin.*

Fama inter homines est duplex.

Fama inter homines similiter est duplex: nam quædã est de vno homine in genere bonitatis, vel malitiæ; vt fama est, quod Franciscus sit bonus, vel malus. *l.de minore, 19. §. pluriũ, ff. de quæst. vbi Bar, n.6.*

Altera fama inter homines est de aliquo particulari facto, vt quid sit. *l.3. §. eiusdem, ff. de test. & notat Bart. in d. §. plurimum.* v. g. an sit secuta mors Petri nec ne? Fama autem de aliquo facto potest triplici modo considerari: primò tanquã vana vox, & rumor in populo, quæ nullos habeat certos authores, aut causas, seu rationes probabiles ad credendũ; v. g. quod Franciscus aufugerit ab vrbe, & tamẽ adhuc ille in Vrbe commoretur: & huiusmodi fama nõ est attẽdenda, nec validã iudicãd., *c.Ossus, 2. de elec. l.Decurionũ filij, 12. C. de pœnis,* quia simul mores, & voces populi, seu viciniæ, vt plurimum veritatẽ contrariã habent. *Bal. cõs. 295. n.2. vol.1. Corn. cõs. 74. n.3. lib.1. & cons. 130. n.6. lib.4.* vocem enim vanã & dictũ facile sequitur multitudo. *c.cũ in iuuẽtute, 12. de purgat. canonic.*

Fama de aliquo facto tripliciter consideratur.

Secundò modo considera-tur hæc fama inter homines prout prouenit ab aliquo malitiosè ad commodũ, & vtilitatẽ ptopriã, vt suam possit probare intentionẽ: videlicet, si quis inuidia motus per viciniã spargat rumorẽ, quod resignatio alicuius beneficij facta ad fauorẽ tertij fuerit simoniaca, & successiue inualida: & hæc fama minus est attendẽda. *c.de cætero, 14. de test. c.iterũ omnibus, 4. q.3. c.cum in iuuentate, 15. vbi Panor. de præsũp. c.qualiter, & quãdo, 24. de accus. arg. l.omnibus, 10. C. de testib. & l. nullus, 10. ff. de testib. Bart. in d. l.de minore, §. plurimũ, n.15. ff. de quæstion. & ibi Ang. in ver. à maleuolis, & alij DD. cõmuniter, & præcipuè Crauet. consil. 41. per totum, vbi concludit quod cùm huiusmodi fama non habuerit originẽ à personis honestis, & fide dignis, nõ probet, & Mascar. de probat. cõcl. 2248 Hor. Luteus cons. 161. lib. 1. diuersorum criminalium, n.33.*

Fama à maleuolis proueniens nihil probat.

Tertio modo fama inter homines cõsideratur, prout prouenit à personis honestis, fide dignis, grauibus, veridicis, de quorũ cõmodo non agitur, & appareat à quibus, qua ratione, & qua causa ortũ habuerit. *d.c.licet, 47. de testib. d.c.qualiter, & quãdo, de accus. l.miles, 11. §. mulier, & ibi Bart. ff. ad l. Iul. de adult. l.3. §. tu magis scire, ff. de test. & Bar. in d. l. de minore.*

§. plu-

§. *plurimum, n.* 35. *ff. de quæst. supra cit.*

Fama ab honestis personis proueniens coadiuuat probationem.

Quæ fama licet ex se sola nō plene probet. *c. si testis.* §. *sæpe etiam, & ibi glossa in verbo, fama,* 4. *quæst.* 3. & maximè dum agitur de re graui, *Felin. in c. cum contingat,* 24. *num.* 1. *vers. & dicit Bald. de rescript.* Attamen probationem factam coadiuuat, *d. l.* 3. *& notat glos. in c. præterea,* 27. *de testibus. Bart. in d. l. de minore,* §. *plurimũ, ff. de quæstion.* Et de hac tertia acceptione famę loquũtur DD. cum de fama mētionem faciunt, nec laborant de alijs famæ acceptionibus, tanquàm vanis vocibus populi.

Fama à turpibus personis proueniens qñ non sit contēnenda.

Notandum hic est: licet fama ad hoc, vt habeat vim, & probet, requiratur, vt proueniat à personis honestis, fide dignis; attamen in re turpi non est contemnenda fama, quæ prouenit à personis turpibus. v. g. si agatur de re orta in Lupanari, est tunc admittenda desuper fama proueniens à meretricibus, lenonibus, & similibus personis. ita *Clarus in sua praxi crim. lib.* 5. §. *vlt. vers. sed quid si.* Secundò, ad hoc vt probet, requiritur vt sit solida, inconcussa, excellens, non vaga, non leuis. *Bald. conf.* 77. *n.* 6. *lib.* 3.

Fama ex quibus oriri possit.

Notandum secundo, huiusmodi famā quandoque procedere ex scientia, quandoq; ex suspicione, quādoq; ex certo, quādoq; ex incerto authorē. *c. sāctũ est. de consecr. dist.* 4. *glos. in c. manifesta,* 2. *q.* 1. Quādoque ex dicto vnius. *c. cum in iuuentute, de præsumpt.* Propriè tamen fama procedit ex incerto authore; & ex sola suspicione. *d. c. sanctum est, & c. sunt nonnulli, prope finem, dist.* 46. *& Specul. lib.* 3. *particula* 1. *de notorijs crimin. n.* 2. *Bart. in d. l. de minore, num.* 7. *ff. de quæstion.*

Nota tertio, quandocunque ortam famam, siue ex tempore cōmissi delicti, siue ex post facto per aliquem actum manifestatum, ex quo iusta suspicio caueatur, semper èsse sufficientem, & propriam, non autem suspectam famā. *Bart. in d. l. de minore.* §. *plurimum, n.* 17. *ff. de quæstion.*

Omissis igitur primis duabus famæ acceptionibus, tanquā vanis, & nullius roboris, & momenti; videamus quid sit fama tertio modo accepta: & in posterum nomine famæ solummodo intelligemus famā hoc tertio modo acceptā.

Quid sit Fama?

Speculator *in lib.* 3. *partic.* 1. *de notorij; crim.* dicit quod fama sit vehemens vulgi, seu maioris partis eius, opinio rei, de qua quæritur, consentiens. *argumento cap. presbyter*

sbyter si à plebe, 2. *quæst*. 5.

Huiusmodi definitio, seù descriptio famæ mihi non satisfacit, cum non totaliter explicet essentiam famę, sed solum illius partem, & quasi subiectum, omissa parte principali, & quasi ratione formali; siquidem fama non fundatur in sola opinione vulgi, seù eius maioris partis, sed requiritur præterea diuulgatio talis opinionis; potest enim maior pars vulgi priuatim aliquid opinari de aliquo, & ab vnoquoque eorum ignorari, quid alter opinetur, atque ita non potest ex priuata opinione iuduci huiusmodi notorietas, vt bene notat *glos. in l.* 3. *§. eiusdem, ver. consentiens, ff. de testib. arg. d. c. presbyter, supra cit. & c. si mala fama*, 2. *q*. 5. Ratio est, quia fama dicitur à fando, hoc est à loquẽdo: ergo requiritur ista diuulgatio.

Fama per *Bart. in d. l. de minore, §. plurium, nu.* 7 *ff. de quæstion.* est communis opinio voce manifestata ex suspicione proueniens. Dicitur communis opinio, ad differentiam opinionis singularis. Dicitur voce manifestata, quia aliàs non esset fama, sed communis opinio, vt supra diximus. Dicitur ex suspicione proueniens, ad differentiam manifesti: nã si proueniret ex sciẽtia, non esset fama, sed esset manifestum, & notorium.

Magis placet sequens famæ descriptio, quòd sit communis loquutio de aliqua re ex verisimilibus coniecturis surgens. Dicitur communis loquutio, quia excludit priuatam, vt supra diximus. *Fama quid sit.*

Dicitur, verisimilibus coniecturis, hoc est talibus coniecturis, quæ videantur rei veritati consentire. *l.* 3. *§. eiusdẽ. ff. de testib.* quia si non adsunt huiusmodi coniecturæ, non est, nec propriè dicitur fama, saltem quo ad iuris effectum, sed sunt vanæ voces populi. *Bart. in d. l. de minore, §. plurimum, num.* 18. *ff. de quæstio. glos. & DD. in c. inquisitionis*, 21. *& c. cum oporteat*, 19. *de accus. Specul. loc. supra cit. nu.* 1. *& num.* 5.

His positis, videamus quid sit famosum.

Quid sit famosum.

EX supra narratis de essentia famæ, facillime colligitur quid sit famosum. Non est enim aliud famosum, nisi id, quod fama noscitur, & id, de quo populus, vel eius maior pars loquitur, id est, prout dicit talem notitiam, & proclamationem. *Panorm. in dict. cap. vestra, de cob. cler. & mul. Salicet. in l. ea quidem*, 7. *col.* 3. *circ. princ. C. de accusat. Nauar. in* *Famosum.*

in c.27. de irregul. n.255. t.1.

Ad inducendum verò huiusmodi famosum, quot hominum proclamatio requiratur, DD. diuersimodè loquuntur. Nam affirmant aliqui ad minus requiri decem homines. ita *Panorm. in d.c. vestra, de cob. cler. & mul. & Salic. in d. l. ea quod, col. 3. circa principium.*

Alij dicunt requiri maiorem partem viciniæ. *Nauar. in d.cap.27 de irregul.nu.255.* Propterea dicendum est idē, quod de alijs speciebus Notorij diximus: videlicet, considerandam esse loci magnitudinem, vel angustiam, & secundum illas determinandum huiusmodi numerum personarum.

DE OCCVLTIS.

Breuiter hunc articulum & materiam occultorum explicabimus: ex ijs enim, quæ supra diximus de Notorio, Manifesto, & Famoso, ducimur in cognitionem Occulti: omne enim id, quod non est notorium, vel manifestū. vel famosum, est occultum.

Quid sit Occultum.

Occultum est illud, quod à nemine, vel à tam paucis scitur, quòd neque sit famosum, neque manifestum, neque notorium. Ita *Nauar. in c. 27. de irregular. nu.255. tom.1. & in x. præcepta Decalogi c.18.n.52.* vbi etiā allegat idem sentire *S. Th. 2. 2. q. 70. art. 2. ad secundum, & in 4. lib. senten. dist. 21. & Scot. in eod. 4. lib. Caietan. 2. 2. q. 11. art. 3.*

Hæc descriptio est adeo clara, vt nulla videatur egere explicatione; nam excludit omnem notitiam, vel tā modicam admittit, vt nulla eius habeatur ratio: nihilominus ad tollendam omnem difficultatem, quam secum afferre particula illa, *à tam paucis, posset,*

Dicendum primo est, notitiam, quam vnus dūtaxat habet de aliquo facto, non præiudicare quo minus dictum factum sit occultum: etenim dictum, & notitia vnius est idē ac nullius. *c. admonere, 33. q. 2. c. si testes, §. item vnius, 4. q. 3. c. veniens, 10. in fine, & c. licet, 23. de testib. l. iusiurandi religione, 9. C. de testib.*

Dicendum secundò, notitiam duorum vel triū, neque etiam nocere, quo minus aliquod delictum sit occultum, dummodo ista notitia consideretur simpliciter in se, & non deducta in iudicium, & forum externum. Ita *glos. in d. c. vestra, de cob. cler. & mul.* *Occultum nō excludit notitiam duorū vel trium.*

in

in c. manifesta, 2. q. 1. Specul. lib. 3. part. 1. de notorijs criminibus, 5. quid sit pene occultum. Tolet. in sua summa lib. 1. c. 99. Nauar. in x. præcepta decalogi cap. 18. n. 52.

Obijciunt aliqui contra dictam conclusionem, textum Euangelicum allegatum *in d. cap. licet de testibus*, quod in ore duorum, vel trium testiũ stet omne verbum: ergo notitia duorum vel trium facit delictum non esse occultum, sed publicum. Huiusmodi obiectioni eodem textu respõdetur, concedendo verum esse, quod in ore duorum, vel trium stet omne verbum; non autem verum est, quod in notitia duorum vel trium sit omnis notitia, id est ea notitia, quæ inducat publicitatem, & excludat occultum, secũdum se consideratum: & propterea textus dicit, in ore, id est, in depositione duorum, vel triũ testium facta in iudicio, stare omne verbum; & ista depositio est effectus, non tamen necessarius ipsius notitiæ: possunt enim isti duo, vel tres nõ deponere in iudicio huiusmodi di suam notitiam: fateor quidem posse per depositionem duorum, vel trium fieri publicum, quod aliàs est occultũ. *d. c. licet, de testib.* & fusius diximus supra, dum egimus de Notorio.

Quotuplex sit Occultum.

Occultorum duo sunt genera, alia enim sunt occulta per se, & ex sua natura, & soli Deo nota, vt cogitationes hominum, & motus animæ interiores. *l. duo sunt Titij, 30. ff. de testam. tutela. Panorm. in d. c. vestra. de coh. cler. & mul. num. 10. prope finem. Tolet. in sum. lib. 1. cap. 99. Nauarr. in x. præcepta decal. cap. 18. n. 52.* & propterea Dei iudicio relinquuntur. *c. erubescant, 32. distin.* *Occulta per se.*

Alia vero sunt occulta per accidens, qualia sunt illi actus, qui nemine spectante explicati fuerunt: v. g. vt si quis hominem honorauit in loco secreto, & ab hominum consortio remoto, qui actus honoris de natura sua est cognoscibilis, sed per accidens non fuit cognitus, eo quod nemine præsente fuit explicatus. *Occulta per accidens.*

Ista occulta per accidens subdiuiduntur: alia enim sunt omninò occulta, alia verò pene occulta. *Panorm. in d. c. vestra, supra citat.* Omnino occulta per accidens sunt illa, quæ licet de sui natura sint cognoscibilia, & probabilia, attamen non fuerunt cognita, nec probari possunt, quia nemine spectante facta fuere, vt supra diximus. *Omnino occulta.*

Pene

Pene occulta. Pene occulta per accidens sunt illa, quæ tam paucis patent, vt nulla inde fama exorta, nec in iudicium deducta sint. *Glossa in cap. manifesta, 2.q.1.& in d.c.vestra, de cohab. cler. & mul. Specul. lib.3. partic.1. de notorijs crimin.§.quid sit pene occultum. Tolet.& Nauar. loc.cit.* Pone exemplum: Franciscus verberauit in Campo Boario Petrum, idque viderunt duo rustici, qui fortuito ibi reperiebantur: iste excessus est quidē occultus per accidens, non autem omnino, quia dictis duobus rusticis patet, & propterea dicetur pene occultus, nam dictio illa (*pene*) diminuit tantisper, sicut dictio *quasi. cap. cum dilecta, 4.§.nos igitur, de confir. vtil.*

Dictio pene est diminutiua.

Si autem delictum fuit deductum ad forum contentiosum, nō tamen fuit probatum, elapso anno præsumitur occultum, nam præsumitur non factum, vt benè notat *glos. in c. omnipotens, 4. in verb. denūciantur, in fin. de accusat. vbi accusatus de homicidio post elapsum annum potest promoueri ad honores, per textum in l. reus, 7 ff. de muner. & honor. glos. in c. tantis, verb. obrepsit. dist. 81.*

Textus autem, & *glos. in d. c. vestra, de cohab. cler. & mul.* dicunt illa esse occulta, quæ ab Ecclesia tolerantur. Pro huius dicti intelligentia, Aduerte quòd *Panor.* affirmat *in d.c. vestra, notab. vlt. Illa*, inquit, *tolerari dicuntur, quæ non sunt deducta in iudicium, neque habent operis euidentiam.* Huiusmodi vero tolerātia operatur, vt ex Ecclesiæ indulgentia delictum habeatur, ac si esset occultum; non autem quod vere sit occultum: & propterea *dd. text. & glos.* nō inducunt genus occultorum distinctum à supra dictis.

Notandum igitur est pro plena huius materiæ occultorum intelligētia, cum *Nauarr. in d. cap. 27. cit.* aliquid posse materialiter esse publicum, formaliter verò, & secundum quid occultum: v. g. Missa celebrata à Sacerdote excommunicato occulto coram vniuerso populo, est actus publicus, & est delictum, non tamen est delictum publicum. Ratio est, quia nescitur publicè dictum Sacerdotem in excommunicatione celebrare, vel excommunicato occulto non licere Missam celebrare.

Notandum secundò, posse aliquod delictum esse publicū, & tamen eius pœnam, & effectum esse occultos. v. g. si in aliqua villa Parochus publicè excommunicatus coram populo suæ villæ Missam celebret, & populus notet id fieri non posse, & esse delictum nihi-

nihilominus ignoret ex dicta celebratione contrahi irregularitatem; & propterea ista Missæ celebratio erit actus publicus, & delictum publicum: tamen quoad cõtractam pœnam irregularitatis erit delictum occultum, & poterit cũ isto dispensari super dicta irregularitate ab Episcopo, iuxta facultatem sibi in occultis per Concil. Trident. concessam, & ab Officio S. P. aliàs in similibus casibus fuit dispensatum vt occultis.

Notandum tertiò, aliquod delictum posse esse insimul publicum, & occultum, respectu locorum diuersorum. *Panor. in cap. olim, 7. num. 5. de iniurijs.* Videlicet, si quis committat homicidium præsente populo in Ciuitate Papien, &c. & postea se cõferat in Hispaniam; istud homicidium est verè publicum Papiæ, sed in Hispania potest esse occultũ, ob nõ illius diuulgationem, vt dicit *Hostiens. in sua sum. tit. de cohab. cler. & mul.* & propterea affirmat, quod licet in notorijs non requiratur probatio, attamen requiritur, & debet fieri coram Iudice extraneo, id est in loco vbi delictum ignoratur, & est occultum, & ita debere intelligi *c. eorum, 11. q. 3. & c. pudenda, 24. q. 1. & c. præsentium, 17. q. 1.* Et tale occultum sæpius admisit S. P. Officium in suis absolutionibus, & dispensationibus meo tempore concessis.

Notãdum quartò, & vltimo, non implicare, quod aliquid à sui origine, & principio fuerit publicum, & tractu temporis fiat occultum. *c. longinquitate, 12. q. 2. l. præstat. 2. C. de longi temp. præscript. quæ pro liber.* Tempus enim omnia deuorat, & quæ nõ delet ab hominum memoria diuturnitas temporis? Hoc autem genus occultorum etiam pluries meo tempore Signatura Officij S. P. admisit, sed non eodem modo in omnibus casibus; in dispensationibus matrimonialibus per decennium, in irregularitatibus per viginti & triginta annorum spatiũ dumtaxat præsumpsit publicitatem originalem oblitteratã fuisse, per prætensam saltem dispensationẽ. *Longum tempus facit occultum quod erat publicũ.*

De Dispensationum Matrimonialium Formulis.

Antequam deueniamus ad explicationem formularum, quibus M. P. vti solet in dispensationibus matrimonialibus, videndum primo est, quid sit dispẽsatio, & quotuplex sit, & quinam sit eius effectus: præmissa enim istorũ notitia, facillimè intelligemus ipsarum dispensationum formulas.

Quid

Quid sit dispensatio.

DIspensatio propriè, & originaliter secūdū *Sylueſt. in ſum. verbo, diſpenſatio*, est idem, ac pecuniarum pensio diuersis facta, sic dicta à verbo, *diſpenſo*, quod significat diuersis penso; vel diuersa penso, vt ait *gloſ. in cap. vt conſtitueretur, ver. detrahendum, diſt.* 50. nam qui dispensare vult, diuersa pensare debet. *Sum. Angel. in verbo, diſpenſo, in principio*. Vnde dispensator est administrator pecuniarū, quæ prius non numerabātur, sed appendebantur, siue pensabantur; deinde translatum est hoc nomen ad omnem distributionem: & sic secundum *S. Th. 2. 2. q. 97. art. 4. & q. 88. art.* 10 importat cōmensuratā applicationem, vel distributionem alicuius communis ad singula: vnde secundum hoc dispensatio in præcepto legis communis est applicatio eius ad hunc & illum, secundùm eorum proportionem, vt ille scilicet adstringatur ad totū, hic ad partem, alter vero ad nihil, secundum eorum conditiones, & propterea dispensatio dicitur vulnus, quia vulnerat ius commune *c. ipſa pietas, 23. quæſt. 4.*

Diſpenſatio eſt commẽſurata applicatio alicuius communis ad ſingula.

Diſpenſatio vulnerat ius commune.

Dispensatio aliquando sumitur impropriè pro iuris declaratione. *c. Quintauallis, 23. §. fin. de iureiuran.* & bene notat *Specul. in tit. de diſpenſatione §. diſpẽſatio. propè principiū.*

Secundum verò Canonistas & Iuristas, dispensatio regulariter sumitur pro relaxatione iuris. *gloſ. in c. requiritis, §. niſi rigor, in verb. vt plerisq; 1. q. 7. Specul. in tit. de lapſis & diſpenſ. §. 1. in 1. parte. Panorm. in c. cum in cunctis, 6. n. 2. de elect. Hoſtien. in ſum. tit. de diſpenſ. Innocen. in c. dilectus, 15. n. 4. de tẽp. ordin. Imol. in l. quidam conſulebat, 57. nu. 8. ff. de re iudicata*, & alij DD. communiter: quos M. P. sequitur in suis dispensationibus, dum concedit, vt non obstante iuris prohibitione, quis promoueri ad ordines, vel contrahere matrimonium cum consanguinea, vel affine in gradu prohibito aliquando possit, & ideò de dispensatione huiusmodi verba nobis facienda sunt hoc loco.

Diſpenſatio eſt relaxatio iuris.

Dispensatio igitur hoc modo sumpta solet ab interpretibus definiri, quod sit prouida iuris communis relaxatio, vtilitate, seu necessitate pensata: vel rigoris iuris communis relaxatio facta cum causæ cognitione. *gloſ. in d. c. requiritis, §. niſi rigor, 1. q. 7. Specul. Innocen. Imol. Panorm. & alij in loco citat. Rebuff. in praxi beneficiali, titulo de diſpenſat.*

in principio. Ambæ istæ definitiones, seu descriptiones in idem coincidunt, & sufficienter definiunt, vel describũt naturam istius dispensationis: nã dispensatio efficit, vt dispensatus inculpabiliter faciat actum à lege prohibitum, & tamen lex in suo vigore alias remaneat. Et ideo dicitur iuris relaxatio, non autem illius irritatio, neque abrogatio, cũ alios obliget, & dispensatum ab obligatione excipiat.

Magis mihi placet descriptio, quam *Hostien. in summ. lib. 5. tit. de dispensat.* affert, videlicet, *quod dispẽsatio sit rigoris iuris per eũ ad quẽ spectat, misericors canonicè facta relaxatio.* Quæ descriptio colligit ex *d. c. requiritis, §. nisi rigor, vbi glossa verb. vt plerisque, 1. q. 7.* & continet in se omnia necessaria ad validitatem ipsius dispensationis, vt probabimus, dum vnaquæque descriptionis pars seorsum declarabitur.

Dicitur primò *rigoris iuris relaxatio.* Multipliciter sumitur verbum istud, *rigor*, aliquando enim sumitur pro subtilitate iuris. *c. vt cõstitueretur* vbi *gloſ. 50. dist. Panor. in c. in litteris, n. 6. de restitut. spoliat. Hostiens. in sum. lib. 5. tit. de dispens. n. 1. §. sed & quandoque.*

Rigor multipliciter sumitur.

Secundò sumitur pro ordine iuris in procedẽdo, *c. super litteris, 30. de rescript. vbi glos.*

Tertiò sumitur pro austeritate, & excessu iuris, factis ad terrorem, quando ad terrorẽ ius excedit debitum pœnæ. *Panor. & Hostiens. loc. cit. glos. in d. c. vt constitueretur, verb. detrahendum* & hic rigor cùm non sit seruandus, nisi vbi timetur exemplum mali. *cap. sed illud, 45. dist.* & remitti, & relaxari nequeat, vt *d. c. sed illud*; ideò aperte patet, quod in nostra descriptione locum non habeat.

De rigore secundo modo accepto dubium nõ est, quod excludatur à nostra descriptione, cùm non simus in casu exequutionis gratiæ, id est dispensationis iã factæ, sed in casu descriptionis naturæ, ac substãtiæ ipsius dispẽsationis.

Ex quibus exclusis sequitur necessario, in nostra descriptione rigorem iuris accipi, pro subtilitate iuris; & metaphoricè dicitur subtilitas iuris à subtilitate, & tenuitate rerum corporalium, quæ si tãgantur, vel franguntur, vel suo acumine tangentem feriunt; ita etiam lex, si per inobseruãtiam tangatur, frangitur, & inobseruantem lædit, atque apposita pœna ferit. Hæc igitur subtilitas iuris p dispẽsationẽ elongatur à dispẽsato, ne lædatur: & hoc significat verbũ illud, *relaxatio*: & ideò dispensatus

satus faciens actũ, ad quẽ dispensatur, neque violat legẽ, neque à lege punitur, & licitè facit. *arg. d. c. dudum*, 54. §. *nos igitur, de elect. c. cum nostris*, 6. §. *nos verò, de conc. præb. cap. 1. de transact.*

Per eum, ad quem spectat. Per hanc particulam explicatur causa efficiens dispensationis, quia nõ quilibet potest dispensare. *c. 2. de schismat. c. ad nostram*, 3. *de consuet. l. vlt. C. si à non compet. Iudice*: sed solum illi, ad quos ex officio spectat, vt sunt Papa, qui in omnibus, quæ non concernunt peccatum mortale, contra ius naturæ, vel in se, suaque natura nõ sunt intrinsece mala, regulariter dispẽsare potest. *Hostien. in sum. lib. 5. tit. de dispens.* §. 3. *Syluest. verb. dispensatio, nu. 7. & alij communiter.* & Episcopi in casibus sibi à iure permissis, vt per *Concil. Trident. in c. liceat, sess. 24. Hostien. in summa lib. 5. de dispens.* §. 3. *& Doctores cõmuniter*. Possunt alij etiam habentes authoritatem desuper sibi delegatam à Sede Apostolica, vel ab Episcopis in casibus sibi permissis.

Qui dispensare possunt.

Misericors. Ista relaxatio rigoris iuris dicitur misericors, quia ex misericordia fit. *c. 2. de schismat. vbi Panor. n. 1.* & quia misericors non potest esse sine miserabili, miserabilis verò ille tantum sit, qui in se habet talem qualitatem, ob quam natura moueatur ad miserendum. *c. 1. & c. vlt. de postulando, & l. vn. C. quando Imper. inter vidu. & pupill.* ideò dispensatio concedi non debet sine rationabili causa, ob quam dispẽsans moueatur ad compatiẽdum alterius necessitati, & ad concedendum; & si secus fiat, non erit dispẽsatio, sed dissipatio.

Dispensatio ex misericordia fit.

Canonicè. Ista misericordia debet regulari non à sensu, sed à ratione, quæ maximè conformanda est sacris Canonibus, id est causis per sacros Canones & Leges admissis, quę multæ adducuntur: videlicet, primò tempus. *c. necessaria, & c. quod pro remedio*, 1. *q. 7.* nam multa fiunt ratione temporis, quæ alias fieri prohibentur. *c. baptizari, dist. 5. c. ne quod absit dist. 4. cap. de Syracusanæ, dist. 28. l. omnes Iudices*, 3. *C. de ferijs. l. vbi adhuc*, 29. *C. de iur. dot. l. 1. ff. de ferijs. l. filius famil.* 8. §. *inuitus, ff. de procurat. l. Senatus consult.* 16. *ff. de offic. Præsidis*; cùm defectus nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtioris legis non patiatur in omnibus manere censurã. *c. fraternitatis, dist. 34.*

Misericordia regulanda à ratione.

Prima causa dispẽsationis est tempus.

Secundo, vtilitas, id est, vt facilius alij reuertãtur ad bonum. *cap. tali coniugio.* 1. *q. 7.*

Secunda vtilitas.

& cap. ipsa pietas. 23. *quæst.* 4.

Tertio qualitas persona.

Tertiò qualitas personæ, & meriti, & scientiæ. *d. c. tali. & c. didici.* 1. *q.* 7.

Quarto Religio.

Quarto, Religio: nã summa est ratio, quæ pro Religione facit. *l. sunt personæ*, 43. *in fine. ff. de religios. & sumpt. funerum. c. monachus, dist.* 77. *c. cũ illorũ*, 32. *§. q. si claustrales, de sẽt. excõ.*

Quinto scandalum.

Quinto, scandalu m multitudinis. *c. vt cõstitueretur, dist.* 50. nam cauendum est, ne quis alatur in scandalo, & ideo scandalum est legitima causa secundum *Doctores cõmuniter, in cap.* 2. *de prescript.* recedendi à iure, eiusque regulis. *Dec. in c. cum teneamur,* 6. *n.* 13. *de preben. Ioan. Andr. in c. inquisitores,* 16. *de haret. in* 6. *Rom. in l. si verò,* 65. *§. de viro, in* 7. *fallen. ff. soluto matrimon. glos.* 2. *in cap. ex litteris,* 14. *de homicidio, in verbo, graue scandalum. glos. & Panorm. in c. cõsiderauimus.* 10. *de electione, n.* 5.

Sexto necessitas.

Sexto, necessitas. *d. c. tali,* 1. *q.* 7. necessitas enim nõ habet legem. *c. sicut, de consecr. dist.* 1. *c. quod non est,* 4. *de reg. iur. l.* 1. *ff. de off. cons. Io. Andr. in c.* 1. *de ferijs. Iason. in l. diues,* 9. *n.* 3. *ff. de ferijs. Bart. in rub. de reb. eccl. nõ alien. n.* 62. *Dec. in l. qua propter,* 123. *ff. de reg. iur. nu.* 1. *&* 2. Et quod non est licitum lege, necessitas facit licitum. *d. c. quod non est. & c. licet* 3. *de ferijs. Dec. loc. cit. & alij Doct. communiter.* & ideò necessitas est legitima causa recedendi à generali dispositione. *c. si quis propter.* 3. *de furtis. l. vt gradatimij. §. quoties, ff. de muner. & honor. Bart. in l.* 1. *§. nunciatio, n.* 29. *ff. de noui operis nunciat. & in l.* 1. *n.* 5. *C. de oper. libert.*

Necessitas facit licitum quod est illicitum.

Canonicè, id est legitimè: legitima autem dispẽsatio est illa, in qua nihil tacetur, vel nihil exprimitur, quo expresso, vel tacito Princeps duci potest ad denegandam dispensationem. *c. dudum,* 54. *de elect. §. pen.* Et supra probauimus sufficienter, dum de speciebus causarum aliquid tetigi occasione commutationis votorũ.

Canonicè, id est seruata forma à sacris Canonibus præscripta, quæ in duobus ferè consistit; primò, quòd fiat gratis sine vllo præmio. *Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 5. *de reformat. & c. liceat.* Secundo, quod in actu ipso dispensationis seruetur forma mãdati dispensandi. *c. finali, de præb. & c. prudentiam,* 21. *de off. deleg.* Nam indubitatum est apud omnes, nulla esse verba à iure præscripta ad faciendam dispensationem, sed satis esse quæcunque siue verba, siue facta, ex quibus scientia impedimenti, & animus dispẽsandi in dispensare potẽte deducatur. *Felin. c. preterea,* 7. *à n.* 6.

vsque

vsque ad 10. *de testib. cogend. Pastor. in c. cũ in cunctis*, 7. *§. inferiora de elect. Innoc. in c. di-uersis*, 5. *de cleric. coniug.* & est bonus textus *in l. Barbarius*, 3. *vbi Bart. num.* 12. *ff. de offic. prætoris, & in l. quidam consulebat*, 57. *vbi Imola, ff. de re iudicata, & in clement. si Summus Pontifex, de sentent. excommun. Sanchez lib.* 8. *de dispens. disp.* 4. *num.* 3.

Et quamuis non sint præscripta verba ad dispẽsandũ, attamen seruanda est formula à Rituali Romano approbata, dum ibi docetur, quomodo administrandum sit Pœnitentiæ Sacramẽtum, & præcipuè obseruandum esse duco à iudice, vel dispensante subdelegato: nam in Principe supremo sola admissio ad actum, ad quem quis impeditur iure humano, si scienter fiat, verã inducit dispẽsationem, vt per textus & authores supra cit. & per alios Doctores communiter. Quia in ijs, quæ nec certam formam, nec certa verba requirunt, tantum valet volũtas tacita, quantum expressa. *l. qui ad certum*, 15. *ff. locati, & l. de quibus*, 32. *ff. de legib.* nec Princeps tenetur præmittere causæ cognitionẽ, sed vt eius dispensatio valida sit, solum sufficit dispẽsandi volũtas; de qua volũtate satis constat, cũ scienter promouet impeditũ.

Supremus Princeps p sola admissionem ad actũ prohibitum dispensat.

Voluntas tacita quando valeat quãtum expressa.

Iudex verò inferior, vel delegatus, debet præmittere causæ cognitionem, cùm non habeat liberam dispensandi authoritatem, sed solum limitatam; & seruare formam mandati; & ideò debet exprimere, qua authoritate dispensat, & super quo dispensat, omnia optimè perficiuntur per præfatam formulam Ritualis Romani, & tollitur omnis dubitandi locus.

Non nego tamen inferiores Prælatos, & Iudices posse licitè dispensare in impedimentis eorum legibus inductis, per solam admissionem ad actum contra suas leges, cùm militet eadem ratio in Principe, & in inferioribus, quo ad suas leges. *Nauar. in sum. præludio* 9. *num.* 15. *& cap.* 25. *num.* 74. *Azor. lib.* 13. *institut. moral. c.* 13. *q. vlt.* eius est destruere, cuius est condere. *l. digna vox*, 4. *C. de legibus*: sed solum loquor quo ad impedimenta iure communi statuta, in quibus à Principe supremo facultatem dispensandi, prout necessitas postulauerit, habuerunt.

Inferiores Prælati per talem admissionem ad actum in suis legibus prohibitum dispẽsant.

In ijs autem, quæ sunt iuris diuini, non potest fieri dispẽsatio sine causæ cognitione, & si fiat erit nulla. *Innocen. in cap. cum ad monasterium* 6. *de statu monach.* nam in his, quæ sunt iuris diuini, omnes su-

In iis, quæ sũt iuris diuini, requiritur causæ cognitio pro dispensatione.

mus subditi, & inferiores, & ideò non possumus ad libitum in his dispensare *c. priscis*. 55. *distin. c. Cœnomanensem, dist*. 56. *c. monachus, dist*. 67. *c. fin. dist*. 77.

Quotuplex sit Dispensatio.

EX præmissis colligitur duplicem esse dispensationem, videlicet *tacitam, & expressam*. Hæc est quando fit expressis verbis. Illa verò est, quando fit factis, vt cùm quis per authoritatem & sciētiam inhabilitatis & impedimenti habentem admittitur ad actū ad quem est inhabilis, & impeditus.

Hostien. *in summa lib*. 5. *tit. de dispensat. num*. 2. tres adducit species dispensationum, videlicet, *debitam, probibitam, & permissā*. Sed quia hæc distinctio parum facit ad nostrū propositum, ideò eam prætermitto.

Quisnam sit effectus dispensationis.

Fictio tantū operatur in casu ficto quātum veritas in casu vero.

EFfectus dispēsationis est, vt dispensatus legitimè habeatur tanquàm habilis & legitimus de iure, ac idoneus in eo, in quo fuit cū illo dispēsatum: nam fictio tantum operatur in casu ficto, quantum veritas in casu vero. *l*. 1. *& l. si is, qui*, 40. *ff. de adopt. l. cum ex oratione*, 47. *ff. de excus. tut.*

Et factum ciuiliter eundē effectum habet, quem habet factū naturaliter. *l. fin. in fine, ff. mandati. l. si mater*, 3. *C. de instit. Bald. in l. fin. ff. de his, qui veniam ætat. impetr.*

Ratio est, quia paria sunt aliquid ex priuilegio fieri, vel ex iure communi. *l. liberos*, 18. *vbi Bar. C. de collat. Dec. cōs*. 609.

Dispensatio strictè est interpretanda.

Aduertendum hic est, quòd cùm dispēsatio sit contra ius, debet strictè interpretari. *c*. 1. §. *ille vero, de filijs presbyt. in* 6. *c. quæ à iure*, 28. *de regul. iur. in* 6. & propterea non potest extendi ad non expressa explicite, vel per verba, vel tacitè per facta; sed solum debet intelligi de eo tantum actu sic expresso: vt v. g. si ad ordines minores admittatur, non propterea potest quis eiusdē dispēsationis vigore promoueri ad maiores. *c. non potest*, 21. *de praben. in* 6. *d. c*. 1. *de filijs presbyt. in* 6. *Oldr. cons*. 332. *nu*. 8. *Rebuff. in praxi sua beneficiali, tit. de dispensat. nu*. 8. *Menoch. de præsumpt. lib*. 2. *præsump*. 20. *nu*. 7. *Sanch. de dispen. lib*. 8. *disput*. 4. *nu*. 10. & eo magis debet hoc intelligi, & obseruari, quando huiusmodi dispēsatio fuit concessa ex vrgente necessitate, vt bene notat *Sanch. loc. cit. num*. 9. & ad hoc confirmandum allegat *Antonium*

Ga-

Gabriell. tom. 3. communium lib. 1. tit. de præſumpt. concl. 8. num. 2. ſed iure optimo, & n. 3. & Bart. Ruinum. & Menoch.

Aduertendũ ſecundò, quod cum in Principe ſupremo, & alijs requiratur ſcientia inhabilitatis, & impedimenti, ad hoc vt præſumatur diſpenſatio tacita, & non reperiatur in iure ſpecialis modus dictam ſcientiam probandi, ſufficiet qualiſcũque probationis modus, quo cæteræ res ſpecialem probandi modum iure non pẽtẽtes probari valent in foro fori. *Sanch. loc. cit. nu. 5.* In foro autem interno, & conſciẽtiæ, qui ſolam veritatem reſpicit, nulla deſideratur probatio, dummodo aliàs conſtet de intentione diſpenſantis. *Syluest. verb. diſpenſatio, num. 21. in fine.*

IN PRIMO, EX ACTV FORNICARIO DE CONTRAHENDO MATRIMONIO.

Pro Oratore, qui poſtquam duas germanas ſorores carnaliter cognouerat, & cum altera earum de matrimonio contrahendo tractauerat, factis in Eccleſia publicationibus, dum confiteretur peccata ſua, admonitus de impedimento petit ſecum diſpenſari ad euitanda ſcandala. In hanc formam expediuntur litteræ.

FR. Antonius Barberinus, &c. Diſcreto viro Confeſſori Magiſtro in Theologia, vel Decretorum Doctori, per latorem præſentium ad infraſcripta ſpecialiter eligendo, ſalutem in Domino. Ex parte latoris præſentium nobis oblata petitio continebat: Quòd ipſe aliàs duas ſorores germanas carnaliter cognouit, & deinde bona fide tractauit de matrimonio contrahendo cum altera earum. Cùm autem, ſicut eadem petitio ſubiungebat, impedimentum ex præmiſſis

prouenient sit occultum, tractatus verò matrimonij huiusmodi publicus, & nisi ad effectum perducatur, scandala inde exoritura sint: ad ea vitanda, ac pro sua conscientiæ quiete, cupit Lator præfatus de præmissis, de quibus plurimum dolet, per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare supplicauit humiliter, vt sibi super his de opportuno remedio prouidere dignaremur.

Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini Papæ curam gerimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, authoritate Apostolica specialiter nobis concessa discretioni tuæ committimus, quatenus si est ita, dictum Latorem (audita prius eius sacramentali Cōfessione) ab incestu huiusmodi absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta; iniuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu graui pœnitentia salutari, & alijs, quæ fuerint de iure iniungenda. Demum (dummodo impedimentum ex præmissis prouenient sit occultum, & nisi matrimonium huiusmodi contrahatur, pericula immineant reuelationis huiusmodi impedimenti, & scandalorum, aliudque canonicum non obstet) cum eodem latore, quòd præmissis non obstantibus, matrimonium cum dicta sorore, & vterque inter se publicè, seruata forma Concilij Tridentini, contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeant, misericorditer dispenses; prolem exinde suscipiendam legitimam nunciando in foro conscientiæ, & in ipso actu sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, neque vllo modo; Ita quod huiusmodi absolutio, & dispensatio in foro iudiciario nullatenus suffragentur; nullis super his adhibitis testibus, aut litteris datis, seu processibus confectis, sed præsentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ laniare tenearis, ita vt nullum illarum exemplum extet, neque eas latori restituas; quòd si restitueris, nihil ipsi præsentes Litteræ suffragentur. Datum Romæ

ma apud S. Petrum, sub Sigillo Officij Pœnitentiariæ, Idibus Septembris, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Papæ Octaui Anno sexto.

Præmittendum primò necesse esse puto, vt breuiter attingantur, quæ sunt de essentia matrimonij, & quæ de eius solemnitate, quæ impediant matrimonium contrahendũ, sed contractum non dirimant, & quæ impediant contrahendum, & contractum dirimant; ne pro validitate matrimoniorum laborantes, ignoremus, quid ad illius essentialem validitatem requiratur, & quid illud inficiat. Hoc autem exequar ea breuitate, vt scientibus onerosum non sit, nesciẽtibus verò sit gratum, & vtile.

Matrimonium quid sit. Matrimonium ergo est cõtractus ciuilis, & est Sacramentum. *cap. illud* 11. *de præsumpt. & l. 1. ff. de ritu nuptiarum. Concil. Trident. sess.* 24. *can.* 1. *de Sacram. Matrim.*

Denominatur potius à matre, quam à patre, plures ob causas. Primò, quia mulier plura onera matrimonij subit, vt bene notat *glossa in cap. 2. de conuers. infidelium. & in c.* 1. 27. *q.* 1. Nam mater in cõceptu est grauida, in partu dolorosa, & in lactando laboriosa. Secundò, quia matris magis, quam patris officio proles, quæ est finis principalis matrimonij, eget ad sui sustentationem. *d. c.* 2. *de conuersione infidelium*. & ideò non nisi post triennium à natiuitate, id est non nisi post maiorum egestatum, & necessitatum expletum tempus, patri educanda conceditur: dicitur matrimonium quasi matris munus, id est officium. Tertiò, quia per matrimonium mulier, quæ est in se imperfecta, munitur viro, qui est animal perfectius; & ideo matrimonium idem significat, ac matrem muniẽs. Quartò, quia mulier est nata ad matris munus præstãdum.

Matrimonium fuit primò institutum à Deo in Paradyso terrestri. *cap. vnico de voto in 6. cap. gaudemus*, 8. §. *quia vero, de diuortijs*. Et fuit institutum propter sobolem. *cap. Deus masculum*, 31. *quæst.* 1. *cap.* 2. §. *his ita respondetur*, 32. *quæst.* 2. *cap. fin. de frigid. & malef.* Et ante peccatum *d. c. vnico*, 2. Institutum fuit post peccatum extra Paradisum tempore legis naturæ, propter illicitum motum eliminãdum *d. cap.* 2. *vbi glossa*, 3. Secundùm determinationem personarum contrahentium fuit in-

stitutum

ſtitutum in lege Moyſi *Leuitici cap.* 18. Secundùm quod eſt Sacramentum repræſentans coniunctionẽ Chiſti cum Eccleſia, fuit inſtitutum in lege noua. *Concil. Trident. loc. cit.*

Omiſſis diuerſis matrimonij deſcriptionibus, & definitionibus à Doctoribus allatis, communiorem adducam, quæ habetur in *d. cap. illud*, *§. verum, de præſumpt. & in rubrica. cap.* 1. *cauſa* 27. *quæſt.* 2. Videlicet quod ſit *maris, & fœminæ coniunctio indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens.*

Dicitur *maris, & fœminæ*, quia in pari ſexu non poteſt eſſe matrimonium. *Gloſſa in d. rubr. in verb. viri,* 27. *q.* 2. Ponitur in numero ſingulari, quia ſicut vir ſimul habere non poteſt plures vxores, ita etiam mulier non poteſt ſimul habere plures maritos. *cap.* 1. *cum ſequen. de ſponſa duorum, & d. c. gaudeamus de diuortijs. Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *can.* 3.

Coniunctio, &c. Id eſt vinculum maritale ortum ex mutua corporum traditione, quæ traditio ſufficit, vt per voluntarium animorum conſenſum verbis, aut ſignis ſufficienter expreſſum fiat, non autem per carnis commixtionem. *cap. ſufficiat, cap. beata, cap. cum initiatur, cap. coniunx,* 27. *q.* 2. *Couarruuias tom.* 1. *par.* 2. *c.* 1. *num.* 1. *& §. vnico*: Qua coniunctione alter alteri ſe tradit ad coniugalem vſum expreſſè, vel tacitè: & ideò nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit. *l.* 1. *ff. de regulis iuris. l. cum fuerit,* 15. *de condit. & demonſt. cap.* 1. 27. *q.* 2.

Conſenſus, & non concubitus facit nupt.

Indiuiduam vitæ conſuetudinem. Id eſt indiſſolubilem, & perſeuerantem vitæ ſocietatem inducẽs. *Matth.* 19. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

Senſus ergo huiuſmodi definitionis eſt, quòd matrimonium ſit perpetua, & indiſſolubilis coniunctio, ſeu mutua obligatio viri, & fœminæ, orta ex conſenſu eorum, verbis, alijſque ſignis expreſſo, vt bene docet *Layman in ſua Theologia morali, lib.* 5. *trac.* 10 *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 1. *Couarruuias loc. cit. & Doctores communiter.*

In triplici ſtatu poteſt eſſe matrimonium.

In triplici ſtatu poteſt eſſe matrimonium: videlicet legitimum, quod legitimo conſenſu, & inter legitimas perſonas, id eſt legitimo impedimento non obſtrictas contrahitur; & ita eſt contractus ciuilis, qui etiam ab Ethnicis contrahitur. Ratum, quod à Chriſtianis more fidelium contrahitur, & eſt Sacramentũ. Conſummatum, quod carnali copula omnino firmatur. *c. Agathoſa,* 27. *q.* 2. *&* 28. *q.* 1. *c. fin. §. idẽ illud*

Augu-

Augustini, vbi declaratur, coniugium aliud esse legitimũ, & nõ ratum; & hoc est matrimonium, quod legali constitutione, vel Prouinciæ moribus cõtrahitur; sed hoc inter fideles non est ratum, quia non est firmum, sed violabile coniugium; sic enim copulati recedere ab inuicem possunt, & alijs copulari. *cap. quanto*, 7. *vbi glossa, de diuortijs. l. consensu licita*, 8. *C. de repudijs*. *Couarruuias tom.* 1. *par.* 2. *c.* 7. *§.* 4.

Inter fideles verò matrimonium ratum est, quia coniugia inter eos semel inita vlterius solui non possunt. Horum quædam sunt legitima, velut cùm vxor a parentibus traditur, a sponso dotatur, a sacerdote benedicitur: hæc coniugia sunt legitima, & rata: illa verò, quæ non seruatis solemnitatibus, sed solo affectu contrahuntur, non sunt legitima, sed tantummodo rata esse creduntur. hæc ex *d. §. item illud*: cuius credulitas per Concilium Tridentinum hodie sublata est, quia matrimonia clandestina omninò sunt reprobata.

Matrimonium ergo in lege Euangelica cùm sit Sacramentum, non solum cum fit, sed etiam factum maneat, quia peracta verborum conuentione circa corpora coniugum, ipsi coniuges inter se in perpetuum copulati manent: externum spirituale symbolum perpetuæ coniunctionis Christi cum Ecclesia. ita *Layman in dicta sua Theologia morali lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *c.* 2. *n.* 4.

Materia matrimonij in quãtum est contractus ciuilis, est traditio corporum; forma verò est acceptatio, qua perficitur, & completur matrimonium, & quatenus conficitur a fidelibus, qui sunt ministri essentiales huius Sacramenti: traditio similiter corporum erit materia, & acceptatio erit forma huius Sacramenti. Parochus autem non fuit vnquã nec est minister essentialis huius Sacramenti, nec sunt de essentia matrimonij verba ab ipso Parocho prolata, sed declaratoria matrimonij contracti, vt bene asserit *Sanchez. de matrimonij essentia, lib.* 2. *disput.* 6. *num.* 1. *&* 5. nam ante Concilium Tridentinum sine Parocho matrimonium contractum erat Sacramentum, & gratiam conferebat.

Traditio corporum est materia, & acceptatio est forma matrimonii.

Verba Parochi sunt declaratoria matrimonii contracti.

Matrimonium aliud est solemne, & aliud clandestinum. Matrimonium solemne est, quod fit seruatis solemnitatibus a Sacro Concilio Tridẽtino præscriptis, videlicet tribus denunciationibus in contrahẽtium Ecclesia Parochiali factis, inter Missarum solemnia, in tribus diebus festiuis,

& præ-

& præsentia Parochi, & duorum testium.

Denuntiationes omitti, non autem præsentia Parochi & testium possunt. Denuntiationes omitti, vel postponi de licentia Ordinarij in partem, vel in totum possunt; præsentia verò testiũ, & Parochi nunquam omitti potest: & si contrahatur sine præsentia Parochi, vel alterius ab eo ad id specialiter delegati, & testium, matrimonium est inualidum, & nullum, quia ita statuit *Concilium Triden. sess. 24. cap. 1. de reformation. matrim.*

Matrimoniũ clandestinũ. Matrimonium clãdestinum est, quod fit sine præsentia Parochi, & testium, & propterea est nullum, vt supra dictum est. Quod tamen intelligendum est de matrimonijs, quæ contrahuntur in locis vbi fuit promulgatum, & acceptatum Concilium Trident. nam in alijs locis, in quibus non fuit promulgatum, vel acceptatum, matrimonia absque præfatis solemnitatibus sunt valida, & tenent. Ratio est, quia lex non obligat, nisi sit promulgata, vt communiter dicunt *DD. in cap. 1. de tregua, & pace.*

De impedimentis, quæ impediunt matrimonia contrahenda, sed contracta non dirimunt.

Impedimenta quæ non dirimunt. QVinque sunt præcipua impedimenta, quæ impediunt matrimonium contrahendum, sed contractum non dirimunt.

Interdictum. Primum est Interdictum, & hoc duplex, generale videlicet, & particulare; generale est, quo omnibus interdicitur certo anni tempore matrimonium contrahere. *cap. non licet, & cap. nec vxorem, 33. q. 1. & cap. Capellanus, 4. de ferijs. Concil. Trident. sess. 24. cap. 10.* Particulare verò est illa prohibitio Ordinarij, vel Parochi, vel alterius iudicis authoritatem habẽtis, qua interdicitur aliquibus, ne contrahant, donec aliqua causa, vel impedimentum examinetur. *cap. 2. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.*

Votum Castitatis seu Religionis. Secundum est Votum simplex Castitatis, vel Religionis, aut vtriusque. *c. meminimus, 3. & cap. veniens, 5. qui clerici, vel vouentes matrimonium contrahere possunt.*

Sponsalia. Tertium, Sponsalia: qui enim sponsalia de futuro cum vno legitime contrahit, non debet cum alio de præsenti ma-

matrimonium contrahere; si tamen contrahit, tenet matrimonium. *c. veniens*, 15. *c. si inter virum*, 31. *de sponf. et matr. c.* 1. *et* 2. *de matr. cõtra interd. Eccl.*

Catechismus. Quartum est Catechismus. *c. contracto*, 5. *de cognat. spirit. & cap. per Catechismum*, 2. *eodem tit. in* 6. Catechismus est illa instructio, quæ fit solemniter ante ianuam Ecclesiæ super baptizando, vel baptizato, & qui suscipit in hac instructione, contrahit cognationem spiritualem imperfectam quæ non dirimit, sed impedit; *Sanchez. autem de matr. lib.* 7. *disput.* 10. *num.* 12. tenet hodie esse sublatum huiusmodi impedimentum. *Hodie videtur hoc impedimentum sublatum.*

Crimen. Quintum est crimen, videlicet incestus cum consanguineo, vel consanguinea coniugis, vel sponsæ, vsque ad quartum gradum inclusiue. *c.* 1. *& c. transmissæ*, 4. *de eo qui cogno. consang. vxoris suæ*. Quod tamen intelligendum est de incestu scienter commisso. *c. ex litteris*, 8. *eod. tit. cap. in lectum*, *& cap. si quis*, 34. *q.* 2.

Vxoricidium absque intentione contrahendi cum adultera. *c. admonere*, 33. *q.* 2.

Raptus alienæ sponsæ, vel vxoris. *c. statutum*, 27. *q.* 2.

Susceptio proprij filii in Baptismate, vel Confirmatione, facta malo animo, vt suum coniugem defraudet debito coniugali. *cap. de eo*, 30. *q.* 1.

Presbytericidium. *cap. qui Presbyterum*, 2. *de pœnit. & remiss. vbi Panor. qui limitat, dummodo sit secuta damnatio de crimine in iudicio.*

Matrimonium cum moniali contractum. *c. hi ergo*, 27 *q.* 1. *vbi glossa verbo, coniugali.*

Hæc sunt impedimenta a Doctoribus communiter allegata pro impedientibus contrahenda matrimonia, non autem dirimentibus cõtracta.

De impedimentis matrimonia dirimentibus.

Impedimenta dirimentia matrimonii. IMpedimenta, quæ non solùm impediunt matrimonium, sed contractũ dirimunt, quindecim a Doctoribus communiter allegantur, videlicet.

Error in substantia personæ. Primum, *error in substantia personæ*, vt cùm volo contrahere cum Petro, per errorem contraho cum Francisco. *c.* 1. 29. *q.* 1. non autem error illius fortunæ, conditionis, vel alterius qualitatis. *d. c.* 1. §. *ad hæc.*

Conditio coniugis. Secundum, *Conditio* qua alterius coniugis conditio deterioratur, vt cùm ego liber contraho cum Francisca, putans illam similiter esse liberã, & tamen est serua. *c. ad nostrã*, 4. *de coniugio seru. c. si quis ingenuam*, 29. *q.* 2. quod tamẽ limitatur, quando habita notitia dictæ seruitutis, in coniugẽ ad-

adhuc verbo, vel facto consensio. *d.c. ad nostrã. Nauar. c.22. n.33. & alij. vide glos. in d.c. ad nostram*: & in tali casu requiritur cõsensus vtriusque de nouo, vel tacitus vel expressus, vt bene notauit *Nauar. loo. cit.* cum possit dari casus quod illa nolit in d. matrimonio perseuerare: & *d.c. ad nostrã* intelligitur, dũmodo miles non consenserit de nouo in suam prætensam coniugem, cum nouo eiusdem coniugis cõsensu tacito, vel expresso; nam matrimonium non facit vnius consensus, sed vtriusque.

Votum solẽne Religionis, & Castitatis.

Tertium, *Votum solemne Religionis* per Sedem Apostolicã approbatæ. *c. meminimus, 3. et c. fin. qui cler. vel vouen. matr. clemen. 1. de consang. et affinit.* Idem intelligendũ est de votis simplicibus a Religiosis nostrę Societatis post duos annos probationis emissis, iuxta eiusdem Societatis constitutiones.

Ratio est, quia per huiusmodi votum quis amittit potestatem sui corporis, & illã tradit Religioni ad cõtinentiam seruandã, & ideo non potest amplius dominium, & potestatẽ eiusdem sui corporis alteri tradere. *S. Tho. in 4. dist. 28. q. 1. art. 3. quodlib. 3.* Idem dicendum de voto Castitatis per susceptionem sacrorum Ordinum emisso.

Cognatio est triplex.

Quartũ est *cognatio*, & hæc triplex est, idest spiritualis, legalis, & naturalis. Spiritualis cõtrahitur in susceptione Sacramentorũ Baptismi, & Confirmationis tãtum, & inter suscipientes, & susceptum, illius patrem, & matrẽ, inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem. *ita Conc. Trid. sess. 24. c. 2. de refor. matrim. Pius V. in sua Bulla, quæ incipit, Cum illius vicẽ*: & ideò in reliquis personis, quæ per antiquos canones occasione cognationis huiusmodi contrahere matrimonium inter se prohibebantur, omne impedimentum sublatum est.

Cognatio spiritualis inter quas impediat

Cognatio spiritualis cur solum contrahatur in baptismo, et confirmatione.

Quòd autem in istis duobus Sacramentis tantum cõtrahatur hæc cognatio spiritualis patet, quia per hęc duo Sacramenta tantum fit aliqua regeneratio *Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, & c. Spiritus sanctus, de consecr. dist. 5.* Baptismus enim ordinatur ad generationẽ vitę spiritualis, Confirmatio verò ad perfectam ætatem spiritualem, hoc est ad perfectionem vitæ spiritualis: sicut enim per carnis propagationem accipitur esse naturæ, ita per ista Sacramenta accipitur esse spirituale gratiæ. *S. Thom. in 4. dist. 42. q. 1. art. 1.*

Ista ergo cognatio spiritualis, est propinquitas, seu ati-

tinentia proueniens ex Sacramentorum Baptismi, seu Confirmationis datione, vt bene notat *Goffred. in summ. tit. de cognat. spirit. Panor. in rub. de cognat. spirit.*

Cognatio legalis. Cognatio legalis, id est à lege introducta, est propinquitas quarundam personarum, ex adoptione, seu arrogatione consurgens. *c. vnico de cognat. legali, c. 1. & c. per adoptionem. vbi glos. 30. q. 3. l. adoptiones, 43. ff. de adopt.* Lex enim naturam imitans per istam propinquitatem efficit, vt quis filius, vel nepos, seu frater, vel affinis reputetur alicuius, qui aliàs illius filius, nepos, frater non erat.

Adoptio, & arrogatio quid sint. Adoptio, seu arrogatio est legitima, id est secundum formam legis, assumptio extraneæ personæ in filium, vel nepotem, vel fratrem, &c. *c. 1. vbi glossa, 30. q. 3. Panor. in cap. vnico de cognat. legali. Goffred. in sum. tit. de cognat. legal. & alij DD. communiter.* Differunt tamen adoptio, & arrogatio inter se in duobus: nam adoptio fit authoritate cuiuslibet magistratus, arrogatio verò solum authoritate Principis; item arrogatur, qui sui iuris est, & transit in potestatem arrogantis. *l. generalis, 2. ff. de adopt. 67.* Adoptatur autem qui in parentum potestate est, & adhuc remanet. *§. 2. & 3. instit. de adopt. glos. in c. 1. 30. q. 3. & in c. vnico de cognat. legali.*

Adoptio, & arrogatio in quibus inter se differant.

Cognatio legalis inter quos impediat matrimonium. Ista igitur adoptio, vel arrogatio impedit matrimoniũ contrahendum, & contractum dirimit: primo. Inter adoptantem, & adoptatum, eiusque consanguineos, vsque ad quartum gradum. Secundò, inter adoptantis vxorem, & adoptatum, & inter adoptantem, & vxorem adoptati, &c. Tertiò, inter adoptantis filium, & adoptatum, vel adoptatam; cum hac tamen differentia, quod cum personis in primo, ac secundo numero citatis adoptatio, vel arrogatio semper est impedimentum dirimens, licet cessauerit adoptatio, vel arrogatio. *cap. 1. 30. q. 3. glos. in d. c. 1. de cognat. legal. l. quin etiam, 55. & l. adoptiuus, 14. ff. de ritu nuptiarum Panor. in d. c. 1. de cognat. legali. Couarruuias in 2. parte, cap. 5. num. 2. Tolet. lib. 7. in sum. c. 8. num. 4. Goffred. loc. cit. & alij.*

Cùm personis autem in tertio numero citatis hoc impedimentum cessat, cùm cessat adoptio, vel arrogatio per emancipationem adoptati, vel arrogati. *d. cap. 1. vbi glos. & DD. communiter, de cognat. legali, Goffred. & Couarruuias loc. cit.*

Nota cum *Panor. in d. c. 1. num. 3. & Hostiensi ibidem*, quod

quòd adoptio, seu arrogatio non iuridice facta nullam parit cognationem,& consequẽter nullum impedimentum. Ad hoc autem vt adoptio, vel arrogatio fiat iuridicè, requiritur authoritas Principis, vel Magistratus, vt supra dictum est.

Qui adoptare possũt, & quas qualitates habere debeant. Adoptare de iure communi nequeunt fœminæ. *Instit. de adopt.* §. *fœmina*. Sed viri tantum, qui habeãt infrascriptas qualitates.

Primò, vt adoptans, vel arrogans, sit maior arrogato, vel adoptato, per decem & octo annos, §. *minorem natu, instit. de adoptio.* nam adoptio naturam imitatur, & monstruosum est, vt pater non sit maior filio, ea præcipuè ætate, quæ sit apta ad constituendum patrem familiæ. *Mynsingerus in d.* §. *minorem, num.* 2.

Quibus prohibetur adoptio. Secundo, vt habeat potentiam generatiuam, nam adoptio, & arrogatio fuerunt institutæ ad supplendum filiorum defectũ, & ideò omnes possunt adoptare, & arrogare, præter eunuchos, spadones, ac frigidos natos. *l.* 2. *ff. de adopt. instit. de adopt.* §. *illud. Panor. in d. c.* 1. *num.* 4. *Hostien. in summ. tit. de cognat. legali*.

Ratio est, quòd sicut isti generaliter generare, & filios naturales habere nequeunt, ita nec habere filios adoptiuos: si autem impotẽtia proueniat ex aliquo accidenti, possunt adoptare. *Hostien. in sum. tit. de cognation. legali, num.* 3.

Tertiò, vt adoptans sit presens, & per se ipsum adoptet, nõ autem per procuratorem, nam adoptio non potest fieri per procuratorem. *l. neque*, 24. *& l. post mortem*, 25. §. *fin. ff. de adopt.*

Quartò, vt sit sui iuris, & maior viginti quinque annis; nam minor non potest adoptare. *d.* §. *minorem. Hostien. in sum. tit. de cognat. legali*. Quod tamen intelligendum est de iure communi, nam quis ex dispẽsatione Principis potest adoptare, & arrogare, etiamsi non habeat prędicta requisita.

Cognatio naturalis. Quintum impedimentũ est *Cognatio naturalis*, quæ secũdum generationem carnis cõsideratur, & appellatur consanguinitas, sic dicta, quia est, quasi in sanguine vnitas, & propterea est vinculum personarum ab eodem stipite gradatim descendentiũ, vel ascẽdentium, carnali propagatione contractum. *Hostien. in sum. tit. de consang. & affinit. num.* 1. Huic definitioni bene *Couar. in* 2. *part. cap.* 6. *num.* 1. addit verbum, *propinquo*. Nam descendentes ab eodem stipite remoto, non sunt consanguinei, alioqui omnes homines essent cõsanguinei, cum ab

ab Adamo deſcendant; & rationem reddit, quia virtus, quę in procreatione viget, quatenus mouet ad ſimilitudinem ipſius procreantis in indiuiduo, nempe, vt filius ſit ſimilis Patri, per varias transfuſiones fit debilior, ac tandem deficit: hanc etiam ob cauſam conſanguinei dicũtur propinqui, quia eodem propinquo ſanguine fuerunt geniti. *l. Iuris conſultus*, 10. §. *non parcimus*, *ff. de gradibus*, *l. cum pater*, 79. §. *à te peto*, *ff. de legat.* 2. & *l. Lucius* 50. *ff. de petit. hæred.*

Hæc cognatio naturalis impedit matrimonium inter perſonas hoc vinculo coniunctas, vſque ad quartum gradum incluſiuè. *c. non debet*, 8. *de conſang. & affinit. vbi Panor. in princ. Hoſtien. in ſum. tit. de conſang. & affinit. num.* 9. & *DD. communiter.*

Et hoc intelligendũ eſt tam de linea recta inter aſcendentes, & deſcendentes, quàm de linea tranſuerſali.

Linea quid ſit.

Hic nota, quòd linea eſt collectio perſonarum, quæ iure ſanguinis propinqui censẽtur, gradus continens, numeroſque diſtinguens, & propterea ſeriem, atque ordinem cognationis ſignificat. *d. l. Iuris conſultus*, 10. §. *ſunt & ex latoribus*, *ff. de gradibus affinit. Couar.* 2. *par. c.* 6. *n.* 4.

Gradus quid ſit.

Gradus vero eſt habitudo, id eſt, menſura diſtantium perſonarũ, qua cognoſcitur quota agnitionis, ſeu cognationis diſtantia, duæ, pluresque perſonę differat inter ſe: gradus autem dicũtur ad ſimilitudinem ſcalarum, locorũmque procliuiũ, quos ita ingredimur, vt à proximo in proximũ tranſeamus. *Couar. loc. cit. nu.* 5. Quomodo autem aſcẽdatur per iſtos gradus ſecundum canones, vide textum *in cap.* 2. 35. *quæſt.* 5.

Crimen impedit, & quadrupliciter cõtrahitur.

Sextum impedimẽtum eſt Crimen, quod quadrupliciter contrahitur: primo per homicidiũ vnius cõiugis perpetratum de cõſenſu alterius cõiugis, vt poſſint deinde inſimul copulari matrimonialiter. *c.* 1. *de conuerſ. infidel. c.* 1. *cum ſequent. de eo qui duxit in matrim. quam poll. Panor. in d. c.* 1. *n.* 3. *Io. Andr. in c.* 1. *n.* 2. *de conuerſ. infid. Butrius ibid. n.* 2. *Petr. de Ancaran. ibid n.* 7.

Machinatio vnius coniugis non impedit.

Iſta duo adeò neceſſaria sũt ad inducendum iſtud impedimentũ, vt homicidiũ per ſe nõ ſit ſufficiens; nam machinatio vnius tantum abſque cõſenſu alterius, ſecundũ communiorem ſententiã non inducit impedimentũ. *c. ſi. quis viuente*, 31. *q.* 1. *c. ſignificaſti.* 6. *de eo qui duxit in matrim. Panor. & prędicti alij DD. loc. cit.* & nullibi reperitur in iure ſcriptũ, quòd per ſolam alterius cõiugis machinationem matrimonium

O diſſol-

dissoluatur; ideoque non sunt multiplicanda impedimenta.

Homicidium cum adulterio quãdo impediat.

Secundò, per homicidium cum adulterio cum hac intentione futuri inter se matrimonij perpetratum in personam vnius coniugis, ab altero coniuge, absque scientia, & consensu adulteri, vel ab adultero absque scientia, & consensu alterius coniugis. *c. si quis viuente*, 31. *q.* 1. *cap. super hoc*, 3. *de eo qui duxit in matrim. quam poll.*

Adulterium cum promissione impedit.

Tertiò, cõtrahitur per adulterium cum promissione futuri matrimonij, siue copula præcedat, siue subsequatur promissionem. *c. significasti*, 6. *& c. finali, de eo qui duxit in matrim. quã poll. c. relatũ*, 31. *q.* 2.

Matrimoniũ cum duobus impedit.

Quartò, contrahitur per secundum matrimonium contractum & consummatum, viuente adhuc primo coniuge legitimo, & scietibus vtrisque contrahentibus, superstitem adhuc esse primum cõiugem. *c.* 1. *& c. veniens*, 7. *de eo qui duxit in matr. quam poll. &c.*

Disparitas cultus.

Septimum impedimentum est *disparitas cultus*: nam baptizatus non potest contrahere cum non baptizato, & si cõtrahat matrimoniũ est nullũ. *c. caue, & c. non oportet*, 28. *q.* 1. *Concil. Toletan.* 3. *c.* 14. & ita DD. communiter sentiunt, & hæc est Ecclesiæ praxis. *Couar. part.* 2. *c.* 6. *§. vlt. Bellarm. de matrim. c.* 23. *Panor. in c. quanto*, 7. *de diuortijs, n.* 2. *in fine.*

Quod impedimentum est etiam de Iure ciuili. *l. ne quis Christianam*, 5. *C. de Iudæis*. Et trãsgressores puniũtur pœna capitali tanquam adulteri. *d. l. ne quis. Couar. loc. cit. n.* 3.

Quando dirimat matrimonium contractum.

Et hoc impedimentum nõ solum impedit cõtrahendum, & contractum dirimit, sed etiam matrimonium aliàs legitimè inter infideles contractũ postea adueniens per conuersionem vnius cõiugis ad Christianam fidem, dirimit; Si ille qui remansit in infidelitate, non vult cohabitare cum cõuerso, aut si vult, solum id vult ad contumeliam Creatoris, hoc est, vt conuersum reducat ad infidelitatem, vel vt inducat ad peccatum mortale. *d. quanto, & cap. gaudemus*, 8. *vbi Panor. & DD. communiter, de diuortijs, cap. si infidelis, vbi gloss. verbo, libertatem*, 28. *q.* 1. *& c. si infidelis*, 28. *q.* 2. *Couar. loc. cit. num.* 2. *in fin.*

Si verò infidelis velit cohabitare cum coniuge conuerso ad fidẽ sine contumelia Creatoris, hoc casu conuersus debet cohabitare cum infideli, vt constat ex authoritatibus supra allatis; nisi matrimoniũ inter illos sit contractum in gradu prohibito de iure naturæ, hoc est in primo gradu; tali enim casu matrimoniũ fuit, & re-

& remanet nullum. *d. cap. gaudemus*.

Hæresis non dirimit, sed est legitima causa separationis quoad thorum.

Hæresis verò non dirimit matrimonium; & ideò qui cõtrahit cum hæretica, vel apostata, aut excommunicata, validè contrahit. *glos. communiter recepta in cap. non opportet, verbo, hæreticis*, 28. *q.* 1. Sed peccat mortaliter. Multo minus dirimit matrimonium legitimè contractum, vt cùm vnus coniugum post matrimonium legitimè contractum labatur in hæresim. *dd. c. quãto, & c. gaudemus, vbi Panor. & DD. communiter, de diuortijs.*

Idemque dicendum quãdo vnus coniugum transeat ad Iudaismum; vel Gentilitatem. *Panor. & DD. loc. cit. n.* 1. Sed solum est legitima causa separationis quoad thorum. *c. de illa*, 6. *vbi Panorm. & alij de diuortijs*.

Violentia impedit.

Octauum impedimentum est, *vis, & violentia* alteri illata. *c. cum locum*, 14. *& c. veniens*, 15. *de sponsal. l. nuptias*. 31. *ff. de reg. iuris.*

Vis quid sit, & quotuplex.

Vis est maioris rei impetus, qui repelli non potest. *l.* 2. *ff. de eo quod metus causa.* Et hæc vis est duplex, videlicet publica, & priuata: illa armis fit. *l.* 1. *ff. ad l. Iuliam de vi publica*: ac etiam fit cum omni illo, quod potest nocere. *l. armatos*, 9. *& l. & eum*, 6. *ff. eodem.* Hæc verò fit sine armis, *l.* 1. *&* 2. *ff. ad legem Iuliam de vi priuata, & l. si quis*, 5. *& l. ex Senatus consulto*, 6. *ff. eodem*: vt cùm quis minis, consilio, tumultu, & similibus in damnum alienũ consurgit, vt videre est per totum *ff. ad l. Iuliã, de vi priuata.*

Hæc autem vis quouis ex dictis modis fiat, vt sit impedimentum dirimens matrimonium, duas cõditiones habere debet, sine quibus nullo modo dirimet matrimoniũ; primã, vt sit grauis in se; secundã, vt sit grauis in alio; hoc est, vt grauem pariat timorem in eo, cui infertur: vna si istarũ conditionum desit, non habebit rationem impedimenti dirimentis. *c. ad audientiam*, 4. *de his quæ vi metusque*.

Quando non dirimat.

Quòd autem debeat esse grauis in se, patet; quia de leuibus & minimis lex non habet considerationem. *d. l. scio, ff. de in integrum restitut.* & leuis non potest peruertere animum illius, cui infertur. *arg. cap. etsi quæstiones*, 18. *§. fin. in fine, de simonia*; vbi dicitur, quod paruitas materiæ non solet allicere, vel peruertere animum donatarij; & præcipuè in re graui, prout est in nostro casu, in quo agitur de annullando matrimonio.

Quòd autẽ debeat esse grauis in alio, similiter patet; quia si non sit talis, vt pariat grauẽ metum, hoc est talem metum,

vt etiã grauiter timere faciat eum, qui aliàs in aduersis solet constantis, & imperterriti animi esse, non poterit dirimere matrimonium contractum. *d. c. ad audientiã, & c. Abbas, 2. & c. cum dilectus, 6. de ijs quæ metusque causa fiunt, l. metum, 9. & l. continet. 3. ff. quod metus causa.* Grauitas ista consistit in metu, vel mortis, vel cruciatus corporalis. *d. c. cũ dilectus*; vel amissionis patrimonij. *d. c. Abbas. Bart. in l. si ob turpem, 8. ff. de condit. ob turpem causã. Bal. in l. 1. in fin. C. quod metus causa.* Vel maioris partis bonorũ. *Panor. & alij in c. 2. de his quæ vi, metusque causa. Iaf. in l. Titia, 134. col. 3. ff. de verb. obligat.* & cùm simus in odiosis, æquiparãtur omnia bona, & maior pars bonorũ. *c. 1. de restit. spol. in 6. Panor. in d. c. Abbas*. Vel iniustæ seruitutis, vel stupri. *l. isti quidem, 8. ff. quod metus causa, & §. 1. cum sequent. instit. cod. l. 1. §. quæ onerandæ, ff. quarum rerum actio nõ datur.* Vel iniustæ carceris, *d. l. si mulier. clem. 2. de pœnis.* Vel iniustæ excommunicationis, pro qua tollẽda facillimè adiri nequeat Superior: nam iniusta excommunicatio iustum parit timorem. *c. 1. 11. q. 3. Io. Andr. & Panor. in c. cum dilectus, 6. de his quæ vi metusque causa. glos. in c. olim, 17. in glos. fin. de restit. spoliat.*

Grauitas vis illatæ in quo consistat.

Iniusta excommunicatio iustum parit timorem.

Ex quibus nota quod iste metus debet esse iustus, id est probabililis, & non vanus; nam vani timoris metus nulla est excusatio. *l. vani timoris, 146. ff. de reg. iuris. Io. n. Andr. & Panor. in cap. fin. de appell. Decius in l. in omnibus causis pro facto, 40. ff. de regul. iuris, num. 2.*

Timor vanus non excusat.

Secundò debet esse illatus: nam si nõ inferatur ab aliquo extrinseco, erit vanus, & non præsumitur metus, quia voluntas alterius, cum occulta sit, sit de natura sua solum ex medijs extrinsecis argui potest, quod fuerit coarctata, necne. *Dec. in d. l. in omnibus, n. 9.* & parum refert an sit illatus iustè, vel iniustè, hoc est cum culpa, vel sine culpa eius, cui infertur. *c. significauit, 2. de eo qui duxit in matrim. quam poll. per adult. c. veniens, 15. de sponf. cap. quia diuersitatem, 5. vbi glos. in verbo, suspensus, de concess. præbend. cap. si concupiscentia, & c. inebriauerunt, 15. q. 1. l. nec timorem, 7. §. 1. ff. quod metus causa. glos. in c. Abbas. 2. de his quæ vi metusque causa. Panor. in eodem cap. Abbas, n. 8 qui asserit hanc veriorem esse opinionẽ. Couarr. loc. cit. §. 5. n. 7.* Et hoc est speciale in matrimonio, in quo contrahendo requiritur liber consensus: & licet metus non faciat simpliciter cessare consensum,

sensum tamen tollit qualitatē libertatis requisitam, quæ libertas necessaria omnino est. *c. requisiuit*, 17. *c. tua*, 26. *& c. cum locum*, 14. *de sponsal.* Et vbi requiritur certū quid cū qualitate libertatis, non est satisfactum iuri, si interueniat illud sine qualitate libertatis. *c. Pisanis*, 19. *de restit. spoliat. gloss. in c. notificasti, verbo, cum omni*, 33. *q.* 5.

Non obstat *c. inter cætera*, 22. *q.* 4. in contrarium allegari solitum: quia illud verbum, *sit firmum, & stabile*, stat consultiuè, & non præceptiue, vt bene notauit *Panor. in d. c. Abbas, sequēs opinionem glossæ in d. c. inter cætera, verbo, matrimonium:* Et ratio est, cùm in allegatis concubinarijs dicti Canonis, matrimonium ob defectum libertatis consensus esset nullum, & aliàs extaret inueterata consuetudo insimul peccandi, à qua difficillimè recessuri essent; ideò consulitur, vt incepta volūtas futuri matrimonij non destruatur, sed nouo consensu perficiatur, & ita suarum animarū saluti consulant.

Tertiò, debet esse illatus ad extorquendum consensum; si enim ad alium finem inferatur, non erit consensus extortus, sed spontaneus, vt bene notauit *Couarr. d. cap.* 3. §. 4. *à num.* 13. *vsque ad num.* 18.

Quinam sit iste metus, facillime habetur ex illius definitione à Doctoribus communiter recepta, videlicet quod sit instantis, vel propè futuri periculi causa mentis trepidatio. *l.* 1. *ff. quod metus causa.* Dicitur, *trepidatio mentis*, quia imaginatione imminentis mali mēs perturbatur: & dicitur *instantis, vel prope futuri mali*, quia ea, quæ nimium remota sunt, non timentur, & nō perturbant mētem, vt patet de morte: scimus enim nos morituros; sed quia mors non est in ianuis (vt dici solet) de illa parum, aut nihil curamus. *Metus quid sit.*

Quando iste metus dicatur cadens in constantem virum, arbitrio Iudicis relinquēdum est, iuxta *glossam communiter receptam in l. interpositas*, 13. *in verbo, cruciatum, vbi Ias. C. de transact. & in d. cap. cum dilectus. Decius in d. l. in omnibus causis pro facto, num.* 7. *ff. de reg. iuris. Bart. in l. de pupillo*, 5. §. *si quis ipsi prætori, in* 8. *q. ff. de noui operis nunciat. Bald. in l. si quis in hoc genus*, 10. *C. de Episcopis, & cler. vers. adde tamen vnum. Couarruu. loc. cit. num.* 7. *Metus grauis determinatio relinquitur arbitrio Iudicis.*

Iudex enim considerabit qualitatem incutientis vim, an sit potens, & solitus minas exequi, & sæuire cōtra inobedientes, ex tali vi iustus nasci-

tur metus. *cap. conuenior, in verbo, morere, 23. q. 8. Io. And. & Panorm. in c. fin. qui cleric. vel vouen, &c. Bart. in l. metum, 9. C. de his quæ vi metusque causa.* Considerabit etiam qualitatem personæ, cui incutitur metus; nam difficilius iste metus incutitur viro, quã fœminæ, in qua à natura minor animi vigor, corporisque fortitudo inest; & ideò minor metus excusat fœminam, quã virum. *Glossa in l. 1. C. vnde vi, & in d. c. cum locum, verbo metus, vbi Panorm. de sponsal. Innocent. & Panor. in c. cum dilectus cit. Decius in c. fin. de appellat. & in d. l. in omnibus causis, ff. de reg. iur. n. 3. Couar. loc. supra cit. n. 9.*

Grauior metus in viro quam in fœmina requiritur.

Et quod dicitur de fœmina, dicendum est etiam de iuuenibus, alijsque personis, quę solum nomen viri habent.

Ordo Sacer impedit.

Ordo sacer est nonum impedimentum; nam qui sacris ordinibus, vel aliquo eorum initiatur, solemniter obligatur ad castitatem seruandam, & si intentat matrimonium contrahere, non solum contrahit nulliter. *cap. 1. & 2. qui cleric. vel vouen. cap. vnic. de voto in 6. c. Presbyteris dist. 27. cap. placuit, & cap. erubescant, distinct. 32. Concil. Tridentin. sess. 24. canon. 9.* Verum etiam excommunicationem incurrit. *clement. vnica de consang. & affinit.* Vide *Couarr. loc. cit. §. 3. cap. 6. Nauar. c. 25. n. 120. Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 31 & alios communiter.*

Ligamen.

Decimum impedimentum est *Ligamen*, hoc est, aliud matrimonium contractũ per verba de præsenti: eo enim durante non potest aliud contrahi. *cap. licet, 3. de sponsa duorũ. d. c. gaudemus, de diuortijs. c. si virgo, 34. q. 2. c. inquisitioni, 44. de sent. excommunic.* Nemo enim potest habere plures vxores, vel vna mulier plures maritos vno eodẽque tempore, vt supra probauimus, & hoc tam de iure naturæ, quàm diuino; nam vna res vni tradita non potest amplius alteri tradi: ita corpus per matrimonium vni traditum, alteri tradi nequit. *Matthæi 19.* vbi dicitur, *mœchari, qui dimissa vxore sua, aliam ducit:* ergo multò magis mœchabitur, qui duas vxores insimul retinebit.

Publica honestas.

Vndecimum impedimentum est *Iustitia publicæ honestis. text. in c. iuuenis, 3. cap. ad audientiam, 4. vbi glos. de spons. Concil. Trident. sess. 24. cap. 3. de reformatione matrim.* Hoc impedimentum est inductum ab Ecclesia propter honestatem duntaxat, vt bene notauit *Panor. in d. cap. iuuenis, num. 4. de spons.* quia quandoque oriebantur graues ini-

inimicitiæ inter consanguineos, cùm vni desponsatam alius consanguineorum quærebat ducere in vxorem; & quia huiusmodi inductionis solum causa fuit honestas, & decentia, ideò appellatur impedimentũ iustitiæ publicæ honestatis, id est debitum honestati publicæ, vel honorifico vniuscuiusque statui.

Communiter describitur, quòd sit *propinquitas ex sponsalibus proueniens, ab institutione Ecclesiæ propter eius honestatem, cap. continebatur, 6. de desponsat. impub. & d. c. iuuenis*.

Oritur ex sponsalibus validis, & ex matrimonio rato, & non consummato. *cap. 1. de sponsalibus in 6. Panorm. in cap. sponsam*, 8. *num. 2. de spons.* & non excedit primum gradum, iuxta *Concil. Trident. loc. cit.* Honestum enim est, vt frater cum illa, quæ fratris sponsa fuit, etiam fratre præmortuo, minime cõtrahat matrimonium. Istud impedimentum fuit restrictum solum ad primum gradum, quia in alijs gradibus non potest obseruari absque dispendio. Pius Quintus in sua Constitutione, quæ incipit, *Ad Romanum spectat Pontificem*, declarat hoc impedimentum iustitiæ publicæ honestatis, intelligi secundum mentem Concilij prædicti, prout prouenit ex sponsalibus, non autem ex matrimonio per verba de præsenti contracto: nam prout prouenit ex huiusmodi matrimonio, extenditur vsque ad quartum gradum inclusiuè; & super hoc nihil innouauit Concilium Tridentinũ. Et ideò obseruandum ius antiquum, quo huiusmodi impedimentum extenditur vsque ad quartum gradum. *cap. sponsam*, 8. *de sponsal. & cap. accessit*, 5. *de despons. impub.* Si sponsalia fiant sub conditione, & antequam adimpleatur conditio, vel præmoriatur vnus coniugum, vel dissoluantur sponsalia; nullum inde consurgit impedimentum. *cap. vnico, de sponsal. in 6. §. fin. Couarruuias part. 2. cap. 6. §. 2. num. 4.* Et ratio est, quia non adest consensus ob non impletam conditionem, & deficiente consensu deficit etiam validitas spõsaliorum. *d. §. fin.* nec possunt propriè appellari sponsalia, vt bene notauit *glossa in d. cap. vnico, in verb. præsenti*.

Duodecimum impedimentum est *Affinitas*, quæ à *sancto Thoma in 4. distinct.* 41. *quæst. 1. artic. 1. quodlib. 1.* appellatur *amicitia per carnis cõiunctionem contracta*: Nam amicitia quædam naturalis in communicatione naturali *Affinitas.*

fundatur, quæ duobus modis fit, 8. *Ethic.* vno modo per carnis propagationem, & appellatur *consanguinitas*, ex eo quod tali vinculo coniuncti sunt participes eiusdem radicis, & sanguinis. Alio modo per carnis coniunctionem ad carnis propagationem ordinatam, & appellatur *affinitas*, quia persona coniuncta per carnalem copulam non est particeps eiusdem radicis, & sanguinis, sed quasi extrinsecùs adiuncta est, scilicet a finibus extrinsecè adueniens; per nuptias enim duæ cognationes, quæ diuersæ sunt, copulantur. *l. non facilè*, 4. §. *affines*, *ff. de gradib. affinit.* & ideo a Doctoribus communiter definitur quod sit *personarum proximitas ex coitu proueniens*.

Et hæc affinitas contrahitur cum consanguineis tantum cogniti, vel cognitæ. *c. discretionem*, 6. *c. fraternitati*, 7. *cum sequent. de eo, qui cognouit consang. suæ vxoris*. *c. æqualiter*, *et c. sane consanguinitas*, 35 *q*. 3. Non autem contrahitur cum affinibus cogniti, vel cognitæ. *Rebuff. in additionibus ad regulas Cancellariæ reg.* 50. *de dispens. in gradibus consang. vers. vel affinitas*. Nam affinitas non parit affinitatem. *cap. quod super his* 5. *& cap. non debet*, 8. *de consang. & affin. Goffred. in sum. tit. de consang. & affin. num.* 10. & sic fuit statutum in Concilio generali Lateranensi.

Affinitas non parit affinitatem.

Secundo, insurgit tam ex copula voluntaria, quàm violenta. *d. cap. discretionem*, *cap. de affinitate*, 35. *q*. 5.

Tertio, ex copula coniugali. *cap.* 1. *& d. c. quod super his de consang. & affinit.* Ac etiam ex copula fornicaria. *c.* 1. *&* 2. *de eo qui cognouit consanguin. vxoris suæ*, *vbi DD.* cum hac tamen differentia, quòd affinitas proueniens a copula licita, extẽditur vsque ad quartum gradum inclusiuè. *d. cap. non debet*, *de consang. & affin.* Proueniens verò ex copula illicita, & fornicaria, extenditur, & impedit vsque ad secũdum gradum inclusiuè. *Conc. Trid. sess.* 24. *de reformat. matrimonij*, *cap.* 4. *Pius V. in sua constit. quæ incipit*, *ad Romanum Pontificem*, *sub data*. 4. *Kalen. Decemb.* 1566.

Vt autem insurgat hæc affinitas, plura requiruntur. Primò, vt copula sequatur intra vas naturale. *cap. extraordinaria*, 35. *q*. 3. *vbi glossa in verbo*, *impedire*, *& in cap. nullum*, *verbo*, *vnitatem*, 35. *q*. 3. Secundo, quod vir seminet; non enim sufficit quod mulier seminet. *Tolet. in summ. lib.* 7. *cap.* 15. Tertio, quod seminet intra vas naturale mulieris. *cap. lex diuina*, 27. *q*. 2. *& d. c.* ex-

Ad affinitatem inducendam, quæ requirantur.

extraordinaria; aliàs cùm non fiat sanguinis commixtio, non possunt dici vir & mulier, quod sint facti vna caro, ex qua vnione solum insurgere potest affinitatis huius ratio, vt ex supradictis textibus probatur. *S.Tho. in 4. dist. 42. q. vnica art. 1. quæstiuncula 3. in corpore, & quæstiuncula 4. ad 2. Guilielmus Parisiensis lib. de Sacram. tit. de matrimonio, cap. 30. Valentia, 4 part. disp. 10. quæst. 5. puncto tertio, vbi de affinitate in initio. Sanchez de matrimonio lib. 7. disp. 64. nu. 8. qui quamplurimos alios citat*. Et aduerte quòd necessarium est ad contrahendam huiusmodi affinitatem, vt virile semen subintret in vas fœmineum; & quocunque modo intret, vel per attractionem matricis, vel per artem Dæmonis, satis est ad inducendam huiusmodi affinitatem, vt bene notauit *Sanchez loc. cit. n. 15*. quia sic verè fit sanguinis commixtio, & vir, & mulier fiunt vna caro.

Impotentia coeundi. *Impotentia coeundi*, est decimumtertium impedimentum, quod proueniens impedit, & dirimit matrimonium. *cap. 1. cap. 2. & c. 3. de frigid. & malefic.* Hæc impotentia duplex est, naturalis vna, & alia accidentalis, & vtraque est perpetua, vel temporanea. Impotentia naturalis triplici ex causa prouenire potest, videlicet ex frigiditate in viro. *cap. 1. de frigid. & malefic. cap. quod autem, & c. requisisti 33. quæst. 1.* Ex arctatione, vel alio instrumenti impedimento a natura contracto in muliere. *c. 3. & c. fraternitatis, 6. de frigid. & malefic.*

Demum ex defectu ætatis in vtroque. *c. attestationes 10. & cap. litteras, 4. de desponsat. impub.*

Accidentalis autem impotentia prouenit ex maleficio. *c. si per sortiarias, 33. q. 1. vbi glossa, & Panor. in cap. fin. n. 1. de frigid. & malefic. Hostien. in sum. eodem tit. nu. 9.* Vel ex sectione, vel castratione. *cap. quod sedem, 2. de frig. & mal. vbi glossa in verbo, impotentes.*

Impotentia perpetua est frigiditas. *cap. 1. cap. laudabilem, 5. & c. litteræ, 7. de frigid. & malef. c. 1. & 2. 33. q. 1.* & hæc impedit, & dirimit matrimonium.

Idemque operatur arctatio, cui opere Medicorum subueniri nequit saltem absque vitę periculo. *d. c. ex litteris, & c. fraternitatis, de frigid. & mal. vbi Panor. et DD. communiter.*

Sectio, seu castratio præueniens matrimonium etiam impedit & dirimit. *d. c. quod sedem, vbi glossa. l. si serua, 40. §. spadoni, ff. de iure dotium.* Secus verò si subsequatur, nã nul-

nullum impedimẽtum superueniens matrimonio legitimè contracto, illud dirimit. *c. hi qui*, 31.*q*.7.*& cap. si quis vxorem*, 32.*q*.5. *Panor. in d.c. ex litteris, de frigid. & malef. nu*.3. Præter Religionis ingressum ante copulam. *cap. ex parte* 9. *& cap. ex publico*, 7. *de conuers. coniug*.

Temporalis verò impotentia est pueritia, qua durante impeditur, & dirimitur matrimonium. *d. c. quod sedem*, *& toto tit. de desponsat. impuber*.

Arctatio, cui ope medicorum absque periculo vitæ subueniri potest, & Maleficiũ ad tempus, non impediunt, neque dirimũt matrimonium. *dictis c. ex litteris*, *& c. fraternitatis. Panor. in c. litteræ*, 7. *de frigid. & malef. nu*.9. *& Innoc. ibidem*. *S. Thom. in* 4. *sentent. dist*. 34. *q*.1. *art*.3. *Goffred. in sum. tit. de frigid. & malef. n*.3. *Hostien. in sum. tit. de frigidis. & malefic. num*.9.

Conditio quãdo impediat. *Conditio* est decimumquartum impedimentum: sed non omnis conditio impedit & dirimit, sed solum illa, quæ est contra substantiam, & bonum matrimonij. *c. solet*, *& c. aliquando*, 32.*q*.2. *Couarr*. 2. *par. cap*.3. §. 1. *nu*. 1. *& DD. comm*.

Bona matrimonii, quæ sint. Bona matrimonij sunt tria, proles, fidelitas, seu fides, & indissolubilitas. *cap. omne*, 27. *q*.2. Si ponatur cõditio contra aliquod istorum bonorum; videlicet, contraho tecum si sumpseris potiones ad sterilitatem inducendam; vel si promiseris copiam tui his, quos tibi assignauero; vel, contraho matrimonium tecũ ad annos; matrimonium est nullum. Vide *prædictos canones*, *& ibi glossas. c. fin. de condit. apposit. vbi glos. & DD. comm*. quia remota substantia remouetur & ipse actus: nam sine substantia nihil potest subsistere. *d. cap. tua, de spnsal*.

Substantia matrimonij cõsistit in consensu ad societatẽ coniugalẽ, sub quo includitur tacite consensus mutuus ad vinculũ perpetui coniugii, ad fidẽ seruandã, ad prolem suscipiendam. *Cou*. 2. *p. c*.3. §. 1. *n*. 1. *Sylu. verb. matrimoniũ*, 4. *n*.6.

Aduertendum est, quod ad hoc vt conditio contra substãtiam matrimonii, illud impediat & dirimat, necesse est vt exprimatur; nam si retineatur solum in mente, non vitiat matrimonium, quia causa proxima, & immediata matrimonii est consensus signis expressus sensibilibus: vnde nec signa sine consensu, nec consensus sine signis operatur, & conditio in mente retenta nihil operatur. *Syluest. loc. cit. num*.6. *in fine*.

Secundò aduertendum est, quod conditiò, licet honesta, si

si sit contra substantiam matrimonij, illud omninò vitiat; vt si quis contrahat cum cõditione expressa, si secum viuat in perpetua castitate, vel continentia; vel si contracto matrimonio profiteatur Religionem. *d.c. fin. vbi DD.*

Nec obijci potest matrimonium B. Virginis Mariæ, cum S. Ioseph contractum. Nam Beatiss. Maria Virgo licet certa esset, ex diuina reuelatione, quod post matrimonium perseueratura adhuc esset perpetua in virginitate, attamen non hanc apposuit conditionem, sed contraxit matrimonium simpliciter, suo tamen libero consensu non consensit in actum copulæ, sed in potentiam; qui consensus, non est contrarius voto Virginitatis, & sufficit ad validitatem matrimonij. *c. Beata, 27. q. 2. vbi glossa. S. Thom. in 4. dist. 30. q. 2. art. 1. Couar. par. 2. c. 3. §. 1. nu. 4. in fine.*

Si autem matrimonium contrahatur sub quacunque alia conditione turpi, quæ tamen non sit contra substantiã matrimonij, vel sub conditione impossibili, tenet matrimonium, & huiusmodi conditiones habentur pro non appositis. *c. 1. vbi gloss. in verb. frangatur, & c. vlt. de condit. appos. Panorm. in d. c. 1. num. 1. & in d. c. finali, num. 3.* & hoc est speciale in matrimonio. *Hostien. in summa, de condit. apposit. nu. 12. Panorm. & DD. communiter in d. c. fin.*

De alijs honestis conditionibus, quæ possent in matrimonij contractu licitè apponi, parum curandum nobis hodie est; quia cùm à Concilio Tridentino sublata sint clandestina matrimonia, vix dari possunt, ista matrimonia conditionata, & si darentur, suspenderentur vsque ad impletam conditionem, *c. super eo, 5. & c. per tuas, 6. de condit. apposit.*

Decimumquintum & vltimum impedimentum dirimens matrimoniũ, est *Raptus*: cùm enim rapitur fæmina è domo parentum, aut eorum sub quorum cura est, ipsis inuitis, non potest raptor matrimonium cum illa contrahere toto illo tempore, quo erit in potestate raptoris; & si contrahit, matrimonium erit nullũ, sed debet constitui in loco libero; & tunc si vult, potest de nouo cum illo contrahere. *Concil. Trident. de reformat. matrim. c. 6. sess. 24.* *Raptus impedit.*

Nec assensus, & voluntas raptæ prodest raptori, quia velle mulieri inducitur ab insidijs illius nequissimi hominis, qui rapinam meditatur. *l. vnica. C. de rapt. virg. circa finem.* Et qui volentem retinet,

net, dummodo circumuentũ, non sine dolo retinet. *l.3. §. si quis volentem, ff. de lib. hom. exhib. glos. in c. raptores, in verbo, volentes, 36. q. 2.*

Raptus autem mulierum non solum fit in virgine, verũ etiã in vidua, & sanctimoniali. *d. c. raptores, & c. si quis non dicam, 36. q. 2. Goffred. in sum. tit. de raptor. & incendiarijs.* Ac etiam in omnibus alijs mulieribus tam honestis, quàm inhonestis, quæ violenter induci possunt ad matrimoniũ: ita *Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 13. nu. 14. Less. lib. 4. c. 3. de speciebus luxuriæ, dub. 9. num. 68. ver. tertio raptor. Tolet. in sum. lib. 7. c. 17. nu. 3.*

Raptus, vt impediat, quæ requirat.

Vt autem raptus pariat impedimentum dirimens iuxta Decretum *Concil. Trid. sess. 24 c. 6. de reform. matrim.* tres qualitates necessario habere debet; primo violentiam, quæ non solum infertur armis, verum etiam solicitationibus, & odiosis, ac dolosis persuasionibus. *l. vnica. §. si quidem. C. de rapt. virg. vbi Bald. n. 20. Sãch. de matrim. lib. 7. disp. 12. nu. 3. 8. & 11.* Rapere enim est idẽ ac cum vi, & impetu auferre. *l. 3. ff. de incendio, & ruina, quæ violentia.* Vel fiat ipsi raptæ. *d. l. vnica, & c. cum causa, 6. vbi Panorm. de rapor. S. Th. 2. 2. q. 154. art. 7. Turrecrem. in c. raptus, 36. q. 1. nu. 3. Nauarr. in sum. c. 16. n. 3. Sanch. loc. cit. n. 8. & ita communiter omnes Doctores sentiunt.* Vel raptæ parentibus. *c. 2. §. cum ergo, 36 q. 1. c. de raptoribus, §. ex hac authoritate, eadem 36. quæst. 1 Goffr. in sum. tit. de raptor. n. 4. in fine. Tol. in sum. lib. 7. c. 17. num. 3.*

Vel raptæ tutoribus, fratribus, & c. quamdiu sub eorum custodia existit. *Sanch. Goffr. Tolet. loc. cit.* Siue vtrisque. *d. c. 2. §. cum ergo & d. c. de raptoribus. Goffred. & alij supra citat.*

Secundo requiritur, quod iste raptus fiat, vel ratione matrimonij contrahendi, vel causa explendæ libidinis. *Eman. Sa, verb. matrimonium, nu. 9.* Et ratio est, quia quacunque ex duabus prædictis causis fiat, est verus raptus. *Less. lib. 4. c. 3. de speciebus luxuriæ dub. 9. n. 66. vers. raptus proprie. Nauar. tom. 1. c. 16. n. 3. Hostien. in sum. de pœnis raptorum corporum, num. 1.* Et si aliam ob causam fiat, non est propriè raptus, sed plagium. *l. quoniã, 7. C. ad leg. Flau. de plagiarijs.*

Mens Concilij Trideñ. fuit consulere honestati, & libertati matrimonij, quibus officit raptus propriè sumptus, & nõ video cur debeat solũ restringi ad raptum ex causa matrimonij factum: nam si contineretur in dicto decreto solũ

raptus

raptus causa matrimonij fa-ctus, facillimè elideretur finis Concilij sub pallio libidinis; quid enim probabilius, & facilius de humana carne credi potest, quàm libido? Et cùm intentio hominis soli Deo perspecta sit, cum hac limitatione, & restrictione, vnicuique aperitur via ad cōtrahēdum matrimonium cōtra huiusmodi Concilij Decretum; quæ tamen via non solum dilatari, sed claudi omninò debet, cùm sit adeo perniciosa Reipublicæ humanæ, & Christianæ.

Secundo, Decretū Cōcilij loquitur generaliter de raptoribus: ergo generaliter debet intelligi, & non solū restringi ad raptum causa matrimonij, cùm nulla sit necessitas talis restrictionis, imò talis limitatio est valdè nociua publicæ honestati, quā omnia iura tāti fecerunt, vt tam graues imposuerint eius violatoribus pœnas; Iura enim ciuilia imposuerunt libertatis, bonorum omnium, ac vitæ ipsius priuationem raptoribus, eiusque fautoribus. *l. vnica. C. de rap. virg.* Canones verò excommunicationem & perpetuam infamiæ notam, vt ex *Concil. Trid. & alijs can. supracit.* & ideò bonū publicum in re tā magni momenti omnibus viribus est conseruandum.

Tertiò, recedere à propria significatione verborum legis, vel statuti, nō est licitum, *l. 1. §. is, qui nauem. ff. de exercit. l. non aliter, 67. ff. de legat. 3. Bart. in l. non dubium, 5. C. de legibus.* Ergo in prædicti Decreti Concilij Trid. intelligentia non debemus recedere à propria raptus significatione; quæ proprie includit raptum ad libidinem explendam.

Quartò, cùm sanct. mem. Pius V. suis particularibus Cōstitutionibus plura Decreta Concilij Trid. super reformatione matrimonij edita, è quibus aliquod exoriri posset dubium, declarauerit, quo sensu intelligenda essent, & de raptu nullum fecerit verbum; signum est, quod illum reliquerit in proprio suo significatu, sicut reliquit Concilium Trid. Et eo magis ad hoc credendum inducor ex verbis *dictæ sessionis, 24. cap. 2. in principio, de reformatione matrimonij*, vbi præmittitur, quod intentio Patrum Concilij, in huiusmodi reformatione matrimonij nō alia fuerit, quàm remouere multitudinem prohibitionum & minuere impedimenta, & ad tollendā ignorantiā, instruere, in quibus casibus sit prohibitio; & ad hūc effectum vtuntur tot tantisq; distinctionibus & limitationibus; de raptu verò, qui non

vnum

vnum in Legibus,& sacris Canonibus sensum habet, simpliciter & generalibus verbis loquuti sunt. Ex hoc inferendū necesse est, iuribus antiquis in eo solum derogatum fuisse, quòd inter raptorem, & raptam possit esse matrimoniū, si post constitutam raptam in loco tuto, ipsa in matrimonium huiusmodi cōsenserit, alia relinquendo in suo robore, & propria significatione.

Præterea, si bene perpendantur postrema verba Concilij *in dicto cap. 6.* indubitanter colligetur mentem Concilii fuisse, comprehendere raptum tam ad libidinem explendam, quàm ad matrimonium contrahendum perpetratum. Cùm enim in principio dixisset quod rapta in loco tuto, & libero constituatur, deinde subdit: *Teneatur præterea raptor mulierem raptam, siue eam in vxorem duxerit, siue non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare:* quæ verba sub alternatiua posita indicant, quòd siue raptus fiat intuitu matrimonij, siue non, rapta de bonis raptoris dotari debet. Nam quis post raptum, & per eum post denigratam raptæ honestatem & famam, vellet impedire ne raptor matrimonium cum rapta contrahat, si raptor ad hunc effectum scelus hoc perpetrauerit? nec rapta contradictura est, quia hoc tantum titulo deperditus honor reintegratur. Nec raptor præsumendus est mutasse matrimonij desiderium, quo tam vehementer ad huiusmodi raptum impulsus fuit; & si recuset matrimonium contrahere, præsumendum est, raptum fuisse perpetratum ad libidinem explendam, & non ad matrimonium contrahendum. Et cùm pœna dotandi raptam imponatur raptori, siue eam ducat in vxorem, siue non ducat, signum est, quod *in dicto cap. 6.* sub nomine raptus comprehendatur tam raptus causa matrimonij, quàm raptus causa libidinis explendæ; quod etiam authores contrariæ opinionis admittunt, vt opinionem probabilem, dicendo, suam esse probabiliorem.

Tertio, ad huiusmodi raptum requiritur, quod mulier abducatur de domo parentum, vel tutorum, & traducatur in alium locum. *cap. lex illa, 36. quæst. 1. Bald. in l. sed eximendi, 4. paulo post principium, vers. in glossa, quæ incipit, ff. ne quis eum qui in ius vocatus est, vi exim. Hostien. loc. cit. de pœnis raptorum*

cor-

corporum, num. 1. Sanchez de matrimon. lib. 7. disputat. 12. num. 20.

Limita tamen hoc, quando ista abductio sit propriè sponsæ: si enim abducatur propria sponsa, non est raptus, licet fiat inuitis parentibus, quia raptus reatus in propria sponsa non cadit. *d. cap. cum causa, 6. vbi DD. de raptor. Corneus cons. 80. num. 7. & 8. vol. 2.*

Raptus in propria sponsa non est.

His sic breuiter præmissis, deueniamus ad declarationem clausularum primæ formulæ matrimonialis.

Fr. Antonius Barberinus, etc.

Non est opus hìc repetere, quæ abundanter in principio primæ partis huius praxis attuli de Maiori Pœnitentiario, & de qualitatibus, quas necessario habere debet exequutor; videlicet, quòd sit Magister in Theologia, vel Decretorum Doctor, & quod huiusmodi gradus habuerit in aliqua publica Academia, & quod non sufficiat gradus Licẽtiatus, vel lectura dictarum facultatum Theologię, vel Canonum in aliqua publica Vniuersitate; demum quod debeat esse confessor approbatus ab Ordinario loci, in quo exequi litteras dispensationis huiusmodi oportet: & ideo lectorem remitto ad ea, quæ ibi diximus.

Ex parte latoris præsentium, &c. Narrantur hìc duo impedimenta oratoris culpa contracta, videlicet affinitas ex copula illicita proueniens, & incestus superadditus, dum duas sorores germanas cognouit carnaliter; & deinde subditur tertius excessus, consistens in publico tractatu matrimonij, non obstantibus impedimentis huiusmodi, inito, sub bona tamen fide, hoc est sub ignorantia impedimenti ex præmissis exorti.

Hìc plura necessariò animaduertenda sunt: primo, quid sit bona fides: secundo, quænam bona fides requiratur in casu nostro; tertio, an si deficiat ista bona fides, reddatur gratia inualida: quarto, quid sit tractatus. quinto, quisnam tractatus requiratur in nostro casu.

Quo ad primum, animaduertendum est, fidem multiplici in sensu accipi, primo pro pactione quadam quantũcunque simplici de futuro; atque ita recedens a pactis ac promissione, dicitur recedere a fide. *cap. 1. de sponsa duorũ, vbi Panor. num. 1. l. 1. ff. de pactis, & l. 1. ff. de const. pecun.*

Fides multipliciter modo sumitur, & primo pro pactione.

Secundo, Accipitur pro consensu de præsenti. *d. cap. 1. vbi Panor.* & iste consensus similitudinarie appellatur fides ad instar religionis fidei,

Secundo pro consensu de præsenti.

quia

quia ſicut ibi credimus, quod non videmus, ita in promiſſione credo te facturum, quod promiſiſti; vnde dicitur fides, quia fiet; vel à firmitate.

Tertio, pro credulitate. Tertio, Accipitur pro credulitate, & ideò ille dicitur poſſeſſor bonæ fidei, qui rem, quam poſſidet, exiſtimat & credit eſſe ſuam. *l. bona fides*, 58. *ff. de reg. iuris. l. bonæ fidei*, 48. *ff. de acquiren. rerum dominio. l. ſi exiſtimans* 3. *ff. pro ſoluto. l. ſi quis fundum* 43. *ff. de acquirenda poſſeſſ. Bart. in l. furtum*, 37. *§. fundi, ff. de vſu cap. Couarr. in relect. regulæ poſſeſſor malæ fidei, parte* 2. *§.* 7. *n.* 1.

Credulitas eſt duplex. Credulitas autem eſt duplex, vna, quæ leuibus fulcitur rationibus, & ideo eſt leuis, & appellatur ſuſpicio: altera verò probabilis, & diſcreta, quia in probabili fundatur ratione, & appellatur opinio, vt notatur in *cap. inquiſitioni*, 44. *de ſent. excomm.*

Quarto, pro neſcientia. Quarto, Accipitur pro ingnorantia, & neſciētia, & ideo dicitur ille aliquid bona fide facere, qui prohibitionem ignorans facit contra illam, *c.* 2. *de cognat. ſpirit. cap. ſi virgo*, 34. *q.* 1. *l. bonæ fidei* 110. *ff. de verb. ſignif. l. qui cum vno*, 4. *in fine, ff. de re militari. Panor. in cap. conſultationibus*, 19. *num.* 5. *de iure patronatus, & in cap. vlt. de præſcript. num.* 39. *Couarr. loc. cit. num.* 1.

Quinto, pro errore iuris. Quinto, Accipitur pro errore iuris: error enim iuris bonam fidem inducit ſufficientem ad eam præſcriptionem, quæ titulum minimè requirit, ſed ſolam bonam fidem. *cap. prouenit*, 4. *de empt. & vendit. vbi Imola. Paulus de Caſtro conſ.* 44. *col. penult. Bart. in l. Celſus*, 27. *ff. de vſucap. col. pen. Couarr. loc. cit. num.* 5. *verſ. ſecunda concluſio.*

Error quid ſit. Error autem eſt ignorantia eorum, quæ quis debet ſcire, cum approbatione contrarij. ita *S. Tho in q.* 8. *de malo art.* 1. *ad* 7.

Sexto, pro fide Catholica. Sexto demum, & proprie, accipitur pro fide Catholica, prout eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium.

Fides ergo quocunque ex prædictis modis accipiatur, dicenda eſt bona, cùm legi diuinæ, aut humanæ eſt conformis, vel ab eiſdem admittitur ad tollendum dolum, vel culpam, ac minuendam pœnam, vt colligitur ex iuribus & DD. ſupra citat.

Ignorantia bonam fidem inducit. In noſtro caſu fides bona accipitur prout dicit credulitatem probabilem, vel ignorantiam iuris, vel facti, excludentem dolum; in rebus enim, quæ male geruntur, ſcientia arguit de dolo, ignorantia verò bonam fidem inducit. *cap. ſi compromiſſarius*, 37. *§. ſi*

verò

verò, de election.in 6.l. si quis adulterium, 33.§.1.*vbi glos. in verbo nouerca, ff. ad legem Iuliam de adult.* quia bona fides est contraria fraudi, & dolo, *l.ea verò*, 3.§.*fin. ff. pro socio.* ergo in rebus, quæ malè geruntur, si non adest dolus, & fraus, adest bona fides: sed in rebus, quæ ex ignorantia malè aguntur, non adest dolus, neque fraus, ergo adest bona fides; ergo ignorantia inducit bonam fidem, & scientia malæ actionis inducit dolum, & fraudem in eo, qui scienter male agit.

Ista autem bona fides si non adest in casu nostro, etiamsi falsa allegetur, attamen existimo non reddere nullam, & inualidam gratiam; quia bona fides non est causa finalis, propter quam conceditur ista gratia, sed solum causa impulsiua: per hanc enim M.P. solummodo mouetur ad facilius, non autem ad simpliciter concedendam dispensationem huiusmodi, cuius partiales causæ finales solum sunt, impedimentum esse occultum, & imminere scandalum, vt ex infra dicendis clarius apparebit.

Causa impulsiua non vitiat gratiā si falsa sit. Falsitas autem causæ impulsiuæ non vitiat gratiam. *glos. & DD. in cap. post translationem*, 11. *de renunt. & in cap. cum cessante*, 60. *de appellat, Couarr. lib.* 1. *variarum resolutionum c.*20.*n.*1. *vers. contrariam sententiam*, & aliàs probauimus in prima huius praxis parte: nam cessante causa impulsiua, non cessat gratia, cuius fuit causa impulsiua. *l.*1.§. *sexum, ff. de postulando, glos. in d.c. post translationem, verbo, cessante, de renuntiat. & in cap. cupientes*, 16. *in verbo, periculosis, de elect. in 6. Decius in d.c. cum cessante, de appellat. Dynus in regula decet, in fin. de reg. iuris. Bald. & alij in l. generaliter*, 50. *C. de Episcopis, & cler.* Ergo parum facit ad validitatem gratiæ, falsitas causæ impulsiuæ.

Quod etiā constat ex stylo, & cōsuetudine M.P. mihi optime notis; nam siue pręcedat bona, siue mala fides, nihilominus dispensatio huiusmodi nemini negatur, vt tollantur, quātum fieri potest, scandala a mūdo; grauior quidem pęnitentia mandatur imponenda illi qui mala fide se gessit, arbitrio executoris; quæ tamen maior grauitas pœnitentiæ ex facto ipso indicatur; & ideo eius omissio in litteris parum, aut nihil nocet; immo grauitas pœnitentię iniungendę subintelligitur in ijs subsequentibus verbis, *iniuncta inde ei pro tam enormis, &c.*

Ad quartum dico, duplicem esse speciem tractatuum, propriam scilicet, & meta- *Tractatuum duplex species.*

 pho-

phoricam; propria est, quæ versatur circa res materiales, & sensui tactus subiectas, & appellatur tractatio rei materialis; vt cùm manu tractatur calamus, pileus, &c.

Metaphorica verò est illa, quæ versatur circa res immateriales, & minimè sensui subiectas, quales sunt voluntatis affectus, & effectus, vt cùm voce, vel alio sensibili signo illos alicui exprimo, & declaro; & appellatur propriè discursus de actibus, & colloquium de rebus gestis, seu gerendis, sed translatiue, ac metaphorice appellatur tractatus. *cap. fin. vbi Decius, num. 7. de probat. & idem Decius consil. 463. num. 1. Bald. in c. final. de iuram. calumniæ.*

Tractatus isto secundo modo acceptus facit ad nostrum propositum, & in hoc sensu accipitur in omnibus formulis matrimonialium dispensationum; cum hac tamen limitatione, vt sit tractatus completus, & perfectus, & non inanis, & vanus absque conclusione; tractatus enim tota vis consistit in conclusione. *l. si voluntatem, 8. C. de rescind. vendition. vbi Bald. & Decius locis præ cit.* & nisi adsit talis vis ex conclusione, frustra allegatur, vt DD. loco cit. vnanimiter asserunt, & nos infra ostendemus.

Tractatus vis in conclusione.

Cùm autem, &c. Hìc allegantur causæ, propter quas petitur gratia: sed quia huiusmodi causæ discutientur in sequenti parte restrictiua, ideo omissa huiusmodi parte dispositiua, ad illam deueniamus.

Quatenus si est ita, &c. Hæc clausula est communis omnibus formulis, et importat veritatem præcedentium rerum narratarum, sed non æquè principaliter; nam primariò importat veritatem facti, quoad essentialia, et secundario quoad accidentalia, id est quoad circumstantias non necessarias: in nostro enim casu essentialia facti sunt, affinitas contracta, incestus, tractatus matrimonij, & scandalum imminens; accidentalia verò sunt bona fides, & similia: & ideò defectus in substantialibus vitiat gratiam, secus autem autẽ in accidentalibus. Vide quæ de huiusmodi clausulæ vi diximus in prima parte huius praxis, in prima formulà commutationis voti.

Dictum latorẽ, audita prius eius Sacramentali confessione, ab incestu, &c. Per istam clausulam conceditur facultas exequutori absoluendi latorem, nõ dico a fornicatione, & temerario ausu tractandi de matrimonio

nio contrahendo cum sorore mulieris a se carnaliter cognitæ, quia hanc facultatem quilibet confessor approbatus habet, sed ab incestu, qui solet ob tam proximiorem gradum reseruari Ordinarijs locorum, & hanc ob causam fit specialis illius mentio; nisi tamen velimus quod huic speciali mentioni occasionem dederit, maior eius enormitas.

Absoluas hac vice, *&c.* Quòd huiusmodi absolutio facienda sit in actu Sacramentalis confessionis tantum, non est dubitandi locus, quia ad hunc effectum præmissa fuit clausula illa, *audita Sacramentali confessione*, vt alias docuimus.

Iniuncta ei pro tam enormis libidinis excessu, *&c.* Cum delicta in nullo foro debeant impunita remanere, & quoties committuntur, toties debeant puniri. *cap. 1. de pœnis, & ibi Panor. glossa in l. quicunque*, 4. *C. de seruis fugit.* Ideò M. P. mandat hìc imponi pœnitentiam. Quomodo autem exequutor gerere se debeat in imponenda huiusmodi pœnitentia, colliget ex ipsiusmet M. P. verbis, si ea bene perpendet. Et primo illud verbum, *enormis*, quod idem est, ac extra normam, vel absque norma, hoc est, mensura, denotat, pœnitentiam non debere illam esse, quæ pro ordinarijs delictis imponitur, sed sicut delictum excedit ordinariam fragilitatis mensurã, ita pœnitentia ordinariam suam mensuram pœnæ excedere debet; nam in imponendis pœnis attendenda est qualitas delicti. *cap. Deus qui 8. vbi Panor. num. 1. de pœnitentia, & remissione, l. aut facta*, 16. *ff. de pœnis*.

In pœnis imponendis attendẽda sunt qualitates delicti, personæ causæ, temporis, loci, &c.

Qualitas personę delinquentis, hoc est eius dignitas; *cap. sanè* 11. *de officio delegati. cap. quisquis*, 2. *quæst.* 7. *cap. cum Beatus*, 45. *dist. cap.* 2. *de Apostatis*.

Eius nobilitas. *cap. qui contra Ecclesiæ pacem*, 24. *quæst.* 1. *l.* 1. *& l. in seruorum*, 10. *ff. de pœnis*. Vel eius ignobilitas; grauiora enim quoad sensum imponuntur ignobilibus, quam nobilibus. *d. cap. qui contra, vbi glossa verbo, ignobiles*.

Et ratio videtur esse, quia regulariter quælibet pœna etiam minima, multum coërcet animum nobilem, & honoratum, qui non est assuetus mulctis, & pœnis; quod secus est in ignobili. *Decius* tamen *in cap. nouit. num.* 4. *de iudic. vbi etiam n.* 45. *ex Bart. in l. capitalium*, §. *serui*, *ff. de pœnis*, affirmat plebeios diuites æquiparari nobilibus in pœnis imponendis.

Qualitas causæ, temporis, loci, *d.l.aut facta, cap. 1. de pœnitent. dist. 5. Goffred. in sum. tit. de pœnis, num. 11. in fine*. Nam hæc multum possunt augere, & minuere delicta. *Host. in sum. tit. de pœnitentia, & remiss. num. 60.*

Secundo, perpendendum est aliud verbum, *graui*, quod importat pondus, & excludit leuitatem; atque ita ista pœnitentia suo pondere premere debet delinquentem, vt delicti grauitatem in pœnitentiæ pondere sentiat, & agnoscat, eiusque metu humana coërceatur audacia.

Tertio, perpendendum est verbum, *salutari*, quòd, vt alias diximus in prima huius praxis parte, remedium ad salutem delinquenti esse debet.

Quarto demum est perpendenda ætas nostri temporis cum *Panor. in c. at si Clerici, 4. num. 34. de iudicijs*: nam textus *in cap. fraternitatis, 34. dist.* singulariter dicit, *quod ætas nostri temporis, quia non solum merita, sed etiam corpora defecerunt, censuram antiquorum canonum non patitur manere*: & ideò mitius est agendum, ne peccatores desperent, & vt pœnitentiæ admittantur, & peragantur.

His itaque bene perpensis, poterit exequutor imponere Ieiunium præcipuè; quia talis pœnitentia a sacris canonibus solet præscribi huiusmodi delinquentibus. *cap. accepisti, 2. de sponsa duorum, cap. placuit, & cap. hoc ipsum, §. hoc autem, 33. quæst. 2. Hostiens. in sum. de pœnitentia, & remissione, num. 60. §. qua pœna*. Nam ieiunium carnem macerat, & libidinem refrenat.

Eleemosynæ etiam possunt delinquenti, si diues sit, imponi, quia eleemosynis redimuntur peccata. *c. fin. dist. 82. & cap. Medicina, de pœnitentia dist. 1.*

Orationes, visitationes Ecclesiarum, & aliæ pœnitentiæ similes, arbitrio exequutoris possunt imponi. Quæ pœnitentiæ quamdiù durare debeant, arbitrio exequutoris relinquitur. *cap. mensuram de pœnitentia, distinctione 1.* quia apud Deum non tam valet mensura temporis, quàm doloris.

Et alijs, quæ fuerint de iure iniungenda, &c. Hoc est remotio occasionis proximè relapsus: nam occasiones peccandi sunt omninò extirpandæ, & refectio damni forsan illati occasione præfatorum excessuum, quia damna illata sunt omnino reficienda. *l. si liberetur, 10. C. de administrat. tuto.*

l. si

l. si proprietarius, 22. ff. de damno infecto.

Demum, est dictio taxatiua.

Demum, dummodo impedimentum, &c. Dictio, *demum,* est dictio taxatiua. *l. ita demum, 13. C. de procurat. l. ita demum, 36. ff. de recept. arbitr. Bald. consil. 208. n. 2. par. 4.* Et ideo taxat & limitat facultatē exequutori per huiusmodi litteras concessam, ad dispensandum cum latore earundem litterarum, quatenus impedimētum ex allegatis excessibus proueniens sit occultum, & periculum immineat reuelationis huiusmodi impedimēti, & scandalorum, & non aliàs. Quod magis probatur ex immediate subsequenti dictione, *dummodo*, quæ est dictio requirens de necessitate existere illud, cui adiungitur, vt dispositio possit sortiri suum effectum. *c. nullus ex consil. 62. de reg. iur. in 6. Io. Andr. in c. ex tuarum, 5. in verb. dummodo, de authoritate, & vsu pallij. Alexan. in l. 1. in princip. in 2. notabili, ff. ad l. falcidiam. Decius consil. 326. n. 3. tom. 1.*

Dūmodo est dictio requirens existentiam rei, cui adiungitur.

Atque ita ad hoc vt dispensandi facultas concessa suum sortiatur effectum, tria necessariò requiruntur; primò, vt impedimentum super quo dispensandum est, sit occultum. Secundò, vt sit periculum reuelationis illius. Tertiò, vt inde sequutura sint scandala.

Quo ad primum, quòd necessariò debeat esse occultum impedimentum, non video cur dubitari possit, cùm facultas dispensandi super impedimentis publicis matrimonialibus, sublata omninò sit M. P. per reformationem officij Pœnitentiariæ à sanctę mem. Pio huius nominis Papa Quinto factā: & ideò M. P. non potest maiorem facultatem exequutori concedere, quàm ipse habet, nemo enim plus iuris in alium transferre potest, quàm ipse in se habeat. *cap. nemo potest. 79. de regul. iur. in 6. cap. quod autem, 5. de Iurepatronatus, l. traditio, 20. ff. de acquir. rerum dominio, l. nemo plus, 55. vbi Decius, ff. de reg. iuris.*

Quid autem sit occultum, vide quæ abundāter diximus, dum egimus de publico, notorio, manifesto, famoso, & occulto: & ideò hic solum dico occultum esse illud, quod à nemine, vel à tam paucis scitur, vt neque sit notorium, neque manifestum, neque famosum. *Nauar. in c. 27. de irreg. num. 255. tom. 1.*

Periculum immineat reuelationis, &c. Secundò ex necessitate requiritur ad hoc, vt facultas presentis dispensationis subsistat, vt sit periculū

reuelandi impedimentum, nisi matrimonium subsequatur; hoc est, vt si recedatur à tractatu matrimonij iam concluso, & probabilis causa recessus huiusmodi assignari nequeat, vehementer quis suspicaturus sit aliquod occultum interesse impedimentum, & sic adhibitis desuper curiosis diligentijs, inuestigare posset causam primariam recessus à matrimonio aliàs concluso, atque ita detegatur impedimentum.

Periculum non importat necessitatem. Nota illud verbum, *periculum*, quod non importat omnimodam necessitatem, seu necessariam detectionem, sed solum probabilem, & moralem credulitatem ipsius detectionis: & hæc probabilitas futuræ reuelationis necessariò requiritur pro validitate huius dispensationis.

Et hinc aperte colligitur, in nostro casu tractatus matrimonij non debere esse simplicem discursum sine conclusione: nam à recessu simplicis discursus, & colloquij, quis potest arguere de impedimento occulto? Cùm, vt bene ait *Decius loc. cit.* & experientia docet, multa tractentur, quæ non fiunt; & ideò nemini afferre potest admirationem recessus à simplici tractatu, & colloquio.

Et scandalorum, &c. Tertiò, requiritur necessariò, vt periculũ scãdalorum etiam immineat: nam si ex reuelatione impedimenti nullũ subsequatur scandalum, quia videlicet agitur de personis forsan diffamatis in genere inhonestatum, ex quarum vita iam publice reprobata nullum nouum oriatur scandalum; cessabit facultas huiusmodi dispẽsationis, quia cessante causa dispensationis, cessare debet & ipsa dispensatio; cessante enim causa cessat etiã effectus inde proueniens. *d.c. cum cessante, de appellat. c. quod pro remedio,* 1. *q.* 7. *vbi glos. in verb. cessante. d. l. Titia,* 89.

Quod autem scandalum sit causa præsentis dispẽsationis,

Primo patet ex inspectione ipsius Breuis, in quo nullum aliud apparet motiuum dispensandi.

Scandalum est legitima causa dispensationis. Secundò, propter scandalum conceditur dispensatio. *c. quia circa,* 6. *vbi Panor. n.* 2. *de consang. & affinit. & c.* 2. *vbi etiam Panor. nu.* 7. *de noui operis nunc. Dec. in c. at si clerici,* 4. *§. de adulterijs, n.* 64. *de Iudic. Rom. conf.* 307. Scandali enim euitatio est legitima causa recedendi à dispositione iuris communis. *cap. non potest,* 23. *q.* 4. *Bart. in l.* 1. *col.* 3. *verf. vnum tamen scias, ff. de officio*

eius

eius, &c. Decius in c. prudentiam, 21. num. 55. de officio delegati. Quia scandalis est obuiandum. *Clem. 1. de officio Ordinarij, vbi glos. in verb. scandala. Panor. in c. consideraui-mus, 10. n. 5. de elect.*

Quid autem nomine scandalorum hoc loco intelligat M. P. verba ipsa demonstrant, nam ex reuelatione impedimenti, grauis oritur infamia dictarum mulierum, ac familiæ totius: ex infamia autem præsumitur scandalum. *c fin. de collusione detegen. cap. inter solicitudines, 10. de purgat. canonica, cap. Presbyter si à plebe, 2. q. 5. vbi infamia infertur ad scandalum. Decius in d. c. at si cleric. num. 70. cum sequent. de iudicijs.* Ex huiusmodi infamia subsequuntur regulariter contentiones, minæ, pugnæ &c. quæ etiam sunt scandala. *Fel. in c. nihil prodest, 2. num. 3. de præscript. Hostien. in sum. tit. de iur. patronat. n. 9.*

Nomine scandalorum quæ veniant.

Hic tres occurrunt difficultates. Primò, an necessariò requiratur ad validitatem huius dispensationis, vt vltra scandalum infamiæ, sequutura sint scandala contentionum, rixarum, &c. Dari enim potest casus, vt sit infamia, & non inde sequantur alia scandala, ob potentiam infamatoris, & impotentiam, vel timorem diffamatorum.

Secundò, an requiratur vt ista plura scandala differãt inter se specie, an verò sufficiat vt sint solum inter se diuersa diuersitate numerica.

Tertiò, quæ probationes admittendæ pro huiusmodi scandalis ad inducendam dispensationem præfatam.

Quo ad primam difficultatem respondeo: Posito quod in litteris M. P. pluralitas allegetur scandalorum, infamia solum delinquẽtium non sufficit ad dispensandum, quia infamia est vna ex condignis delinquentium pœnis. *c. cum dilectus, 2. §. fin. de ordin. cognit. l. infamia, 3. C. de decurionibus, lib. 10.* sed pœna non debet conuerti in beneficium delinquentium: nemini enim delictum afferre debet lucrũ. *l. siue hæreditaria, 25. ff. de negot. gest.* quod sequeretur si eorum infamia esset causa sufficiens dispensandi cum illis: ergo infamia non debet cõuerti in beneficium delinquẽtium, & consequutiuè non potest esse sufficiens causa dispensationis, sed requiruntur alia subsequentia scandala.

Infamia est digna delinquẽtis pœna.

Ad secundam difficultatem respondeo, sufficere simpliciter pluralitatem scandalorum, & non necesse esse, vt scandala differant inter se specie, sed satis esse, vt differant numero ad validitatem dispensatio-

P 4 nis,

Pluralis loquutio requirit numericã diuersitatem.

nis. Quod probatur primò, quia pluralis loquutio postulat numericam diuersitatem, *l. vbi numerus*, 12. *ff. de testibus*, *l. inter illam*, 217. *ff. de verb. signif.* ergo ad pluralitatẽ scandalorum verificandam, sufficiunt plura scandala inter se solum differentia diuersitate numerica.

Propositio indefinita æquipollet vniuersali.

Secundo, verba indefinitè prolata æquipollent vniuersali. *c. Idololatria*, 28. *q.* 1. *cap. si non licet*, 23. *q.* 5. Et quod indefinitè dicitur, generaliter est intelligendum. *c. Deus*, 31. *q.* 1. Sed hic loquitur indefinitè de pluralitate scandalorum: ergo generaliter debet intelligi de pluralitate scandalorum, tam numero, quam specie inter se differentium.

Tertiò, vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. *l. præses Prouinciæ*, 3. *ff. de officio præsidis*, *l. quos probibet*, 7. *ff. de postul. l.* 1. §. *conuenire, in fine*, *ff. de iudicijs.* & lex indistinctè loquens, complectitur omnem casum, cum non adest maior ratio in vno, quam in alio. *l.* 1. §. *in infinitum*, *ff. de leg. præstan.* Sed M.P. hìc indistinctè loquitur, & nulla est maior ratio in pluralitate numerica scandalorũ, quam in pluralitate specifica, vt per se patet: ergo comprehendit tam pluralitatem numericam, quam specificam scandalorum: ac propterea sufficiens causa dispensationis est, tam pluralitas specifica, quam numerica scandalorum; atque ita quando eadem infamia deliquentium diffundatur in eorum familiam, & consanguineos; infamia familiæ, &c. est scandalum sufficiens ad dispensandum: quia delictum vnius, alteri, qui non sit in culpa, non debet nocere. *l. adoptiuum*, 8. §. *fin. ff. de in ius vocand. l. sancimus*, 22. *C. de pœnis*, *l. si filius familias*, 3. *C. ne filius pro patre*: & tot sunt scandala numero diuersa, quot sunt personæ, quæ huiusmodi infamia læduntur.

Alienum delictum nocere non debit innocenti.

Ad tertiam, & vltimam difficultatem respondeo, in isto foro conscientiæ non adhibendos esse testes, neque iudicialiter, neque extraiudicialiter pro probatione huiusmodi scandalorum; cùm causa illorum sit occulta, & non debeat propalari & agatur in foro, quod de sui natura requirit secretum, & in foro pœnitentiali creditur ipsius pœnitẽtis dicto. *c. significasti*, 18. *de homicidio*, *c. tua*, 26. *de spons.* nam in isto foro fit solum examinatio criminis ad pœnitentiam, & satisfactionem diuinæ offensæ, non autem ad publicam vindictam, & ad reipublicæ satisfactionem, vt bene

In foro pœnitentiali creditur pœnitẽti.

aduertit

aduertit *Couar. lib. 2. variarũ resolutionum c. 10. n. 3.* & ideò standum est pœnitentis dicto, & satis est, vt exequutor formet animum suũ ex solo, sed diligenti examine ipsiusmet dispensandi, inquirendo ab illo, an tractatus matrimonij fuerit conclusus, an conclusio diuulgata, an omnia pacta matrimonialia hinc inde admissa, an in domo futuræ sponsæ ante, vel post prædictum tractatum conuersatus fuerit: ex quibus omnibus interrogatorijs, ac etiam ex parte eorum colligi potest, an adsit locus legitimè recedendi à dicto tractatu absque periculo scandalorum.

Quo verò ad reuelationem impedimenti, perquiri potest ab ipso dispensando, an de nocte, vel de die accesserit, ad domum futuræ spõsæ, ac eius sororis; vel ipsæ ad eius domũ accesserint: si enim de die, facilè est, vt alicui accessus huiusmodi innotuerit, & inde sit orta aliqua sinistra suspicio an alicui ipse, vel dictę mulieres communicauerint prædictum suum excessum: an alicui familiaritas eorum innotescat: an in publico aliqua mutuæ beneuolẽtiæ obsequia sibi inuicem exhibuerint. Si enim aliquid ex præfatis interrogatorijs verificatum competiet, exequutor facillimè poterit dubitare de periculo reuelationis prędicti impedimenti.

Aliudque canonicũ, &c. Subintelligitur impedimentum. Quæ sint alia canonica impedimenta, quæ obstare possent huic matrimonio cõtrahendo, vide in principio huius secundæ partis.

Cum eodem latore, quòd præmissis non obstantibus, matrimonium, &c. Per istã clausulam conceditur facultas exequutori dispẽsandi cũ latore super incestu, & super affinitatis gradu per eum cõtracto, ex illicita copula, quæ sunt impedimenta matrimonij: primum enim solum impedit, sed non dirimit: alterum vero non solùm impedit, verum etiam dirimit, vt supra declarauimus in principio huius secundæ partis, dum de illis separatim tractauimus: & ideò ponitur clausula restringens dispensationem ad superius expressa.

Et vterque inter se, &c. Licet vnus tantum petierit dispensationem, attamen vtriq; conceditur, id est viro immediate, mulieri verò mediante viro: nec est necesse vt ipsa recurrat ad exequutorem pro dispensatione, sed satis est, vt cum viro sit dispensatum, quia cùm impedimentum huiusmo-

iusmodi sit vnum & idem, ac necessariò afficiat vtrumque, & dispensatio super illo sit ad actum, qui necessariò respicit vtrumque; ideò ad vtrumque necessario extendi debet, licet ab vno tantum fuerit obtenta: cõnexorum enim idem est iudicium. *c. translato, 3. vbi Panor. in princip. de constitut. l. oratio, 16. ff. de sponsf. glosa in c. 1. in verb. priuare, de postul. prælatorum:* & cum dispensatio viri, ad contrahendum cũ hac muliere sit adnexa dispẽsationi dictæ mulieris ad contrahendum cum illo; eo ipso quod vir habilitatur ad contrahendum cum dicta muliere, etiam mulier censetur habilitata ad contrahendum cũ dicto viro. *Sanch. de matrimon. lib. 8. disp. 26. nu. 6.* vbi quamplurimos alios DD. citat.

Connexorum idem iudiciũ

Publicè seruata forma Concilij, &c. per dictionem illam *publicè* prohibetur matrimonium clandestinum. Clandestinum enim matrimonium ita reprobatur à sacris Canonibus, & Concilio Tridentino, vt neque bona fides suffragetur prolis inde natæ legitimationi, si posteà comperiatur inter sic contrahentes aliquod impedimentum existere. *c. cum inhibitio, 3. §. si quis verò, de clandestina desponsatione.*

Clandestinum matrimoniũ tribus modis dicitur: primò cum fit absque testium interuentu. *dict. cap. cum inhibitio.* Secundo cum fit sine solemnitate. *c. aliter, 30. q. 5.* Tertio cum fit sine denunciatione. *d. c. cum inhibitio, vbi glos. in verb. clandestina.*

Et in eo postmodum remanere, &c. Quia remanere in matrimonio necessariò cõsequitur ex legitimo eius cõtractu præcedente, cùm quod Deus coniunxit, homo non separet; & dispẽsatus ad contrahendum, quod est principale, intelligitur dispẽsatus ad remanendum, quod est accessorium; concesso enim principali, censetur concessum accessorium. *l. 2. ff. de iurisdictione omnium Iudic.* Ideò Maior Pœnitentiarius ad tollendam omnem dubietatem, quæ iuris ignaris occurrere posset, subdit clausulam istam, & *in eo postmodum remanere, &c.* hoc est petere, & reddere debitum, aliaque peragere, quæ coniugibus aliàs non impeditis legitimè competunt.

Accessorium sequitur principale.

Prolem suscipiendã exinde legitimam, &c. Legitimitas prolis necessario subsequitur ex legitimitate matrimonij. *c. quod nobis, 3. c. causam quæ, 7. & cap. lator, 5. qui filij sint* le-

Legitimatio prolis ex legitimitate matrimonii.

legit. cap. tuam, 3. *de ordine cognat. et instit. de patria potest. in principio. Couarr. tom. 1. parte* 2. *cap.* 8. §. 1. *num.* 1. & ideo maior Pœnitentiarius mandat exequutori, vt hoc specialiter dispensato declaret, ad tollendam omnem difficultatem, quæ exoriri desuper posset circa suam patriam potestatē, & circa filiorum successionem in bonis paternis, & etiam quoad alia omnia bona tēporalia, & spiritualia ex legitimitate matrimonij prouenientia.

In foro conscientiæ, *&c.* Hoc est, in foro animæ interno, & secreto, & quoad diuinam satisfactionē contrahentes recipiantur in legitimos coniuges; & proles, quæ inde suscipietur, in omnibus & per omnia reputetur, & sit legitima apud Deum, non tamen apud Rempublicam in foro exteriori, in quo requiritur publica satisfactio, & publica dispensatio, cum in publicis delictis per publicam solum vindictā Reipublicæ satisfiat, ad exemplum, & terrorem aliorum. *l.* 1. *C. ad legem Iuliam repetundar.*

Sed hæc clausulæ præfatæ interpretatio aliquam patitur difficultatem; quia verè istud matrimonium in facie Ecclesiæ canonicè contrahitur, cum nullum remaneat impedimentum, & seruetur forma Concilij Tridentini. Ergo proles inde proueniens erit legitima etiam in foro fori.

Secundo, Matrimonium istud quoad vtrunque parentem contrahitur bona fide; & propterea proles exinde proueniens, debet etiam in foro fori haberi pro legitima, non autem in solo foro conscientiæ: nam filius natus ex matrimonio cum bona fide alterius, vel vtriusque parentis inito, licet adsit impedimentum, nihilominus reputatur legitimus in foro fori; etiam quando impedimentum detegitur, & successiuè matrimonium declaratur nullum. *cap. ex tenore*, 14. *vbi gloss. in verbo*, *legitimus*, *& cap. cum inter*, 2. *qui filij sint legitimi*. *Panor. in d. c. ex tenore, in fine, glos. in c. per latum*, 8. *qui filij sint legitimi*.

Filius natus in figura matrimonii bona fide contracto, est legitimus.

Ista autem difficultas facillimè diluitur, concedendo, si bona adsit fides vnius parentis, prolem respectu dictæ bonæ fidei etiam in foro fori reputari legitimam ex iuris permissione, vt per textus supra citatos, non autem vigore huiusmodi dispensationis per M. P. concessæ. Quæ, licet non suffragetur in foro fori, attamē in eo foro nemini tollit ius suū, nemini enim auferendum est beneficium iuris. *Authen. de nuptijs*, §. *sed hoc*, *& l.* 4. §. *si quis*

Dispensatio occulta nemini tollit ius suum in foro fori.

quis condemnatus . ff. de re iudicata : & quamdiu durat ista bona fides, semper proles, quæ hoc interim concipitur, habetur pro legitima, etiamsi nascatur post malam fidem exortã . *d. c. cum inter* , *vbi glos. in verb. concepti fuerant* , *qui filij sint legitimi* , *vbi etiam Panorm. & alij* : nam cum de commodo alicuius tractatur , spectandum est tempus conceptionis . *l. Paulus* 11. *l. qui in vtero est. 7. ff. de statu hominum. l. emancipatum* . 7. *ver. si quis conceptus sit. ff. de senator.*

Et hæc bona fides, siue proueniat ex ignorantia iuris probabili, siue ex ignorantia facti, semper suffragatur . *glos. in d. c. perlatum, qui filij sint legitimi. Panorm. in d. c. per venerabilem*, 13. *num.* 36. *in fin. eod. tit. qui filij sint legit.* Secus verò est , quando adest mala fides, hoc est scientia impedimenti occulti, & occultæ dispensationis desuper obtentæ : nam licet ob huiusmodi dispensationẽ inducatur bona fides in foro consciẽtiæ, attamen remanet mala fides quoad forum fori ; & ideò posita ista mala fide , quando detegitur impedimẽtum , super quo fuit dispensatum in foro conscientiæ , sequitur in foro fori illegitimatio prolis sic susceptæ, perdeclarationem nullitatis matrimonij: & in hoc sensu intelligitur ista nostra clausula .

In actu sacramẽtalis Cõfessionis, &c. Hæc clausula refertur ad absolutionem ab incestu, & alijs præfatis excessibus, cum sint materia necessaria sacramentalis Confessionis , & circa illos solummodo versetur sacramentalis Confessio, & actus sacramentalis Confessionis terminetur, per ipsam absolutionem , quæ cum præcedat dispensationem, necessariò hæc subsequitur , & propterea fit post & extra actum sacramentalis Confessionis , & ideò non potest verificari quòd fiat in actu sacramentalis Confessionis ; nisi impropriè velimus dicere , quod habeatur , ac si fiat in ipso actu sacramẽtalis, Confessionis, ex eo , quod illũ immediatè subsequatur .

Non aliter neque , *&c.* Hæc clausula est adeò præcisę naturæ , vt excludat omnem modificationem & interpretationem alienam à verborũ suorum significatione. *Bald. in l. si quidem*, 9. *num.* 3. *C. de exceptionibus* . *Dec. cons.* 61. *num.* 2. *Alexan. cons.* 3. *num.* 4. *Rota in causa Bononien. de Bouijs, cor ũ Mellino*, 20. *Febr.* 1598. Cùm sit de sua natura *Clausula , non aliter , excludit omnem modificationem .*

tura

tura taxatiua & præcisiua. *l.non aliter, 67.ff. de legat. 3.* Et per verba negatiua concepta necesse est, vt huiusmodi absolutio & dispensatio fiat in actu sacramentalis Confessionis eo modo, quo supra diximus, & extra forū consciētiæ non patrocinentur.

Ideò adimit exequutori facultatem absoluendi, & dispensandi extra forū sacramētalis Cōfessionis, & dispēsato spem aufert recipiēdi aliquod commodum in dicto foro fori.

Ita quod, &c. Ista clausula est declaratoria mentis proferentis, & propterea est præcedentium verborum & dispositionum expositiua, atque ad eiusdem proferentis mentem regulat & limitat. *c.cum M. Ferrarien.9. de constitut. Soc.Sen.cons.49.n.2.vers.dicemus autem. Dec.cons.226.n.6. & alij communiter.* ac propterea adimit omnem vim, licet minimæ probationis, in foro iudiciario, hoc est in foro fori: hæc enim sunt verba synonima, idemque important. Et multò magis hoc dictum corroboratur, per dictionem, *nullatenus*, quæ de sui natura importat nullitatem actus ipso iure. *glos.in authen.si qua mulier.in verb. nullatenus, C. ad Velleianum.* & inducit præcisam prohibitionem. *Cephal. cons.4.num.25. lib.4.*

Ita quod, *est clausula declaratoria mentis proferentis.*

Dictio, nullatenus *importat nullitatem actus.*

Suffragentur, &c. Hoc est adiumento sint. *authent. de monach.S. penult.*

Nullis super his adhibitis testibus, &c. Cùm superius dixerit M.P. huiusmodi absolutionē, & dispensationē concedi in solo foro conscientiæ, & extra illum nullam penitus vim habere, expresseq; excluserit forum iudiciariū, & ex hoc fortasse aliquis occasionē accipere posset, quod propterea non excludatur receptio extraiudicialis testium & ideo licitum sit cum interuentu aliquorum testium petitas absolutionem & dispensationem huiusmodi impertiri, & postea per eorum attestationes sic absolutum & dispensatum tolerari & admitti in foro fori; ad hanc sinistram interpretationem tollendā M. Pœnitētiarius vtitur hoc verbo, *nullis*, quod est dictio vniuersalis negatiua, quæ omnia excludit. *c.si Romanorum.S.2. dist.19.c.cum ad nostram, 37. vbi Panor. num.5. de electione. Corn.cons.70.n.12.vol.2.Bart. cons. 46. incipit Puccinus de Sartiano.vol.2, Tiraquel.in l.si vnquam, 8. verb. reuertatur. nu.93. & sequent, C. de reuoc. donat.* & cū hæc dictio, *nullis*, vniatur *testibus*, excludit omnes quomodolibet recipiendos testes,

Dictio, nullis, *omnia excludit.*

Aut

Aut litteris datis, &c. Hoc est testimonialibus super impartita absolutione, &c. & ideò exequutor nullam in scriptis attestationem tradere debet absoluto, & dispensato super huiusmodi absolutione, ac dispensatione: nam subintelligitur verbum, *nullis*, quod est vniuersalis negatiua, & dictio *aut*, licet sit dictio disiunctiua. *l. si ex tota*, 8. §. 1. *ff. de legat.* 1, *l. Titio*, 76. *ff. de legat.* 2. *& l. ille, aut ille* 25. *in prin. de legat.* 3. attamen est talis naturæ, vt etiam requirat, disiunctiuè omnia, in quibus apponitur, verificari; & ideo in nostro casu efficit, vt præcedens dictio vniuersalis negatiua etiā disiunctiuè verificetur.

Aut, est dictio disiunctiua.

Seu processibus confectis, &c. Dictio *seu*, regulariter stat copulatiuè, & augmentatiuè. *Ias. cons.* 64. *n.* 2. *vol.* 1. *Dec. in l. petēs*, 27. *n.* 11. *C. de pact. Soc. Sen. cons.* 63. *n.* 21. *vol.* 1. *Paris. cons.* 22. *vol.* 2. & ideò hic copulat verbū istud *processibus* cū præcedēti vniuersali negatiua, *nullis* & sicut præcedentia probationum instrumēta absoluto & dispensato subministrare nequit exequutor, ita multò minus procesſus conficere debet. Procesſus nihil aliud, est nisi actorum omniū in aliqua causa factorum conscriptio, & in vnum collectio per publicam personam, seu per alios idoneos viros facta: *c. quoniam contra falsam*, 11. *de probat*. & exequutori prohibetur non solum conscriptio eiusmodi absolutionis, & dispensationis per Notariū, verum etiam per quamcunq; aliā etiam priuatam personam facienda: & cum, prout superius diximus, ei singillatim prohibitæ fuerint receptio testiū, & traditio litterarū testimonialium, multò magis prohibitus cēsetur processus, qui est prędictorum actorū conscriptio: quod enim vna via prohibitum fuit, non censetur alia via permissum. *l. quod dictum*, 33. *ff. de pactis. l. cum hi.* 8. §. *si cum ijs*, *ff. de transact. c. cum quid vna via* 84. *de regul. iur. in* 6. & eò magis, quia absolutiones & dispensationes, quæ fiunt in foro pęnitentiali, debent fieri coram confesſario tantum, & non requirunt scripturam, vt notatur *in cap. omnis vtriusq; sexus*, 12. *de pœniten. & remiss. Dec. cons.* 137. *n.* 11.

Seu, est dictio copulatiua & augmentatiua.

Quod vna via prohibetur non censetur alia via permissū.

Sed præsentibus laniatis, &c. Ne aliquod externum absolutionis & dispensationis huiusmodi indiciū remaneat, M. P. hic mandat laniari hanc commisſionis paginam, & litteras in forma Breuis desuper concessas; & ideo omnino laniandæ sunt.

Quas

Quas sub pœna, &c. Pœna excommunicationis indicitur exequutori, nisi laniauerit huiusmodi litteras: & hæc pœna non est comminatoria, adeò vt ad eius incursum expectanda sit sententia, sed iam sentẽtia fuit prolata, hoc enim important verba illa *latæ sententiæ*, & ideò illicò transgressorem ligat. *Glossa in c. vnico, verb. sub anathemate, de sagitarijs. Tolet. in sum. lib. 1. c. 5. n. 2.*

Nomine excommunicationis hic venit excommunicatio maior, nam excommunicatio simpliciter prolata intelligitur de excõmunicatione maiori. *c. penult. de sentent. excommunicat. vbi Panor. in princip. Couarr. in c. alma mater, de sentent. excommun. §. 8. n. 3. prioris partis relect. tom. 1. Decius in cap. intelleximus, 7. n. 34. de Iudic. Nauar. in man. c. 3. n. 52. & alij communiter.*

Excommunicatio simpliciter prolata intelligitur de maiori.

Nec obstat, quod in pœnis benignior sit facienda interpretatio. *l. si præses, 32. & l. interpretatione, 42. ff. de pœnis*; nam vsu communi iam diù receptum est (vt bene notauit *Couarr. loc. cit.*) vt in dubio intelligatur maior excommunicatio; & vsus maximum locum habet in cuiuslibet sermonis interpretatione. *l. Labeo, 7. ff. de supellectile legata. l. librorum, 50. §. quod tamen Cassius, & ibi glos. ff. de legat. 3. & c. quanquam, 2. q. 7.* Præterea, cum excõmunicatio, spiritualis pœna sit, constituta ad contumaces animos compellendos ad veram pœnitẽtiam, hic effectus rarissimè haberetur, si fieret interpretatio de minori excommunicatione, quæ solum priuat participatione Sacramentorum, cùm hisce temporibus homines vltro liberius, & facillimè ab ea abstineant, nec huiusmodi abstinentiæ pondus, & damnum sentiant, propter suam insensibilitatem spiritualem.

Ita vt nullum earum exemplum extet, &c. Cùm dictio *ita vt*, sit dictio indicatiua finis, propter quẽ aliquid iubetur. *l. 2. §. ideòque, ff. de his qui sui, vel alieni iuris sunt, l. penult. §. insulam, ff. de leg. 1.* nemo erit qui non intelligat laniationem istarum litterarũ in tali parte, & tali modo faciendam esse, vt ab illis omnis probationis effectus remoueatur; nam instrumenta, quę enormem patiũtur fracturam, carent fide, & probatione. *c. inter dilectos, 6. §. sed contra, vbi Panor. in principio de fide instrument. &c.*

Dictio, Ita vt, est indicatiua finis.

Et ideò in huiusmodi litteris sigillum lacerandum præcipue est: nam Bullæ, & litteræ in forma Breuis, quæ à Se-

de

de Apostolica, vel eius officialibus emanant, peculiarem fidem, & approbationem à sigillo recipiunt. Quia magis hoc innotescit, quàm innotescant characteres scriptoris, & subscriptiones officialium, qui sæpius immutantur, ac etiam, quia facilius istæ falsificantur, quàm illud.

Bulla sine sigillo non probat. Immò Bulla sine sigillo non probat. *c. licet*, 5. *de crim. falsi. Martin. Andr. decis.* 65. *n.* 12. *Specul. de rescript. præsentatione, lib.* 2. *particula* 1. §. 1. *n.* 1.

Præterea sigillum confert de sui natura authoritatem scripturæ, in qua imprimitur, vel apponitur, eique creditur, quam diù contrarium non ostẽdatur. *c. scripta*, 2. *vbi glos. in verbo, sigillum, de fide instrument. c. in nomine Patris, dist.* 73. *c. peruenit*, 2. *de fideiussoribus, vbi glossa in verbo, sigillo, c. cum dilectus*, 9. *de fide instrumentorum, l. Diuus Adrianus*, 6. *ff. de custodia, & exhib. reor. glos. in c. post cessionem*, 7. *in verb. litteras Iudicis ordinarij, de probat. & in c. cura, in verbo, Episcopis*, 11. *quæst.* 3.

Sed non quodlibet sigillum facit scripturam authenticam, sed solũ sigillum Domini Papæ, Episcoporum, Ecclesiarum, Capitulorum, Principũ, Magistratuum, Vniuersitatũ, &c. vt bene notauit *glossa in d. c. scripta, in verb. sigillũ, & ibi Panor. n.* 14. *Ant. de Butrio in eod. c. scripta, n.* 5. *vers. septimus casus, de fide instrumen. Specul. lib.* 2. *par.* 2. §. 3. *de probat. n.* 13. *& lib.* 1. *partic.* 3. §. 4. *num.* 9. *de Procurat. Goffred. in sum. n.* 3. *de fide instrument.*

Et hoc sigillum debet non solũ esse proprium prædictarũ personarum, sed debet esse vsitatum, & deputatum materiæ, cui apponitur, *c. significauit*, 48. *de appellat. Bald. in d. c. post cessionem, n.* 1. *de probat. & ibi etiam Felin. n.* 17. *Sigillum quando probat.* Nam quis suspectas de falsitate non haberet Bullas signatas sub annulo Piscatoris, & litteras in forma Breuis expeditas sub plumbo, cùm Papa vti soleat plumbeo sigillo in Bullis, & annulo Piscatoris in litteris in forma Breuis? Sed quia scripturæ per manus publicarum personarum confectæ, adhuc etiam absque sigillo habent in se probationem. *l.* 3. *C. de edicto D. Adrian. tollen. l. in donationibus*, 31. *C. de donat. Specul. lib.* 2. *partic.* 2. *de instr. edit. num.* 18. §. 8.

Ideò cum litteræ M.P. conficiantur, & subscribantur à suis Officialibus, qui ratione suorum officiorum sunt personæ publicæ; necessarium censeo notabiliter lacerandam ipsam paginam non in margine, sed in medio. Sic enim illis

fides

fides omninò, & probatio detrahetur; nam sic lacerabuntur verba substantialia dictarum litterarum, & abolitio, rasura, vel alia vituperatio in substantialibus scripturæ, instrumenti, &c. reddunt scripturam, instrumenta, &c. improbabilia, & absque fide. §. *si verò moriantur, Authen. de fide instrument. d. c. inter dilectos, vbi glossa & DD. communiter, de fide instrumen. Specul. loc. supracit. n.* 1 §. 8. Secundò, quia talis laceratio in medio litterarum facta, non reputabitur casualis, vt probabiliter reputaretur, si fieret in margine, sed censebitur facta, data opera, ad detrahendum illis probationem, & fidem.

Laceratio scriptura in substantialibus vitiat scripturam.

Neque eas Latori restituas, &c. Licet ad dispensati fauorem huiusmodi litteræ fuerint confectæ, illique consignatæ; attamen per earum præsentationem in manibus Confessoris exequutoris factam, amittit ius acquisiti possessionis, nec ad eam restitui amplius potest, quia ita M. P. per præsentem clausulam statuit, dictoque iure spoliat, & ideò restituendæ illi nullo modo sūt.

Quòd si restitueris, nihil ei præsentes litteræ suffragentur, &c. Subintelligitur, in foro externo, vt bene notauit *Sanch. de matrim. lib.* 8. *disp.* 34 *num.* 42. ita vt si prædictæ litteræ in dicto foro exhibeantur, careant omni fide, & probatione, quia ita est mēs M. P. concedentis. In gratijs quidē mens, & intentio concedentis attendenda omninò est. *c. mandatum*, 38. *de rescript. c. cum causam*, 36. *de praeben.* Et ideò ad quid dispensatus petet sibi litteras prædictas restitui? Exequutor ergo litteras huiusmodi nullo modo, nec etiam laceratas restituat, vt sanctè & absque conscientiæ dispendio fungatur delegationis suæ munere.

Datum Romæ apud S. Petrum. Data est in omnibus scripturis apponenda necessario, aliàs scripturæ carent fide, & probatione. *l.* 1. *C. de apochis publicis lib.* 10. *l. siquę,* 4. *C. de diuersis rescrip. & pragmat. l. libellorum,* 3. *ff. de accusat. glos. in l. generali,* 3. *C. de tabularijs lib.* 10. *& in l. optimam,* 14. *in verb. in eo die, C. de contrahen. & committenda stipulat. Goffr. in sum. in tit. de fide instrum. n.* 9. *Rebuff. in praxi beneficiali de forma litterarum tonsura, num.* 6. *Specul. lib.* 2. *partic.* 2 §. 9. *num.* 3. *de instrumen. editione. Panorm. in c.* 1. *nu.* 3. *de fide instrument. & ibidem Dec. n.* 15. *cum sequent. Bart. in l. si quis ex argentarijs,* 6. §. *finitium*

Data in omnibus scripturis est necessari ò apponēda.

tium il 2.num.6.cum seq. ff. de edendo.

Data qua po sçat de substantia.

Nostra hæc Data pluribus constat partibus substantialibus, videlicet nomine Papæ, anno ejus Pontificatus, mense, die, ac loco. Vna si ex istis prædictis partibus deficiat, data etiam deficit & corruit, nullamque parit fidem, & authoritatem.

Roma apud S. Petrū, &c. Cum Summus Pontifex continuò Romæ commoretur, & soleat vt plurimum residere in suo Palatio Vaticano, apud S. Petrum, ibidemq; antiquitus M. P. etiam resideret; ideò moderni M. P. licet in proprijs palatijs, & longe à Vaticano commorentur, attamen antiquam consuetudinem prosequentes, expediri faciunt litteras apud S. Petrum, ac si in Palatio Vaticano essent confectæ, & ex illo loco rescriberent.

Nisi velimus hoc fieri in memoriam, & honorem originariæ deputationis M. P. à Christo Domino factæ in personam S. Petri Apostolorum Principis, *Matthai 14. & 16. Dabo tibi claues regni cælorū, & quodcumque solueris, &c.*

Omissio loci, in quo fuit confecta scriptura, vitiat.

Quod verò omissio loci confectionis scripturarū, reddat illas sine fide & authoritate, colligitur, primo *ex c. quoniam contra 11. vbi gloss. in verbo, tempore, de probat. in c. Abbate sanè 3. §. quare de sentent. & re iudic. in 6.* Deinde ex Doctoribus, qui omnes ferè id asserunt. *Gloss. in dict. l. optimam, in verb. in eo die, C. de contrab. & committen. stipulat. & in d. l. generali, C. de tabularijs lib. 10. Panorm. in c. 1. de fide instrumen. nu. 3. Bart. in dict. l. si quis ex argentarijs §. si initium, il secondo, num. 26. ff. de edendo,* vbi dicit, quod saltem ex consuetudine, sit de substantia expressio loci in instrumentis, & scripturis, ad eorum validitatem. *Specul. lib. 2. part. 2. num. 5. de instrumen. editione. Rota in antiquis decis. 440. Dec. in c. 1. num. 23. de fide instrumen. Bart. in authen. Quibus modis naturales filij fiant legit. in §. illud quoque, nu. 3.*

Sub Sigillo Officij, &c. Hæc pars non est substantialis, sed solum integralis, quia istorum verborum expresio suppletur per actualem eiusdemmet Sigilli appositionē; & ideò si omittatur, non officit, sed solum stylus deficit in particula non necessaria, cùm ex consuetudine soleant huiusmodi verba apponi ad declarationem maiorem.

Idibus, &c. Hoc est die 13. Septembris. Dies, & Mensis in scripturis, & litteris adeò

Scriptura sine die non probat.

adeò sunt necessarij, & substã-tiales, vt sine illis scripturæ vanæ & nullius roboris censeantur. *c. præscripta. §. libellorum inscriptionis. 2. quæst. 8. authen. quibus modis naturales filij fiant legitimi: §. quantum verò, vbi Bart. in §. illud quoque, num. 4. l. 1. C. de apochis publ. lib. 10. l. si qua, 4. C. de diuersis rescript. Bart. in d. l. si quis ex argentarijs. §. si initiũ, il secondo, num. 16. ff. de edendo, & in authen. vt præponatur nomen Imperat. num. 16. Panorm. Goffred. Rebuff. Specul. loc. supra cit. Dec. in c. 1. nu 26. de fid. instrument.*

Bart. *in d. l. si quis ex argentarijs cit. num. 23.* videtur asserere, quòd mensis non sit de substantia, quia ponitur ad declarationem diei solum, & si dies esset aliàs certa, opus non esset apponere mensem: & allegat exemplum de die 25. Decembris, quæ potest exprimi sine mense, dicendo, die Natiuitatis Domini. Sed à tanti viri sententia in hoc aliquantulum concedatur mihi discrepare: nam pari passu in scripturis authenticis procedunt dies & mensis: sicut enim dies recipit suam determinationem à mense, ita mẽsis à die, & nihil prodest expressio diei, sine expressione mensis, cuius sit dies; ita nec expressio mensis sine expressione diei, cuius sit mensis. In allegato autem exemplo implicitè includitur & dies, & mensis: nam Natiuitas Domini semper celebratur eodẽ die, hoc est 25. & eodem Mense Decembris: & ideò qui allegat dictam festiuitatis diem, allegat circumscribendo insimul prædictos diem & mensem Decembris, in quibus celebratur dicta Festiuitas: & propterea concludendum, quod sicut de substantia scripturæ est expressio diei, ita & mensis.

Pontificatus, &c. Quod nomen Papæ, & annus eius Pontificatus sint de essentia huius Datæ, patet ex *auth. vt præponatur nomen Imper. Panorm. in d. c. 1. num. 3. de fide instrument.* & ibi *Decius n. 22. Specul. lib. 2. partic. 2. §. 9. nu. 3. de instrumen. editione. Bart. in d. l. si quis ex argentarijs. §. initium il secondo, nu. 25. vers. quinto diximus, ff. de edendo.*



IN SECVNDO.
EX ACTV FORNICARIO
DE CONTRAHENDO.

Pro Oratore, qui quandam mulierem carnaliter cognouit, & deinde publicè tractauit de Matrimonio contrahendo cum illius consanguinea in secundo gradu, conficiuntur litteræ eodem ferè modo, quo in præcedenti: solum omittitur expressio enormitatis, & successiue grauitas pœnitentiæ: nam enormitas prouenit ab honestate naturali propinquioris gradus, per delictum violata; & grauitas pœnitentiæ à grauitate delicti. Formula igitur erit, vt infra.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Quatenus, si est ita, dictum latorem, audita prius eius sacramentali Confessione, à præmissis absoluas hac vice, &c. Iniuncta ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, & alijs quæ fuerint de iure iniungenda. Demum, dummodo impedimentum ex præmissis proueniens, sit occultum, &c.* Reliqua prout in præcedenti formula.

Cùm hæc formula sit ferè eadem cum præcedenti, vt per se patet in præfato exemplo; igitur satis erit eam attigisse: nam pœnitentiæ iniungendæ diuersitatem facillimè exequutor ex delicti diuersitate reperiet; & ideò non opus est maiori explicatione.

IN

IN PRIMO

EX ACTV FORNICARIO

DE CONTRACTO.

Pro eo, qui matrimonium in facie Ecclesiæ contraxit cum muliere, cuius sororem priùs carnaliter cognouerat, in hunc modum rescribitur à Maiori Pœnitentiario.

FR. Antonius Barberinus, &c. Discreto viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, &c. Ex parte Latoris præsentium nobis oblata petitio continebat: Quòd ipse aliàs in facie Ecclesiæ matrimonium contraxit, & successiuè consummauit cum muliere, cuius sororem prius carnaliter cognouerat. Cùm autem, & vt sicut eadem petitio subiungebat, dictus Lator propter impedimentum ex præmissis proueniens nequeat in dicto matrimonio remanere absque Sedis Apostolicæ dispensatione, & separatio inter ipsum & dictam mulierem fieri non potest absque scandalo; ad id vitandum, ac pro sua conscientiæ quiete cupit lator à præmissis, quæ occulta sunt, & de quibus plurimum dolet, per Sacræ Pænitentiariæ officium absolui, secumque desuper dispensari. Quare supplicari fecit nobis humiliter, vt sibi super his de opportuno remedio prouidere dignaremur. Nos igitur, qui Pænitentiariæ Domini Papæ curam gerimus, supplicationibus huiusmodi inclinati, authoritate Apostolica nobis specialiter concessa discretioni tuæ committimus: Quatenus, si est ita, dictum

Latorem, audita prius eius sacramentali Confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, incestu, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta: Iniuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu, graui pœnitentia salutari, ac sacramentali Confessione peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, vt minimum semel, & quoties animæ suæ saluti expedire iudicaueris; & alijs, quæ fuerint de iure iniungenda. Demum, dummodo impedimentum ex præmissis prouemiens sit occultum, & separatio inter Latorem, & dictam mulierem fieri non posit absque scandalo; ex cohabitatione verò, de incontinentia probabiliter timendum esse, tibi visum fuerit, aliudque canonicum non obstet; cum eodem Latore, vt dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita cautè, vt Latoris delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eadem, & vterque inter se de nouo, secrete ad euitanda scandala, præmissis non obstantibus contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeant, misericorditer dispenses; prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam exinde, legitimam decernendo in foro conscientiæ, & in actu sacramentalis Confessionis tantùm, & non aliter, &c. Ita quod, &c. nullis, &c. vt suprà in præcedenti alia formula.

Omissis clausulis cum præcedenti formula communibus, quas pluries etiam in prima huius Praxis parte explicaui, deueniam ad proprias huius nostræ formulæ.

A quibusuis sententijs, &c. Contrahentes matrimonium in gradu prohibito, remouebantur olim ab interuentu diuinorum officiorum, sicut Cathecumeni, Hæretici, & similes. *c. de incestis, vbi glossa in ver-*

verbo, & inter Cathecumenos; 35. q. 2. & 3. Hodie autem sunt excommunicati ipso iure qui scienter sic contrahunt. *Clement. vnica de consanguin. & affinit.* & ideò M. P. in subdeleganda eorum absolutione, vtitur huiusmodi generalibus verbis, *à quibusuis sententijs, censuris*, quæ & primo dictam suspensionem, & secundam excommunicationis sententiam comprehendunt.

Et pœnis, &c. Dictio, &, hic probabiliter dici potest, quod ponatur pro id est; cum dictio, &, soleat sæpe apponi inter synonima, vel inter duo, quorũ vnum alteri inest, clarioris intelligentiæ causa. *l. 1. vbi glos. & Bart. in verbo, placitum, ff. de pactis*. & sensus erit, à quibusuis sententijs, cẽsuris, id est, pœnis ecclesiasticis: & hoc ad tollenda multa absurda, & contraria menti M. P. qui non intendit per istã clausulam aliud concedere, quàm quod specialiter exprimitur; nisi velimus de infrascriptis etiam pœnis clausulam istam subintelligendam. Multis alijs pœnis istorum temeritas esset punienda; primò publicandi, & denunciandi excommunicati, & vt tales euitandi, *d. Clement. vnica de consanguin.* Secundo separandi ab inuicem, *eadem Clement. supracit. & cap. 1. de consanguin. & affinit.* Tertiò inhabiles sunt ad petendum, & reddendum debitum coniugale, *cap. inquisitioni, 44. de sentent. excommunic.* Demum alijs peculiaribus pœnis ab Ordinarijs locorum puniri solẽt: à quibus omnibus pœnis, vigore huius generalis clausulæ absolui potest, & debet Lator præsentium.

Pœna canonica incestuosorum.

Secundum Iura Ciuilia grauibus etiam isti puniũtur pœnis: videlicet, non possunt testari, nec habere alios successores, nisi personas, quæ aliàs venirent ab intestato. *l. si quis incesti, 6. C. de incest. & inutil. nupt.* Cadunt ipso iure à dominio suorum bonorum. *cap. cùm secundum leges, 19. de hæretic. in 6. Authen. incestas nuptias, C. de incest. & inutil. nupt.* Cadunt à potestate in filios aliàs legitimos *d. Authen. incestas nuptias.* Cadunt à lucris dotabilibus. *l. qui contra, 4. C. de incest. & inut. nuptijs.* Fiunt eo ipso infames. *d. Authen. incestas nuptias.* Multisque alijs pœnis sunt puniẽdi, quæ omnes pœnæ fuerunt canonizatæ per *Clement. vnic. de consanguin. & affinit.* & ideò appellantur etiam pœnæ Ecclesiasticæ: quæ tamen licet non incurrantur nisi post datam sententiam, & in foro fori. *d. cap. cum secundum leges,*

Pœnis ciuiles eorundem.

l. eius qui delatorem, 29. ubi Bart. n. 3. ff. de iure Fisci. Bald. in l. post. decisionem, 13. C. de furtis. Decius in c. 1. n. 72. de constit. Felin. in c. Rodulphus, 35. num. 37. Couarr. tom. 1. part. 2. cap. 6. §. 8. de contrahent. incest. nupt. num. 10. glos. in cap. fraternitas tua, in verb. cum augmento, 12. quaest. 2. quae glos. ab omnibus DD. in cap. 1. de constit. commendatur.

Reus non tenetur statutã pœnam cõtra se exequi. Et ratio est, quia delinquens nulla lege tenetur per exteriores leges statutam pœnam aduersus se ipsum exequutioni demandare, cùm Iudex eamdem minimè exequatur. ita *S. Thom. 2. 2. q. 62. artic. 3. & ibi Caiet. Felin. in c. audiuimus, 41. de simon.* & ideò Iudicis officium requiritur. Attamen ad sedandas indoctas, vel nimis delicatas cõscientias, possunt etiam præfatæ pœnæ cõprehendi in præsenti clausula generali, *(quibusuis pœnis)* cum dictio, *(quibusuis)* sit vniuersalis, & omnia comprehendat. *Alexander consil. 30. num. 14. vol. 5. Farin. in praxi crim. p. 4. decis. 93. n. 1.*

Dictio quibusuis est generalis, & omnia cõprehendit.

Immò comprehẽdit maiora expressis, præcipuè quando est prolata ab homine, ita vt trahatur etiam ad casus improprios, vt bene aduertit *Stephan. Gratian. Marchiæ decis. 24. num. 6.*

Et quod hæc sit intentio M. P. aperte probatur ex immediatè subsequentibus verbis, videlicet, *quas propter præmissa quomodolibet incurrit:* dictio enim illa, *quomodolibet*, est vniuersalis, & comprehendit omnes casus. *Staphil. de litteris gratiæ, & iustitiæ, tit. de vi, & effectu clausul. cap. 4. num. 3. Rebuff. in comment. ad l. creditor, 55. vers. quomodolibet, ff. de verb. significatione.* & idem importat quod, quocunque modo, vel quomodolibet modo. *Anchar. in cap. indemnitatibus, 42. in fine de elect. in 6. Parisius consil. 58. num. 10. vol. 1. Roland. cons. 2. nu. 23. tom. 4.* Nec solum intelligitur de iure communi, sed etiam de iure speciali, consuetudine, præscriptione, aut priuilegio Apost. *Gonzal. ad reg. octauã Cancel. glossa 29. Rota in vna Placen. Canonic. 15. Decembris, 1614. coram Coccino.*

Dictio quomodolibet comprehendit omnes casus.

Ex quibus omnibus colligitur amplam esse huiusmodi facultatem absoluendi, & comprehendere omnes sententias excommunicationis, cẽsuras, ac pœnas, ex quocumque iure, & modo prouenientes contra nostrum incestuosũ ob clausulam, quam præ manibus modo explicandam habemus.

Iniuncta inde ei pro tam enormis, &c. Quæ pœnitentia im-

imponenda sit, exequutor facillimè colliget ex supra narratis; nam grauitas delicti ex grauitate pœnæ mensuratur. *c. felicis*, 5. *§. cum autem verf. cæterum, de pœnis in 6.* & cùm tot pœnis incestuosæ nuptiæ per iura corrigantur, ideo ex illarum grauitate istarum grauitas colligitur; & qua pœnitentiæ grauitate in isto foro conscientiæ omnis rigoris moderatore, & misericordiæ fautore corrigi debeant, ex ijs, quæ in prima formula huius secundæ partis exempli gratia adduximus, deducet prudens noster exequutor.

Grauitas pœna est mensura delicti.

Ac Sacramentali confessione peccatorum, &c. Vnica, & facilis incontinentiæ medicina est frequentia Sacramentalis confessionis: ideo M. P. eam continuò adhibet ad infectos pœnitentium animos purgandos, nec mutari potest ab exequutore; nam alias excederet fines mandati, qui diligenter obseruandi sunt. *l. diligenter*, 5. *ff. mandati vbi DD. communiter*, & præcipuè in substantialibus, vt est in nostro casu, quia ista impositio Sacramentalis confessionis est de forma, forma autem ad vnguē est obseruanda, aliàs actus corruit, etiamsi forma deficiat in minimo, vt alias diximus. *l. cū bi*, 6. *§. si prator, ff. de transact. l. non dubium*, 5. *C. de legibus*.

Difficultas remanet; an ista obligatio sit imponenda ad tēpus, an verò in perpetuum: cùm pœnitētia simpliciter imposita propter crimen videatur intelligenda perpetua. *c. ex litteris*, 11. *vbi glossa in verb. in perpetuum, de constitut. vbi etiam Innocen. & Panor. nu.* 10.

His autem non obstantibus, existimo huiusmodi pœnitentias ad tempus præscribendas: & Primo adhoc sentiendum adducor, quia sacri Canones, maiorum criminum pœnitentiam septem annorum spatio mandant concludi. *c. hoc ipsum*, 33. *q.* 2. vel aliam imponi temporaneam arbitrio confessoris. *c. tempora, c. pœnitentibus, c. pro qualitate*, 26. *q.* 7.

Secundo, quia M. P. quando intendit pœnitentias a se impositas perpetuari, id expressis verbis declarat, vt videre est in formulis commutationū votorum in prima parte huius nostræ Praxis, & in alijs formulis tertiæ partis eiusdem Praxis.

Tertio, quia in rebus pœnalibus benignior interpretatio est facienda in dubio. *c. odia*, 15. *de reg. iuris in 6. l. cum quidam* 19 *ff. de lib. & posth.*

Quarto, quia communis vsus Ecclesiæ est, vt huiusmodi pœnitentiæ ad tempus arbitrio confessoris, vel Superioris præ-

prescribendum imponantur.

Ad *cap. ex litteris, & authoritates suprà cit.* Respondeo ea loqui de obligatione pœnæ, non autem de duratione ipsius pœnæ; nam vt bene *Panor. in loc. cit.* aduertit, pœna, quæ est successiua, hoc est, quæ habet tractum successiuum, in dubio est temporanea; si verò sit momentanea, quia videlicet in momento persolui possit, hoc casu remanet perpetuo soluenda, donec actu soluatur, vel remittatur; vt si quis condemnetur ad pęnam pecuniariam, &c.

Et alijs, &c. Eodem modo intelligenda est hæc clausula, vt in prima formula huius secundæ partis indicauimus.

Demum, dummodo impedimentum, &c. Ista gratia fundatur primariò super esse occulto huius impedimenti, & ideò exequutor multum animaduertere debet, an & quomodo sit occultum; idque facilius percipiet, si attente perpendat, quę in principio huius secundæ partis præmisimus, dum de notorio, famoso, & occulto egimus.

Et separatio, &c. Hæc clausula copulatur cum præcedenti dictione, *dummodo*, quæ cum requirat vt de necessitate existat illud, cui adiungitur, ad hoc vt dispositio possit suum sortiri effectum, ideo necessitat etiam vt separatio Oratoris a prætensa sua vxore fieri nequeat sine scandalo; si enim separari possunt sine scandalo, dispensatio hæc non est exequutioni demandanda, & separandi omninò sunt.

Quia verò matrimonium fuit in facie Ecclesiæ quoad forum externum legitimè (vt præsupponitur) contractum, & impedimentum existit occultum, ac propterea non sine illius propalatione, ac infamiæ nota prætensæ vxoris, & aliorum, necnon dissensionum periculo, separari possunt; ideò exequutor in hoc inuestigando, non multum laborare tenetur, sed præsupponere id probabilius potest.

Ex cohabitatione, &c. Multò minus in hoc etiam inuestigando exequutor laboret; nam quis dubitauit vnquam paleam igni adhęrentem non comburi? Et ex cohabitatione maris, & fæminæ si præsumatur copula, *cap. iuuenis, 3. de sponsal. & matrim.* multò magis incontinentiæ periculum præsumendum est in istis coniugibus.

Aliudque canonicum, &c. Subintelligitur, impedimentum,

tum, vt in præcedenti formula indicauimus.

Cum eodem Latore, &c. Ista verba indicāt huiusmodi dispensationem explicitè solum cōcedendam viro impedimenti conscio, & authori, ob rationes in præcedenti formula insinuatas.

Vt dicta muliere, &c. Hæc clausula est substantialis, & magni momenti, sed multa circumspectione demandāda est exequutioni; nam coniux ignorans impedimentum debet fieri certa de nullitate prioris consensus à se præstiti, vt nouum, & validum, ac liberum consensum præstet: & si perseueret in sua ignorantia, licet de nouo consentiat, non tamen validè consentit, error enim tollit consensum. *l. si per errorem, 15. ff. de iurisdict. omnium iudicum, l. non idcirco, 9. C. de iuris & facti ignorant. l. nihil consensui, 117. ff. de reg. iuris, cap. propofuit, 2. & cap. vlt. de coniugio seruorum*: in errore autem est coniux inscia, quia putat se consentire in suum maritū, cum verè iste non sit suus maritus; Et si iste error reddit inuoluntarium consensum in professione, seu voto, nulliter factis reiteratū. *Nauar. lib. 3. consil. 34. tit. de Regularibus, num. 4. Sylu. in verb. matrimonium, 4. nu. 10. Sanch. lib. 1. de sponsal. disp. 16. n. 7. in fine*; Multò magis reddet inuoluntarium consensū de nouo præstitum in matrimonio nulliter cōtracto, quod summam libertatem exposcit. *c. cum locum, 14. de sponsal.* & ideò dicta coniux certioranda est de nullitate prioris consensus.

Error tollit consensum.

De modo autem, quo certioratio ista facienda sit, non concordant DD. Nam tenet *Nauarr. tom. 1. c. 22. tit. de impedimento criminis, aut delicti, num. 47.* satis esse, si conscius impedimenti generatim indicet illud ignoranti, & dicat: suspicor te non esse vxorem meam aliqua de causa; ideò rogo te plurimum causa tranquillitatis meæ conscientiæ, & consolationis, vt, si, & quatenus opus fuerit, denuò nos pro cōiugibus habeamus; & pro hac sua opinione adducit *Caiet. 2. tom. opusculorum, tract. 12. de matrim. q. 2. & in sum. ver. matrimonium, pag. 9.*

Sed pace tantorum virorū, hæc opinio mihi non satisfacit. Nam suspicio non inducit scientiam, sed dubietatem. *c. habuisse vbi glos. distinct. 33.* Dubietas autem non tollit ignorantiam, cum titubans pro ignorante habeatur. *l. vlt. vbi glos. in verb. pro dubietate, & ibi Bart. C. de condit. indebiti,*

Suspicio non inducit scientiam, sed dubietatem.

Titubans habetur pro ignorante.

l. 3.

l. 3. §. is qui nescit. ff. de libero hom. exhib. Ergo mulier remanebit in suo erroris statu, vt prius, & cõsequenter si præstet de nouo alium cõsensum, erit inuoluntarius ex errore, quo putat matrimonium validum, & consentire de nouo in suum iam maritum.

Multò minus hæc opinio potest habere locum in casu nostro, in quo mulier inscia est certioranda de nullitate prioris consensus, hoc est, certa efficienda; non fit autem certa per verbum illud *suspicor*, sed solum titubans; Nam certitudo dubitationem omnem excludit. *c. si beneficia, 12. vbi glossa in verb. certiores, de præbend. & dignit. in 6. c. cum contingat, 24. vbi glos. in princ. de rescript. c. habuisse, vbi glos. in princ. 33. dist. c. de cætero. 1. q. 1. cap. certum, 11. q. 3. Caiet. verò in tom. 1. opuscul. tract. 12. de matrim. q. 2. Sotus in 4. distinct. 28. quæst. 1. art. 2. concl. 3. casu 1. & Sanch. lib. 2. de matrimonio, disp. 36. num. 5.* aiunt satis esse, si coniux inscia impedimenti interrogetur per maritum consciũ, an tali amore eum prosequatur, vt iam in maritum etiam consentiat eum accipere, proinde ac si ab eo libera omninò esset; atque ita præstito de nouo consensu per mulierem, vir etiam suum de nouo præstet, & sit de nouo validè matrimonium contrahi præfati Authores asserunt.

Certitudo dubitationẽ excludit.

Istorum etiam opinio plures patitur difficultates; nam adhuc mulier remanet in sua ignorantia, & sub potestate prætensi mariti, cui contradicere nec liberum, nec tutum est; & ideò consensus si de nouo ab ea sic præstetur, erit insufficiens, quia inuoluntarius, & non liber, immò quasi coactus; ad matrimonium autem contrahendum requiritur cõsensus liber, & voluntarius. *c. requisiuit, 17. c. tua, 26. & c. cum locum, 14. de sponsal.*

Melius, meo iudicio, fiet si sciens impedimentum, dicat ignoranti, vbi primum commodè potuerit, se inualidè ab initio consensum præstitisse; & ideò ex doctorum virorum consilio ad procurandã vtriusque animæ salutem opus esse, vt se inuicem per nouum, & independentem à primo consensum in coniuges legitimè recipiant; & sicut ex amore, quo illam semper prosequutus est, liberè de præsenti eam recipit in vxorem, ita etiam eam precatur, vt etiam liberè eum de præsenti recipiat in maritum: & si instet inscia pro sciẽda causa inualiditatis cõsensus, poterit respondere facillimè verbis æquiuocis, v. g. intentionem non fuisse sussi-

sufficientem, vel aliquid simile; & cùm agatur de animæ salute, in dubio tutior pars est tenenda. *d. cap. iuuenis de sponsal. c. ad audientiam 12. de homicidio, cap. si quis autem de pœnitentia dist. 7. glossa in cap. vnico de scrutinio in ord. facien, &c. Panor. in c. 1. de postulat. Prælat. n. 17.*

Ideò tertiam hanc opinionem admittendam duco, vt magis conformem meti M. P. quam *Sanchez loc. cit. num. 7. vers. erit autem*, appellat optimam cautelam; licet subiungat non mediocre periculum habere: sed hoc periculum facillime elidetur, allegando suam incuriam, ignauiam, &c. prout exequutor expedire animaduertet, iuxta qualitatem personarum.

Sed ita caute*, &c.** Cum vniuscuiusque bonum nomen & fama seruanda sint, bona enim fama est thesaurus inæstimabilis. ***Eccles. 41. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm multi thesauri magni, et pretiosi: & ideò non licet reuelare occultum crimen, quo bonū nomen, & fama delinquentis notabiliter lædatur, nisi reuelatio huiusmodi sit omninò necessaria ad impediendum aliquod notabile damnum, vel ad prospiciendum alicui notabili bono, vt bene aduertunt *Nauar. cap. 18. num. 1. Sotus lib. 5. de iust. q. 7. art. 1. Lessius de virtut. lib. 2. cap. 11. dubit. 9. & 10. & alij apud clauem Regiam cap. 6. num. 18.* necessitas enim facit licitum quod de iure non est licitum. *cap. quod non est licitum, 4. de regul. iuris. cap. vlt. 26. q. 6. Tiraquel. de pœnis temper.* Necessarium autem illud dicitur, quod si non fiat, res perit, vel deterior fit. *l. impensæ, 79. ff. de verborum signif.* Et ideò cùm alio modo, quàm detegendo coniugis crimen, possit vtriusque animæ saluti prospici, non debet occultum crimen reuelari; & propterea M. P. mandat coniugem insciam impedimenti, certiorari de nullitate prioris consensus non solū absque actuali propalatione impedimenti, verum etiam absque proximo periculo illud propalandi: hoc enim indicant illa duo aduerbia insimul posita, *ita cautè*: hoc est, tali cautela, videlicet prudentia, est certioranda mulier, vt nunquā ex dicta certioratione possit per se deuenire in cognitionē prædicti occulti impedimenti. Quòd autem hæc certioratio nullitatis præcedentis consensus fieri cōmode possit absque huiusmodi delicti propalatione, superius declaraui, vel potius indicaui pru-

Necessarium quid sit.

prudenti exequutori, qui consideratis qualitatibus personarum, alijsque circumstantijs casuum particularium, poterit facillime oportuniora media subministrare.

Matrimonium cum eadem, & vterque, &c. Per istam clausulam conceditur facultas dispensandi, & traditur modus contrahendi de nouo matrimonium.

Quoad facultatem dispensandi nihil est superaddendũ ijs, quæ in hac fere eadem clausula præcedentis formulæ diximus. Quo verò ad modũ contrahendi de nouo matrimonium, diligenter perpendenda sunt illa verba, *de nouo, secretè ad vitanda scandala, præmissis non obstantibus*. Nã aduerbium illud, *de nouo*, indicat nullitatem prioris matrimonij, & propterea esse de nouo contrahendum, ac si nunquam fuisset contractum. Aduerbium verò illud, *secrete*, limitat modum contrahendi de nouo, & excludit alias solemnes publicitates, hoc est præsentiam Parochi, & testium, ac publicationes; nam admittit præmissas solẽnitates in facie Ecclesiæ iam factas; & propterea non sunt de nouo reiterandæ, sed solum supplendus nouus consensus. *Nauar. lib. 4. cons. tit. de eo qui duxit in matrim. cons. 3. num. 3. & cons. 4. num. 2.*

Difficultas est, quomodo supplendus sit: an actu solum interno voluntatis: an verò etiam actu externo: an verbis vel signis.

Quoad primum, est indubitabile apud Catholicos, nõ esse satis consensum internum ad matrimonij essentiam, vt bene probat *Valdensis de Sacramentis, c. 132.* Nam si consideratur vt contractus inter homines interiora cordis ignorantes celebratus, exigit signũ externum, quo aperiatur consensus internus. Si autem consideratur vt Sacramentum, de ratione intrinseca Sacramenti est, esse signum sensibile; & in hoc concordãt omnes fere Doctores. Et licet videantur aliqui *ex cap. tuæ, 25. & d. cap. cum locum, de sponsal.* colligere quòd solus consensus internus sufficiat, & propterea non requiri necessariò verba, vel alia signa externa; nihilominus si verba dictorum capitulorum bene perpendantur, vnusquisque facillimè cognoscet, potius contrarium ex ijs colligi. Nam in *d. c. cum locum*, cùm dictum fuisset, matrimonium solo consensu contrahi, subiungitur immediatè: Et *vbi de ipso quæritur, plena debet securitate ille gaudere, cuius est animus indagandus*: hoc est,

vt

vt *ibi glossa in verbo, indagandus, inquirendus ad consentiendum, ne per timorem dicat sibi placere quod odit.* Et nota illud verbum, *dicat*, quod vel verba, vel signa externa de sui natura importat.

Maiorem difficultatem habere prima facie videtur *d. c. tuæ*, vbi dicitur verba consensum exprimentia esse necessaria quantum ad Ecclesiam; ergo non ad essentiam matrimonij. Sed respondetur, quod non dicitur ibi simpliciter, per consensum viri, & mulieris contrahi matrimoniũ, sed per *legitimum*, hoc est, per consẽsum à sacris Canonibus approbatum, qualis est consensus verbis, vel signis expressus. *cap. consultationi*, 28. *de sponsal. c. fin. de coniug. seruor. c. vnico*, §. *fin. de desponsſ. impub. in 6. & c. ex parte*, 14. *de restitutione spoliatorum S. Thom. in 4. disp. 27. q. 1. artic. 2. quæstiuncula 2. ad 3. Bellarminus de matrimonio, lib. 1. cap. 8. ad 2. obiect. Suarez tom. 1. de Sacramentis q. 60. artic. 8. disp. 2. Couar. 2. part. cap. 1.* §. *vnico, num. 8. Sanch. de matrim. lib. 2. disp. 30. n. 1.*

Verbum, necessarium, nõ semper importat necessitatem.

Ad illud verò, quod in prædicto *c. tuæ*, dicitur, verba esse necessaria quantum ad Ecclesiam, facillimè respondetur, si prius animaduertatur, illud verbum, *necessarium*, nõ semper importare necessitatem, sed aliquando etiam significare vtilitatem, *l. 1. ff. soluto matrimonio, & l. 1. ff. de offic. Præfecti prætorio:* prout accipitur *in isto c. tuæ:* & ideò illius sensus est, quod vtilius sit quoad Ecclesiam, id est, quo ad forum externum, vt consensus verbis expimatur, quàm alijs externis signis: nam per consensum verbalem facilius probari potest in eo foro validitas matrimonij, vt bene notauit *Sanchez loc. cit.* quando illa in dubium reuocaretur, & ideò verba esse vtiliora ad probationẽ: & hoc etiam sentit *Couarruu. 2. par. c. 4. n. 1.*

Ex his etiam resoluitur alia pars difficultatis, An verbis, vel signis præstandus de nouo sit iste consensus ad matrimonium necessarius. Dicendum enim est, quocunque ex præfatis modis de nouo præstitum consensum à coniugibus prius de nullitate prioris consensus certioratis, sufficere ad valide contrahendum de nouo matrimonium. *Ita S. Thom. & alij prædicti DD. loc. cit.*

Sufficit ergo, vt isti nostri cõiuges inter se nemine præsente consentiãt in matrimonium, vel per verba, vel per aliquod signum, quod nouum consensum indicet, vel per continuationem, & cohabitatio-

tio-

tionem. *c. ad id*, 21. *de sponsal.* *& c. duo pueri*, 12. *de desponſ. impub. l. minorem*, 4. *ff. de ritu nuptiarum*. Vel per ſubſequentem copulam maritali affectu habitam, *c. is qui fidem*, 30. *de sponsal.* Vel per aliquod factum, vel verbum indicantia nouum conſenſum, vt bene notat textus in *cap. fin. de coniugio ſeruorum*, dum ponderat, quod nec facto, nec verbo conſentit, *& in c. 1. de desponſat. impub. in verb. quod ſi aliquo modo non conſentit.*

Et ideò fidelis exequutor abſtineat omninò à temeritate nonnullorum exequutorũ, qui coram ſe & duobus teſtibus faciebant coniuges de nouo matrimonium contrahere vigore litterarum M. P. ſed relinquat coniuges vt inter ſe de nouo ſecrete præſtent nouum conſenſum, & contrahãt matrimonium: Ad exequutorem enim ſpectat ſolummodo cum coniuge conſcio impedimenti diſpenſare ad matrimonium de nouo contrahendum iuxta formam huiuſmodi litterarum.

Præmiſſis non obſtantibus contrahere, *&c.* Abunde hanc clauſulam in proxima præcedenti formula explicauimus: & ideò ad illam remittimus exequutorem.

In foro conſcientiæ, *&c.* Vt in præcedenti formula.

Prolem ſuſceptam, *&c.* Quia per ſubſequens matrimonium proles ex ſoluto, & ſoluta genita legitimatur. *c. 1. & c. tanta*, 6. *Qui filij ſint legitimi & authen. quibus modis filij naturales legitimi efficiantur, §. ſancitum. Molina de iuſtitia, tom. 1. tract. 2. diſp. 172. de legitimatione per ſubſequens matrimonium*. Ideò hic mandat M. P. ab exequutore pronunciari huiuſmodi prolem in prætenſo matrimonio forſan ſuſceptam, vnà cum alia imposterũ ſuſcipienda, quoad vtrumque coniugem eſſe legitimam; cùm aliàs proles quo ad coniugem conſcium impedimenti non eſſet legitima, vt in præcedenti formula declarauimus in clauſula, *in foro conſcientiæ, &c.*

Subſequens matrimoniũ legitimat prolem ſuſceptã.

Reliquæ clauſulę huius formulæ ſunt eędem cum pręcedenti formula: ideò ſuperuacaneum eſt amplius in illis immorari.

Si autem ambo coniuges ante matrimonium ſciuiſſent impedimentum prædictum, M. P. in hunc modum reſcribit.

FR. An-

FR. Antonius Barberinus, &c. Quatenus, si est ita, dictos Latores, audita prius eorum sacramentali Confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, incestu, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. Iniuncta inde eis pro tam enormis libidinis excessu, graui, & diuturna pænitentia salutari, ac sacramentali Confessione, &c. Demum, dummodo impedimentum præfatum occultum sit, & separatio, &c. cum eisdem Latoribus de nullitate prioris consensus certioratis, &c. Reliqua vt in præcedenti formula.

Hæc formula à præcedenti solum differt in numero: illa enim loquebatur in numero singulari, & comprehendebat vnum coniugem solum; hæc verò loquitur in numero plurali, & comprehendit ambos coniuges. Cum ambobus igitur exequutor præstet, quod cum altero eorum iuxta præcedentem formulam præstitit, & superiniungat diuturnam pœnitẽtiam iuxta præsentem formulam. Mirabitur hic forsan aliquis, cur ob vnum & idem delictum temporanea diuersitas pœnitentiæ imponatur: quid enim maioris grauitatis superaddit, habere cõplicem? Respondetur quod grauius est, vnum crimen perpetrari à duobus, quam ab vno; cum crimen à duobus perpetratum, sit malitia duplici conflatum, & vnum sit alterius criminis causa, & ideò maiorem meretur pœnam.

Eodemque modo rescribitur pro coniugibus, qui postquam contraxerant matrimonium, sciuerunt impedimentum, & nihilominus à carnali copula non abstinuerunt.

Si verò Oratrix postquam se à quodam viro carnaliter cognosci passa fuerat, matrimonium cum illius fratre publicè contraxit, & successiue consummauit, ignara tamen impedimenti ex præmissis prouenientis, in hunc modum expediuntur litteræ.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd aliàs ipsa se carnaliter cognosci passa fuit à quodam viro, & deinde

cum illius fratre matrimonium in facie Ecclesiæ contraxit, & successiuè consummauit, ignara impedimenti ex præfata prima carnali copula prouenientis. Cùm autem, &c. Latrix præfata propter impedimentum ex præmissis, quæ occulta sunt, proueniens, nequeat in dicto matrimonio remanere absque Sedis Apostolicæ dispensatione, ad euitanda scandala, quæ, si diuortium inter ipsam, & dictum fratrem fieret, exoritura essent, ac pro suæ conscientiæ, &c. Quare, &c. Dictam Latricem, audita prius eius sacramentali Confessione, ab incestu, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. Iniuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu, graui pœnitentia salutari, & alijs, &c. Iniungen. &c. Demum, dummodo impedimentum, &c. Vt in prima præcedenti formula.

Ignorantia iuris excusat à dolo.

Cùm ignorantia iuris excuset à dolo. *l. qui in ius*, 138. §. *nemo videtur*, *vbi Dec. n.* 1. *ff. de reg. iuris. l. sed si lege*, 28. §. *scire*, *ff. de petit. hæreditatis. l. si quis in graui*, 3. §. *si quis ignorans. ff. ad senat. Sillan.* Et propterea ignorans puniri minimè debeat. *l. generalis*, 3. *C. de Tabularijs, lib.* 10. *c. fin. qui matrimon. accus poss. c. si verò*, 4. *de sentent. excommun. c. cognoscentes*, 2. *vbi Panorm. num.* 6. *de constit. glos. in Clement.* 2. *verb. ex tunc, de hæreticis. Bart. in l.* 1. §. *nuntiatio*, 1. *ff. de noui operis nunciat. Bald. & alij in l.* 1. *ff. de legibus.* eandem ob causam M.P. in huiusmodi formula omisit absolutionem *à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis contentis in Clem. vnica de consanguinitate, & affinitate.* Et consequutiuè non mãdat imponi frequẽtiam sacramẽtalis Cõfessionis, sed solum iniungi grauem pœnitentiam salutarẽ pro qualitate criminis; & ideò exequutor se gerat in imponenda pœnitentia, iuxta à me adnotata in prima formula istius secundæ Partis.

Et hæc sufficiant pro huius formulæ declaratione, quia aliæ partes sunt communes cum præcedentibus formulis, & ideò communem habent interpretationem.

Pro-

Pro Oratore qui postquam mulierem carnaliter cognouerat, matrimonium cum illius filia publicè in facie Ecclesiæ contraxit, & successiuè consummauit, & deinde ad eandem mulierem habuit carnalem accessum, sic expediuntur litteræ.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Ex parte Latoris, &c. Quòd ipse aliàs, postquam mulierem quandam carnaliter cognouerat, matrimonium cum illius filia in facie Ecclesiæ contraxit, & successiuè consummauit, & deinde ad eandem mulierem habuit carnalem accessum. Cùm autem, &c. Quare, &c. Quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius eius sacramentali Confessione, postquam omnem recidiuæ conuersationis præfatæ occasionem abstulerit, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis.* Prout in prima formula.

Hæc formula solum differt à præcedentibus alijs per istā vnicam clausulam, *Postquam recidiuæ conuersationis præfatæ occasionem abstulerit*, quā explicata, non opus erit aliud superaddere.

Dictio postquam, excludit tēpus præcedens.

Postquam, &c. Hæc dictio inducit conditionem exclusiuam præcedentis temporis. *Paris. cons.* 31. *n.* 38. *vol.* 1. *Menoch. cons.* 1103. *num.* 4. Et ideò Exequutor nō debet procedere ad absolutionem, & dispensationem istius pœnitentis, nisi remota prius fuerit omnis occasio recidiuæ conuersationis.

Omnem, &c. Cum omnis occasio peccandi remouēda sit. *c.* 1. *de iureiurando in* 6. & hoc M. P. hic iubeat; necesse est inuestigare quid sit occasio, & quotuplex, quæ & quomodo auferenda.

Occasio, quid sit.

Istud nomen, *occasio*, diuersimodè accipitur. Apud Rhetores enim sumitur pro opportunitate temporis, & ideò *Cicer.* 1. *de inuētione* dicit, quod occasio est pars temporis in se habēs alicuius rei idoneam faciendi, aut nō faciendi opportunitatē. & *in primo offitiorū* appellat *tēpus actionis opportunum*,

Opportunitas temporis.

tunum. Pro hoc facit *textus in l. capienda occasio*, 129. *ff. de reg. iuris. Bertazolus de clauſ. inſtrum. clauſula* 27. *gloſ.* 11. *num.* 1.

Apud Iuriſtas verò aliquādo ſumitur pro quacunque causa remota, & non vera. *Corneus conſ.* 153. *nu.* 7. *lib.* 2. *Decius in cap. ſua nobis*, 9. *de confirm. vtili, vel inutili*, *n.* 1. *Panor. in c. ſolitæ*, 6. *nu.* 1. *de maiorit. & obed.* vnde *Prouerb.* 18. dicitur: *Qui vult amico diſcedere, occaſionem quærit.*

Cauſa remota, & non vera.

Aliquando pro cauſa irrationabili, & iniuſta. *Authen. de lenonibus in princip. Bald. conſil.* 119. *incipit, ſtatuto cauetur, num.* 7. *verſ. ſed contra*, *lib.* 2. *Menoch. conſ.* 335. *n.* 25. & 18.

Cauſa irrationabilis.

Aliquādo pro cauſa remota, ſed impulſiua, quæ ordinetur ad effectum de quo agitur. *l. qui occidit*, 30. *ff. ad leg. Aquil. cap. de cætero*, 11. *de homicidio, cap.* 1. *§. porro de ſtatu regul. in* 6. & *c. vlt. de iniurijs. Tiraquel. tract. ceſſante cauſa lim.* 13. *n.* 8. *Menoch. conſ.* 395. *n.* 25. *Bald. conſ.* 237. *incip. vlterius quæritur, lib.* 1. *Felin. in d. c. ſolitæ*, *n.* 2. *de maiorit. & obedient.* Cauſa enim remota eſt ordinata ad effectum, de quo agitur. *Dec. in l. certi conditio*, 9. *n.* 1. *ff. ſi certum petatur. & in d. c. Sua nobis in princ. de confir. vtili, vel inutili.* Et ſumitur pro ipſo actu prouocationis, & inductionis ad rem, quam aliàs quis erat facturus, vt quando quis aliquē inducit ad vſuram, ad quam erat iam paratus, & quam aliàs erat facturus. *Felin. loc. cit. Archid. in c. ſi quis vſuram*, 14. *q.* 4.

Cauſa remota impulſiua.

Aliquando etiam ſumitur pro cauſa accidentali, vt quādo cauſa nō eſt per ſe ordinata ad effectum de quo agitur, ſed accidentaliter, & à caſu illud contingit. *l. fin. §. ſed cum in ſecundā. C. de fur. l. reſcriptū*, 12. *§.* 1. *ff. de diſtract. pign. l. generaliter*, 24. *§. proinde cōſequenter, verb. plane, ff. de fideicomiſ. libert. Bart. in l. fin. C. de Aduoc. diuerſ. Iud. Dec. in d. l. certi conditio*, *n.* 1. *ff. ſi certum petat. & in d. c. cognoſcentes*, *n.* 7. *de conſtit. & in rubr. C. qui admitti ad bonorum poſſeſſ. n.* 8. & 9.

Cauſa accidentalis.

Demum ſumitur pro cauſa vera reali, & proxima. *Felin. in d. c. ſolitæ*, *n.* 2.

Cauſa vera & proxima.

Omnem recidiuæ, &c.

Dictio, *omnis*, eſt vniuerſalis, nihilque excludit. *l. teſtoribus*, 59. *in princ. & l. Iulianus*, 66. *ff de leg.* 3. *l. hoc articulo*, 29. *ff. de hæred. inſtituend. Dec. in c. quoniam*, 13. *n.* 2. *de conſtit. & in l. omnia*, 7. *ff. ſi certum petatur. Tiraquel. in l. ſi vnquā*, 8. *verb. totum*, *n.* 1. *C. de reuoc. donat. Surd. deciſ.* 265. *num.* 30. & *conſ.* 170. *n.* 3. *Gonzal. ad reg.* 8. *Cancell. gloſ.* 6. *n.* 21. & *DD. cōmuniter.*


Dictio omnis eſt vniuerſalis

muniter. Et ideò vbi ponitur inducit vniuersalitatem in dispositione, prout facit in nostro casu, in quo M.P. iubet omnem occasionem, id est, quocunque modo accipiatur occasio, prius auferri. Et licet satis esset remotio occasionis proximæ ad recidiuum carnale commercium; attamen quia incestus est delictum perniciosissimum, & ab omnibus legibus summopere detestatum, & punitum, vt supra demonstrauimus; ideò hìc Maior Pœnitentiarius ad penitus illum extirpandum, & in eius odium, mandat omnem illius occasionem prius auferri, eo maximè quia in pœnitente nostro præsumitur aliquis ad incestum habitus, ob reiteratum actum copulæ carnalis, ac propterea accuratior, & non ordinaria cautela est in eo extirpando adhibenda.

Quomodo autem auferendę sint huiusmodi occasiones, pro nunc aliquas indicabo regulas generales, ex quibus particulares aliæ colligi, iuxta petentis necessitatem, & opportunitatem, poterunt.

Prima erit, non simul cohabitare in eadem domo, sed lõge à complice eligere habitationem: cohabitatio enim maris, & fœminæ, est dispositio ad copulam. *d. cap. iuuenis, de spons. & matrimon.* Secunda, prohibere ne complex eius domum ingrediatur; ad quod adimplẽdum nõ deerunt honesti prætextus. Tertia, remouere omnia, quæ fortè impellebant ad complicis domũ petendam, eiusque familiaritatem prosequendam. Quarta, muneribus nuncium remittere, & similia, &c. prout noster exequtor expedire iudicabit.

Remota igitur omni recidiuæ conuersationis occasione, exequutor valide procedet ad consummationem huiusmodi absolutionis, & dispẽsationis, iuxta allegata in præcedenti formula.



IN SECVNDO EX ACTV FORNICARIO DE CONTRACTO.

Pro Oratore, qui matrimonium contraxit cum muliere, cuius antea consanguineam in secundo gradu carnaliter cognouerat, expediuntur litteræ, vt infra.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs matrimonium in facie Ecclesiæ contraxit, & successiuè consummauit cum muliere, cuius consanguineam in secundo gradu priùs carnaliter cognouerat. Cùm autem, sicut eadem petitio continebat, impedimentum ex præfata carnali copula proueniens sit occultum, & separatio inter Latorem, & dictam mulierem fieri non possit absque scandalo: idcirco cupit Lator à præmissis, de quibus plurimum dolet, per S. P. officium absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. Quatenus, si est ita, dictũ Latorem, audita prius eius sacramentali Confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, incestu, & excessibus huiusmodi absoluas, hac vice, in forma Ecclesiæ consueta, iniuncta inde ei pro modo culpæ graui pœnitentia salutari, ac sacramentali Confessione peccatorum suorũ, &c.* Prout in prima formula de cõtracto.

Huius formulæ verba sunt eadem cum prima formula. Ergo præsupponendũ est mẽtem, & voluntatem M. P. esse, vt eodem modo exequutioni demandetur hæc formula, ac illa prima, quia verba sunt signa, & testimonium mẽtis nostræ, ac demõstrant voluntatẽ animi *l. Labeo, 7. §. idẽ Tubero, ff. de supell. legata. l. scire, 21. ff. de tutor. & curat. dat. ab ijs qui ius dare hab. l. 1. §. Diuus, ff. ad leg. Cornel. de sicar. Surd. de alimentis, tit. 2. q. 2. num. 1. & cons. 179.*

Desunt solummodo verba illa *(pro tam enormis libidinis* ex-

excessu) quæ, & maiorem delicti, & consequenter pœnitētiæ imponendæ grauitatem denotant; & ideò mitius cum hoc nostro Latore, quàm cum illo præcedenti quoad pœnitentiam imponendam, agere debet exequutor; in reliquis verò eos pares faciat.

Si verò mulier carnaliter cognita non solum sit consāguinea in secundo gradu præfensæ vxori latoris, verum etiā ipsi latori consanguinea existat in quarto gradu, & ad hūc effectum à Dataria obtinuerit dispensationē super dicto quarto gradu, sed nullā de præfata copula mentionem fecerit, vt infra expediuntur litteræ, pro foro conscientiæ.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs, postquam mulierem carnaliter cognouerat, matrimonium in facie Ecclesiæ contraxit, & successiuè consummauit cum illius consanguinea in secundo, & sibi in quarto gradibus coniuncta, obtenta prius à Sede Apostolica dispensatione super dicti quarti gradus impedimento in qua nulla facta est mentio prædictæ copulæ. Cùm autem, sicut eadem petititio cōtinebat, Lator prefatus propter impedimentum ex predicta carnali copula prouenieus, nequeat in dicto matrimonio remanere, absque noua Sedis Apostolicæ dispēsatione, ad euitanda scādala, quæ, si diuortium inter eos fieret, exoritura essent, ac pro sua conscientiæ quiete cupit lator à præmissis, quæ occulta sunt, & de quibus plurimū dolet, absolui, secumq; desuper dispēsari. Quare, &c. quatenus si est ita, dictū Latorē, audita prius eius sacramētali Cōfessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, incestu, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c Iniuncta inde ei pro modo culpæ graui pœnitētia salutari, ac sacramētali Cōfessione peccatorū suorū, singulis scilicet mensibus, vt minimū semel, & quoties illius animæ saluti expedire iudicaueris. Demū dūmodo impedimentū ex carnali copula prædicta proueniēs sit occultum, & separatio, &c. ac aliàs ritè, & iuxta formā litterarū Apostolicarū, verificatisq; in eis narratis super impedi-

mēto quarti cōsanguinitatis gradus huiusmodi, cum ipso, et dicta muliere dispensatū fuerit, atque occultum sit, dictas litteras dispensationis propter præmissa inualidas esse, aliudque canonicum non obstet; cum eodem Latore, vt dicta muliere de nullitatis prioris consensus certiorata, &c. Reliqua vt supra.

Cùm hæc formula contineat omnes clausulas in prima præcedenti formula de contracto expressas, ac præterea alias duas vt suas proprias; ideò ad has duas tantum explicandas hìc animum conuertere debemus.

Ac aliàs rite, &c. Hic subintelligitur præcedens dictio, *dummodo*, prout denotat dictio, *ac*, in principio posita, quæ est copulatiua, & ponitur pro, & . *l. 2. §. & cum placuisset, ff. de origine iuris, l. 2. §. fin. C. de summa Trinitate, l. scire leges, 17. ff. de legibus, & l. libertas, 4. §. fin. ff. de statu hominum.*

Dictio, ac, est copulatiua.

Et ideo copulat subsequentia cum præcedentibus. *l. & quia, 6. ff. de iurisd. omnium iudicum, glossa in l. 2. in principio ff. de dote prælegata, & in l. si sic, 7. ff. quemadmodum seruitus amittatur. Soccinus iunior cons. 71. num. 4. vol. 3. Mascard. de prob. concl. 1265. num. 32.*

Et sicut dictio, *dummodo*, operatur, vt dispositа in præcedentibus, quibus ipsa fuit adiuncta, necessario existant, immò requirit, vt de necessitate existat illud, cui adiungitur, ad hoc, vt dispositio suum possit sortiri effectum, *Io Andr. in cap. ex tuarum, 5. de auth. & vsu pallij, & Alex. in l. 1. in principio in 2. notabili, ff. ad l. falcidiam, & Decius cons. 326. num. 3. tom. 1. Ruinus cons. 152. tom. 4.* Ita hoc loco necessitat, vt dispensatio super quarto consanguinitatis gradu obtenta, iā demandata sit exequutioni per Ordinarium, cui directa fuerat. Et licet dictio, *alias*, sit aduerbium temporis, & sumatur pro alio tempore. *l. dicere 23. §. fin. ff. de recept. arbitr. l. 3. ff. de condit. sine causa. Bart. in l. 1. num. 12. ff. de condit. & demonstr.* & de natura sua æque se habeat ad tempus præteritum, futurum, & præsens, iuxta propositiones, in quibus apponitur; si enim propositio respicit præsens, ipsa inseruit tempori præsenti. *l. diuortio, 37. vbi glossa in verbo, alias, ff. de negotijs gestis*. Si propositioni de præterito iungitur, respicit etiam tempus prętеritum.

Dictio, alias, quæcumque tempora potest respicere.

dicta

dicta l. dicere, §. sed si de pluribus, ff. de receptis arbitris. Si ponatur propositioni de futuro, & facit actum conditionalem, & respicit tempus futurum. *l. alias, 18. ff. de iure iurando.* Nihilominus in nostro casu, cum iuncta sit verbo, *dispensatum fuerit*, quod importat tẽpus præteriti perfecti, limitatur ad tempus præteritum, atque ita actum perfectum exposcit.

Ritè ac iuxta formã, &c. Hoc est, seruatis ordine, & solemnitatibus in dictis litteris præscriptis: nam dictio, *ritè*, respicit ordinem, & solemnitatem, hoc est, exposcit vt illud cui adiungitur, sit solemniter, & ordine debito factum. *l. generaliter, 12. §. sin autem, C. de rebus creditis. glos. & Bart. in l. non putaui, 8. §. non quæuis, ff. de bonorum possess. contra tabul. glossa in l. 2. in principio, ff. de iniusto, rupto, & irrito facto testamento. Panor. in cap. 1. §. vna verò, num. 1. de Sum. Trinitate.* Et si volumus adijcere *cum Iasone in l. Titius, 25. num. 3. ff. de liberis, & posth. & Decio in l. lecta, 40. num. 21. & 22. ff. si certum petatur, & alijs*, quod vnà cum ordine respiciat etiam iustitiam, hoc est, vt illud, cui adiungitur, sit iuste, & æque factum, bene etiam adijciemus; nam vtrumque hic exposcit M. P. saltem vt in foro fori vtrumque præsumatur & exequutor ad vlterius inuestigandum non tenetur; est enim præsumenda dispensatio rite, & recte facta in eo foro, donec contrarium detegatur, quia statur sententiæ, donec eius iniquitas detegatur. *cap. sicut, 16. de re iud. cap. in præsentia, 6. de renunciation.*

Dictio, ritè respicit ordinem, & solemnitatem, & iustitiam.

Et standum in hoc est, sicut in alijs, dicto ipsius latoris: si deponat secum vigore dispẽsationis super quarto gradu obtentæ dispensatum fuisse præmisso examine testium, & alijs seruatis iuxta formam præscriptam in litteris Apostolicis; vel saltem, si dicat secum ritè dispensatum fuisse.

Atque occultum sit, &c. Ob eandem rationem paulò ante allatam, hìc etiam subintelligitur eadem dictio, *dummodo*, & consequenter necesse est vt actu sit occultum, prædictam dispensationem esse inualidam ob præmissa in ea non expressa.

Litteras prædictæ dispensationis propter præmissa inualidas, &c. Licet probabile sit iuxta sententiam *Nauarri lib. 1. consil. tit. de constitutionibus cons. 1. quæst. 19. nu. 48.*

nu. 48. *& sequent. Graffij parte* 1. *decisionum lib.* 2. *cap.* 81. *num.* 13. *Petri de Ledesma de matrim. q.* 59. *art. vlt. dubio* 2. *difficult.* 3. *post concl. corollar.* 1. *Emanuelis Sà verb. dispẽsatio, & aliorũ* quod possit quis pro singulis impedimẽtis singulas dispẽsationes separatim impetrare, nõ facta mẽtione alterius impedimenti, eo quod neque iure canonico, neque Cęsareo caueatur, vt in obtinẽda dispẽsatione super vno impedimento matrimonij, fiat mentio de alijs impedimentis, & propterea non sit inducenda obligatio iuris, vbi ius non obligat, *c.* 2. *verf. sed neque, vbi glos. in verb. non inuenitur, de transl. Episcopi. cap. consuluisti,* 2. *q.* 5. *c. nuper,* 29. *S. in secundo, de senten. excomm. glos. in cap.* 2. *in verb. debitum, de cognat. spirituali.*

Permissa censentur, quæ prohibita nõ inueniuntur. Permissa enim censentur, quæ per legem prohibita nõ inueniuntur. *l. necnon,* 28. *S. quod eis, vbi glos. in verb. prohibeant. ff. ex quibus causis maior* 25. *annis in integ. restitut. l.* 1. *ff. de testib. l. mutus* 43. *S. quæritur, ff. de procur. l. ab ea parte* 5. *ff. de probat.* *In dubio censetur actus permissus.* Et in dubio censetur actus permissus, quando non reperitur prohibitus. *Anchar. conf.* 344. *Menoch. de præsumpt. lib.* 6. *quæst.* 16. *nu.* 2. *Mascard. de probat. lib.* 3. *concl.* 1237. *n.* 2.

Omnia impedimenta exprimenda sũt in dispensatione. Nihilominus cõtraria sententia probabilior est, & tenẽda, videlicet, quod necessario facienda sit mentio omnium impedimentorum dirimentiũ in vna eademque dispensatione, alias dispensatio est subreptitia & nulla: nam iura pręcipiunt omnia impedimẽta Pontifici exprimi, nihilque taceri ex ijs, quæ ad dispensationem intrinsecè conferunt. *c. postulasti* 27. *& c. ad audientiam* 31. *de rescript.* sed pluralitas impedimentorum cõfert intrinsecè ad dispensationem, ergo sunt in vna eademque dispensatione simul exprimenda. Patet, quia vnum impedimentum coniunctum cũ altero impedimento, facit vinculum longè strictius, & difficilioris dispensationis. *c. ex tuarum* 5. *de authorit. & vsu pallij. c.* 1. *de tregua, & pace. c. pastoralis,* 19. *de priuilegijs.* Ergo vnum intrinsecè confert ad dispensationem alterius: idque clarius probatur ex stylo Curiæ, quo omnia impedimenta matrimonialia exprimi solent in vnica dispensatione; imò si obtenta dispensatione super vno impedimẽto, detegatur aliud impedimẽtum, vtriusque fit mentio in noua dispensatione; & si secus fiat, dispensatio declaratur inualida à M. P. ad quem in huiusmodi casibus fit recursus,

 quando

quando dispensationis subreptio, vel alterum ex impedimentis sunt occulta: vt hic in nostra formula expressis verbis fit: & declaratio M. P. qui continuò commoratur in Curia, facta cum scientia & consensu suorum Officialiū, quorum Regens est S.Rotæ Auditor, magni facienda est ad tollendas omnes dubitationes. Et sciendum est, quod omnes formulæ, quibus vtitur M.P. in suis litteris, fuerunt de Anno 1612. discussæ ac recognitæ, ita mandante Eminentiss. & Reuerendiss. D.Scipione Burghesio tunc Maiori Pœnitent. ab Illustrissimo D.Io. Baptista Coccino S.Rotæ Decano, ac Regente Officij S. Pœnitentiariæ Apostolicę, à P.Benedicto Iustiniano nostræ Societatis, Rectore Pœnitentiariæ S.Petri, ac Consultore Theologo, & à Reuerendiss. D.Io. Francisco Fagnano à Secretis S.Congregationis Concilij, & Consultore Canonista eiusdē Officij S.Pœnitentiariæ; & postea ab omnibus alijs Officialibus eiusdem Officij S. Pœnitentiariæ approbatę, & confirmatæ: ac propterea hic Pœnitentiariæ stylus authoritatibus omnium aliorum Doctorum in contrarium facientibus pręualere omninò debet. Maioris enim Pœnitentiarij Officiales sunt ex primarijs Romanę Curiæ Viris, tum ob insignem eorum doctrinam, tum etiam ob diuturnam negotiorum, quæ in eadem Romana Curia geruntur, experientiam, & ideò eorum sententię maximè deferendū est.

Quæ omnia intelligenda sunt de impedimentis dirimentibus matrimonia, non autem de ijs, quę solum impediunt contrahendum, sed cōtractum non dirimunt. Sicut enim cum huiusmodi impedimentis sine dispensatione validè contrahitur matrimonium, ita etiam cum dispensatione super impedimento dirimente obtenta, in qua non sit facta mentio alterius impedimenti non dirimentis: dispensationes enim obtinētur, vt validè fiat, quod sine illis si fieret, esset inualidum: sed matrimonium sine dispensatione impedimenti non dirimentis validè contrahitur, ergo non est necessaria quoad validitatem matrimonij, dispensatio super impedimento non dirimēte: ergo expressio dicti impedimenti in dispensatione super alio impedimento dirimente obtenta, nō est necessario facienda; ergo non inualidat dictā dispensationem illius taciturnitas.

Pręterea, stylus Romanæ Curiæ est, vt super voto Castitatis, seu Religionis, vel simi-

ſimilium, obtineatur diſpenſatio à Sacra Pœnitentiaria, & ſuper impedimento dirimente matrimoniū, obtineatur diſpenſatio à Dataria. Si vero ex impedimentis dirimentibus ad aliquod matrimonium impediendum concurrentibus, vnum ſit publicum, & aliud occultum, licitè à Dataria impetratur diſpen. ſatio ſuper impedimento publico, & a S. Pœnitentiaria poſtea obtinetur alia diſpenſatio ſuper impedimento occulto: cum expreſſa mentione impedimenti publici, & diſpenſationis deſuper obtentæ: neque de hoc dubitare quis poteſt, cū hic ſit ſtylus Romanæ Curiæ, & præcipuè S. Pœnitentiariæ. Ratio etiam hoc dictat, cùm alias nemo teneatur propalare in foro externo ſuam turpitudinem, & ad ſaluti, ac famæ occultorum reorum conſulendum, fuerit inſtitutum à Sede Apoſtolica S. Pœnitentiariæ officium. Non ſatis eſt S. Pœnitentiariæ ſolū exponere impedimentum occultum, ſed oportet vt exponatur & publicum, ac diſpenſatio nulliter deſuper obtenta; Sic enim in foro interno diſpenſatur denuo, & ſuper impedimento publico, quod factum eſt occultum propter publicam diſpenſationem: quia in foro fori fuit, licet nulliter, ſuper eo diſpenſatum, & ſuper alio impedimento per ſe occulto. Si ſecus fieret, claudicaret diſpenſatio, & matrimonium eſſet inualidum. *Petr. de Ledeſ. in ſum. ſacram. de matrim. c.27. poſt ſextam concl. difficult. 1. Sanch. de matrim. lib. 8. diſp. 23. num. 7.*

Reliquas clauſulas huius formulæ, vide in præcedentibus formulis.

AFFINITAS SVPERVENIENS.

Pro eo, qui matrimonium per verba de præſenti contraxit cum quadam muliere, & deinde illius ſororem carnaliter cognouit, conficiuntur litteræ, vt infra.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Quod ipſe aliàs, poſtquam matrimonium in facie Eccleſiæ contraxerat cum*

quadam

quadam muliere eius ad præsens vxore, & successiuè consummauerat, illius sororem carnaliter cognouit: Cum autem dictus Lator in dicto matrimonio remanere, & debitum coniugale reddere, & exigere licitè posse desideret, pro suæ conscientiæ quiete cupit à præmissis, quæ occulta sunt, & de quibus plurimum dolet, per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. Quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius eius sacramentali Confessione, postquam omnem recidiuæ conuersationis prædictæ occasionem abstulerit, ab incestu, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta; Iniuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu, graui pœnitentia salutari, ac sacramentali Confessione peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, &c. & aliis &c. iniunge, &c. Ipsumq; Latorem præmissis non obstantibus in dicto matrimonio remanere, & debitum coniugale reddere posse, & debere declares, & nihilominus si impedimentum huiusmodi occultum sit, & de Latoris incontinentia probabiliter timendum esse tibi visum fuerit, cum eodem, vt idem debitum etiam exigere licitè valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiæ, &c. & non aliter, &c. Ita quod in foro iudiciario nullatenus suffragentur. & si vxori superuixerit, maneat sine spe coniugij, nullis, &c. vt in prima formula matrimoniali.

Quid sit affinitas, quomodo contrahatur, & vsque ad quem gradum impediat matrimonium, satis abundè insinuaui in principio huius nostræ secundæ Partis, dum egi de impedimentis dirimentibus matrimonium, *num.* 12. Hic solum videre est; an ista affinitas superueniens matrimonio iam contracto, illud vitiet, & quomodo vitiet.

Primo aduertendum est, istā affinitatem prouenientem ex copula, quam quis habet cum consanguinea suæ vxoris, non protrahi vltra secundum gradum, iuxtà decretum *Sacri Concilij Triden. sess.* 24. *cap.* 4. *de sacramen. matrim.*

matrim. & ideò si lator cognouisset consanguineam in quarto gradu, hac dispensatione non egeret.

Secundo aduertendum est, quod affinitas superueniés matrimonio iam validè contracto, non dissoluit illud. *c.* 1. *cap. discretionem*, 6. *& c. fin. de eo qui cognouit consanguineam suæ vxoris*.

Tertio, aduertendum, quod affinitas prædicta superueniens, licet nō dissoluat matrimonium, attamen impedit omnino, vt criminis huiusmodi auctor debitum coniugale exigere possit. *d. cap.* 1. *cum alijs sequen. &c. vbi glossa & DD. communiter*. Illud tamen requisitus reddere alteri suo coniugi tenetur. *cap. transmissæ*, 4. *de eo qui cognou. consang. vxor.* nemo enim sine propria culpa fraudari debet suo iure. *d. cap. tuæ, & d. cap. fin. glos. in c. qui dormierit, in verbo, neutram*, 32. *q.* 7.

Tota igitur ratio huiusmodi formulæ est, ad dispensandum cum latore præsentium, vt petere licite possit debitum coniugale a sua vxore.

Dictum latorem, &c. Licet non sit imposita censura contra simplices incestuosos, neque hic, dum agitur de absoluendo nostro incestuoso, fiat mentio quod in eo absoluendo præmittatur ordinaria formula absolutionis Sacramentalis, quæ primò continet absolutionem a censuris, & deinde a peccatis; nihilominus exequutor dicta formula Sacramentalis cōfessionis vti potest in eo absoluendo, quia vnà cum incestu debet illum absoluere ab aliis peccatis, tum vt seruet consuetudinem Ecclesiæ; tum quia talis est mens M.P. quæ colligitur ex verbis illis, *absoluas in forma Ecclesiæ consueta*.

Postquam omnem recidiuæ. Videre est, quæ in penultima formula adnotauimus.

Iniuncta, &c. Cum non solum sit incestus, sed etiam adulterium, ideò grauior est enormitas delicti, & grauior pœnitentia iniungenda est: nam frangitur fides data alteri coniugi, adulterando: Fit iniuria Sacramento matrimonii, quod requirit continentiam coniugalem: Violatur honestas, & reuerentia debita consanguineę, ac familię suæ vxoris.

Quæ propterea imponenda sit pœnitentia, relinquitur prudentis arbitrio exequutoris, qui poterit se gerere iuxta notata in prædictis aliis formulis matrimonialibus.

Ac Sacramentali Confessione, &c. Coniugatum non grauarem obligatione cõfitendi vltra duas ad summũ vices singulis mensibus per annum, vel ad duos annos, ob rationes aliàs a me in hac Praxi allatas.

Ipsumque latorem, præmissis, &c. Quia matrimonium legitimè contractum, nihil superueniens rescindit. *cap. horrendus cum sequen. 32. q. 5. cap. hi verò cum sequen. 32. quæst. 7.* præter ingressum religionis, si matrimonium sit ratum, & non consummatum. *cap. verum, 2. & cap. ex publico, 7. de conuers. coniugat.* ideò M. P. per huiusmodi clausulam declaratoriã mandat certiorari latorem præsentium de indissolubilitate sui matrimonii, & de obligatione reddendi debitum coniugale suæ vxori.

Et nihilominus, &c. Cum hæc dictio de sui natura augeat dispositionem eius, super quo ponitur. *l. fin. §. fructus, vbi glossa in verbo, nihilo magis, ff. quæ in fraudem credit. l. qui in potestate, 6. in fine, ff. qui testam. facere possunt*; & ideò nostræ formulæ dispositionem auget, procedendo a declaratione secundũ legem, ad dispensationem petendi debitum coniugale contra legem, non simpliciter, sed sub conditione, quatenus impedimentum contractum sit occultum, & latoris continentia periclitatura sit; quorum alterum si deficiat, etiam dispensatio deficit; hoc enim important duæ illæ dictiones, *si, &*: prima enim inducit conditionem. *l. 1. vbi DD. ff. de condition. & demostr.* secunda vero copulam: & propterea copulat secundam partem istius clausulæ cum prima conditionali, & operatur, vt vtraque veniat æquè principaliter, & sub eadem qualitate, limitatione, & conditione. In vtroque tamen inuestigando parum exequutor laborabit, quia præsumitur vtrũque ad fauorem latoris dispẽsandi: etenim copula non præsumitur habita in publico, vel aliis præsentibus. Insuper, etiam si nota esset, nihilominus posset impedimentum adhuc esse occultum, ex eo quod ignoretur propter illam latorem priuatum existere suo iure petendi debitum coniugale, vt dixi, quando in principio huius secundæ Partis egi de occultis: & quod hunc occulti modum admittat M. P. colligitur ex verbis ipsius, dum dicit, *impedimentum ex præmissis proueniens sit*

Nihilominus, est dictio augens dispositionẽ.

Dictio, si, importat conditionem.

sit occultum: non autem dicit, copula sit occulta.

Similiter cohabitatio viri, & mulieris, vehementem inducit præsumptionem incontinentiæ. *cap. iuuenis, 3. de spons. & matrim. cap. 1. & cap. a nobis, 9. vbi glossa, de cohab. cleric. & mulier.* Poterit igitur exequutor facillimè ad latorem dispensandum procedere.

Reliquę clausulæ huius formulæ symbolizant cum aliis præcedentium formularum, & ideo in eis explicandis amplius non immoror.

Et si vxori superuixerit, etc. Quamuis dispensatio expressa non extendatur vltra actũ expressum. *c. 1. de fil. presb. & c. fin. eodem tit. in 6. Hostien. in cap. postulasti, 29. de rescriptis.* *Panor in cap. ad aures, 8. de rescript. & in cap. at si clerici, 4. §. de adulterijs, de iudic.* ac propterea lator præsentium vigore huius dispensationis non intelligatur rehabilitatus ad contrahendum nouum matrimonium casu, quo eius vxor premoriatur, sed debeat remanere sine spe alterius coniugij in pœnam sui criminis. *dd. cap. 1. cap. transmissæ, & cap. ex litteris, de eo qui cognou. consanguin. suæ vxor.* attamen, ne ignorantiam allegare possit, admonendus est, se remanere inhabilem vt prius, ad aliud matrimonium contrahendum, si superuixerit suę vxori, & huiusmodi dispensationem, quo adhoc nihil ei prorsus suffragari.

Dispensatio non extenditur vltra expressa.

Pœna adulteri incestuosi



COM-

COMPATERNITAS

DE CONTRAHENDO.

Pro Oratoribus, qui cùm inter eos compaternitatis vinculum adesset, carnaliter se cognouerunt, & vt Mulieris diffamatæ honori consulatur, cupiunt matrimonium inter se contrahere; si M. P. dispensationem concedat, litteræ expediuntur vt infra.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse lator aliàs è sacro fonte latricem leuauit, eamque ad nubilem ætatem peruentam carnaliter cognouit: & cum hoc ad aliorum notitiam deuenerit, vt illius honori consulat, matrimonium cum ea contrahere desiderat. Cùm autem, &c. occultum sit inter latores compaternitatis vinculum adesse, & nisi matrimonium huiusmodi ad effectum perducatur, latrix diffamata remansura sit; ad id vitandum, ac pro suæ conscientiæ quiete, cupiunt latores a præmissis, de quibus plurimum dolent, per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. quatenus, si est ita, dictos latores, audita prius eorum Sacramentali confessione, ab incestu, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. Iniuncta inde eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, & alijs, &c. iniungen. Demum, dummodo impedimentum ex premissis proueniens sit occultum, & infamia latricis per matrimonium obuiatum iri tu iudicaueris, aliudque canonicum non obstet, cum eisdem latoribus, quod præmissis non obstantibus, matrimonium inter se publicè, seruata forma Concilij Tridentini, contrahere, & in eo postmodum remanere licitè va-

leant, misericorditer dispenses: Prolem, &c. nuncian. in foro conscientiæ, &c, vt in præcedentibus formulis matrimonialibus.

Quòd occasione Baptismi cōtrahatur cognatio spiritualis valida ad impediendum, & dirimēdum matrimonium, satis apertè patet *ex c. 1. cum seq. de cognat. spiritual. Concil. Trid. sess. 24. de reformat. matrimonij, cap. 2.*

Quòdque eadem cognatio contrahatur ex Sacramento Cōfirmationis, patet similiter *ex cap. fin. de cognat. spirit. in 6. & ex Conc. Trid. loco cit.*

Inter quos contrahatur hęc cognatio, iam dixi in principio huius secundę partis, dum egi de impedimentis dirimentibus, *num. 4.*

Quatenus si est ita, &c. ab incestu, &c. Hæc cognatio spiritualis, vt benè aduertit *Panor. in rubr. de cognat. spirit.* imitatur naturalem, seù carnalem cognationem quantum potest: vndè sicut cognatio naturalis oritur per natiuitatem, quæ consistit in carne, ita spiritualis per natiuitatem, quæ cōsistit in spiritu; ac propterea dicitur in *Euangelio. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*: ideò sicut violatio fœderis naturalis inter attinentes cognatione naturali appellatur incestus, *l. si adulterium cū incestu, 38. ff. ad legem Iuliam de adult.* Ita violatio huius fœderis spiritualis appellatur incestus, & tamquam incestuosum nostrū hunc reum absoluendum mandat M.P. eique imponendam in isto foro secreto pœnitentiam cōdignam tanto crimini; sed iuxta eiusdem fori benignam consuetudinem, prout in prima huius secundę Partis formula indicauimus.

Et alijs, &c. Videnda est hæc eadem clausula in preallegata prima formula.

Demum, dummodo impedimentū, &c. Dictio *demum* est dictio taxatiua. *l. ita demū, 36. ff. de recept. arbitr.* & coniuncta cum sequenti dictione *dummodo*, quæ de sui natura requirit vt necessario existat illud, cui adiungitur, ad hoc vt dispositio sortiri possit suum effectum. *Dec. cons. 326. nu. 3. to. 1. et alij*, operatur vt facultas huiusmodi dispensandi, nō sit libera, sed limitata ad occultum impedimentum, & ad tollendam latricis infamiam; adeò vt si impedimentum sit publicum, & non tollatur latricis infamia, vel alterum ex

eis

-cis desit, facultas sit nulla, & inualida, & per consequens quicquid ex ea sequitur, etiam nullum, & inualidum futurum sit.

Cognatio spiritualis de sui natura est publica.

Diligenter igitur exequutor animaduertat, an ista cognatio spiritualis sit occulta, nec nè: nam de sui natura est publica, cum contrahatur publicè in facie Ecclesiæ, non solum coram Parocho, verum etiam multis alijs presẽtibus, & in peculiari libro Ecclesiæ describantur eorum nomina, & soleant continuo isti se inuicem vocare compatres, commatres, & susceptos è sacro fonte vulgariter appellent filios; atque ita non facile transit in obliuionem istud cognationis vinculum.

Negare tamẽ quis audeat, illud, quod de sui natura est publicum, fieri posse ex aliquo accidente occultum?

Occultatur per diuturnitatem temporis.

Primo enim diuturnitas tẽporis obscurat, & occultat cõditionem originis. *c. longinquitate*, 12. *q.* 2. *l. præstat*, 2. *C. de long. temp. præscript. quæ pro libertate*; videlicet lapsus decennij adminus. *cap. licet*, 3. *de coniug. seruorum*.

Per loci distantiam.

Secundo, Distantia a loco contractæ cognationis; vt si quis Romæ mulierem è sacro fonte suscipiat, & deindè trãsferat suum domicilium Venetias, & ibi illam in vxorem accipiat; nam in facti alieni ignorantia tolerabilis error est *l. fin. ff. pro soc.* præterquam in vicinis. *c. quosdam*, 7. *vbi glossa in verbo, viciniores, de præsumpt. c. finali, qui matrim. accus. poss. & c. quod dicitis*, 16. *dist.* vicini enim præsumũtur scire facta vicini propter loci vicinitatem: ergo in absentibus toleratur error ignorãtiç, quia rationabilis propter loci distantiam; immo absentia a loco delicti, vel facti aliàs publici, inducit præsumptionem ignorantiæ. *d. c. finali, & l.* 1. *§. si vero C. de falsa moneta*.

Per mortem adstantium.

Tertio, Mors eorum, qui interfuerunt prædictæ susceptioni, vel eam sciebant: per mortem enim testium occultatur veritas. *cap. quoniam*, 5. *vbi Panor. num.* 7. *vt lite non contest. Goffred. in sum. eodem tit. num.* 1,

Per ignorantiam prohibitionis.

Quarto, ignorantia prohibitionis a sacris Canonibus factæ, quod nõ contrahatur matrimoniũ inter huiusmodi cognatos sub pœna nullitatis.

Et latricis infamiæ, &c. Ad mulieris violatæ honorẽ restaurandum iura decernunt matrimonium. *c.* 1. *& c.* 2. *de adult. & stupro*: & propterea exequutor non dubitet, quin per matrimonium subsequens prouideatur amissæ latricis famæ.

Aliudque canonicum non obstet, &c. Pro huius clausulæ cum alijs subsequentibus eiusdem formulæ intelligentia, vide quæ notaui in prima formula huius secundæ partis; nec opus est hic aliud superaddere.

Pro Oratoribus, qui a Sede Apostolica obtinuerunt dispensationem super cognatione spirituali, sed litteris nondum receptis, vel nondum exequutioni demandatis, se carnaliter cognouerunt; si a M.P. concedatur dispensatio ad contrahendum eorum matrimonium, litteræ expediuntur vt in præcedenti formula: solũ superadditur post clausulam, *aliud Canonicum non obstet*, sequens clausula.

Cum eisdem latoribus, postquam secum super impedimento cognationis spiritualis huiusmodi, iuxta formam litterarum prædictarũ ritè, verificatisque ijs, quæ in illis narrata fuerunt, dispensatum fuerit, quòd præmissis non obstantibus, matrimonium inter se publice, &c.

vt supra. Quæ clausula superaddita omnino attẽdenda est nam in ea fundatur dispensatio Maioris Pœnitentiarij;

Postquam secum, &c. Dictio, *postquam*, importat conditionem excludentem tempus anterius, & solum respicientem tempus posterius, *Paris. cons. 31. num. 38. vol. 1. Menoch. cons. 1103. nu. 4.* adeo vt dispositio habere suum effectum in anteriori tempore nequeat. Ideo exequutor hac conditione ad contrahendũ matrimonium dispensare debet, postquam in foro fori, vigore prioris dispensationis dispensatum fuerit; & nisi hæc dispensatio præcedat, matrimonium vigore secundæ dispensationis contrahendum, est nullum: nam dispensatio conditionalis non tenet nisi existente conditione, sub qua fuit concessa. *l. si quis sub conditione, 8. ff. si quis omissa causa testamenti, l. cedere diem, 213. ff. de verborum significat. l. si quis fundum, 37. ff. de cont. emptione. Afflict. dec. 355. n. 4. Surd. de aliment. tit. 9. q. 24. a num. 13. & cons. 298. num. 1. & cons. 322. num. 26.*

Tutius erit, si exequutor post consummatam primę dispensationis exequutionem in foro fori, dispenset in foro conscientiæ: non tamen errat, si prius dispenset sub prædicta conditione.

COM-

COMPATERNITAS DE CONTRACTO.

Pro Oratoribus, quorum alter infantem alterius de sacro fonte leuauerat, & deinde ipsi matrimonium in facie Ecclesiæ inter se contraxerunt, atque in eo per plures annos permanserunt.

Litteræ, vt in precedenti formula in secundo de contracto expediuntur: non tamen pro pœnitentia imponitur obligatio Sacramentalis Confessionis, nisi aliter ipsi exequutori visum fuerit. Et ideò hìc nihil superaddendum existimo.

DECLARATORIA COMPATERNITATIS.

Pro Oratore, qui tanquam famulus compatris inuitati & non venientis, omnino inuitus puerum è fonte Baptismatis leuauit, seu mutauit voluntatem id faciendi, & nihilominus illum leuauit; & deinde ijs non consideratis, matrimonium cum matre dicti pueri publicè contraxit, &c. Litteræ vt infra.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Quatenus, si est ita, dictum latorem, audita prius eius sacramentali Confessione, dummodo inuitus id fecerit, seu mutauerit voluntatem id faciendi, nullam ex præmissis spiritualem cognationem contraxisse cum prædicta muliere, ipsumque in matrimonio prædicto sic per eum contracto libere remanere posse nuncies, & declares in foro conscientiæ, & in ipso*

actu sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, neque alio modo. Dat. &c.

Pro huiusmodi formulæ intelligentia aduertendum est, ad contrahendam istam cognationem spiritualem tria de necessitate requiri: Primo, electionem per parentes baptizandi faciendam de persona, quæ patrini munus obire debeat. Secundo, actum materialem, & corporalem, quo per futurum compatrem realiter tangatur corpus baptizandi, seu confirmandi, dum baptizatur, & sacro fonte abluitur, seu cõfirmatur. Tertio, intentionem faciendi quod per illum externum actum intendit Ecclesia; adeò vt si alterum deficiat, non contrahatur ista cognatio.

Requisita ad contrahendã cognationem spiritualem.

Quòd autem requiratur primo electio de patrino faciẽda, patet, quia *Conc. Trid. sess. 24. c. 2. de reform. matrim.* statuit, quòd si alij præter designatum baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant. Si baptizãdus sit adultus, & sui iuris, potest ab eo fieri electio patrini: & hanc ob causam *Conc. loco cit.* dixit, ***ad quem spectabit talis electio fieri***, non restringendo se ad parentes tantùm.

Secundo requiritur actus corporalis suscipiẽtis, vt aperte colligitur ex verbis sacrorum Canonum, qui huiusmodi cognationem statuũt. Nam *c. 2. cap. Martinus, 4. de cognat. spirituali, c. 1. & c. finali eod. tit. in 6. c. omnes, 30. q. 1. c. 1. cum sequen. 30. q. 3.* vtuntur ad hũc actum explicandum verbo, *suscipere è sacro fonte*, & *c. veniẽs, 6. eod. tit.* vtitur verbo *leuare*: & *c. cõtracto, 5. eod. tit.* adhibet verbũ *tenere*: & *Conc. Trid. de reform. matrim. sess. 24. c. 2.* adhibet verbũ *tangere*; quæ omnia verba sunt synonima, & significant actum istum externum, & corporalẽ. Quòd iste actus externus detentionis, & susceptionis, sit necessarius ad contrahendam huiusmodi cognationem, ferè omnes Doctores sentiunt. *Ioann. And. in c. fin. n. 1. de cognat. spirituali in 6. Panor. in rub. de cognat. spirit. Couarr. in 2. parte, c. 6. §. 4. n. 4. Henriquez lib. 12. cap. 11. nu. 3. Sanchez de matrimon. lib. 7. disp. 56. nu. 1. & alij.*

Quod demũ requiratur necessariò ad contrahendã istam cognationem spiritualẽ intentio suscipientis, tenent *Panor. in c. 2. nu. 4. & in c. venient, 6. n. etiam 4. de cognat. spirit. Sanchez de matr. lib. 7. disp. 58. n. 4. Armilla verbo, matrimonium, num. 12. Siluester eodem verbo, matrimon. 8. n. 7. dict. 13.*

Ta-

Tabien. verb. matrimonium, 5. num. 4. Bartol. de Ledes. de matrim. dub. 46. notab. 3. post 1. concl. & alij quamplurimi apud Sanch. loc. cit.

Obligatio nō contrahitur sine consensu. Probatur ratione, quia sine consensu nulla cōtrahitur obligatio. *l. 2. & l. in omnibus negotijs. 54. ff. de act. & obligat.* ergo sine intentione nulla contrahitur cognatio. Probatur istud consequens: nam procurator tenens nomine alterius in Baptismo, vel Cōfirmatione, non contrahit istā cognationem, licet teneat, & faciat omne id, quod solent facere compatres; & hoc non aliam ob causam, nisi ob defectum intētionis, quia non intendit tenere, & contrahere nomine proprio, sed alterius: ergo intentio est necessaria ad contrahendam istam cognationem. Deinde, qui baptizat absque intētione faciendi quod per illum actum intendit Ecclesia, nec verè baptizat, & successiuè non contrahit cognationem spiritualem; ita etiam, qui suscipit infantē absque intentione obeūdi munus susceptoris ab Ecclesia statutum, non fit verè susceptor, nec contrahit cognationem spiritualem.

Hæc autem intentio vel debet esse actualis, vel saltem virtualis: nam satis est, vt qui tenet, habeat intentionem faciendi, quod alij patrini solent facere, vel exercendi actum illum ab Ecclesia institutum: & posita hac intentione, semper cōtrahitur ista cognatio; quia qui vult principale, vult etiam accessoriū, quod ex eo necessario sequitur. *l. si is qui, 13. ff. commodati. l. 2. ff. de iurisdict. omnium iudic. Cardin. Tusc. tom. 1. lit. A, concl. 77.* Quòd autem hæc cognatio necessario sequatur ex actuali, & formali susceptione in Baptismo, vel Cōfirmatione, patet ex textibus supra citatis; neque est dubitandi locus, quia ita Ecclesia determinauit.

Nō baptizatus potest baptizare, sed non contrahit cognationem. Aduertendum secundò, quod Paganus, & non baptizatus non contrahit etiam cognationem, licet si baptizet validè baptizet, dum intendat facere per illum actum, quod intendit Ecclesia. Nam etiam Paganus, & non baptizatus potest baptizare. *cap. Romanus Pontifex, & c. à quodam Iudæo de consecrat. dist. 4.* sed non potest suscipere è sacro fonte. *c. in baptismate. de consecrat. dist. 4.* Ratio disparitatis est, quia patrini tenentur docere filios Symbolum, aliaque ad Fidem spectantia. *c. vos ante omnia, d. dist. 4.* quod facere nequeunt, qui in eis instructi priùs non fuerunt. *glos. in d. cap. in baptismate, in verbo,* *Non antē potest suscipere è sacro fonte.*

baptizatus. Hoc autem baptizans præſtare non tenetur.

Præterea, ratio, cur non cõtrahat Paganus iſtam cognationem, eſt, quia ſi eſt incapax iurispatronatus, quod eſt quaſi ſpirituale. *c. quicumque*, 16. *q.* 7. ergo multo magis eſt incapax rei verè ſpiritualis, qualis eſt iſta noſtra cognatio: & deinde iſta cognatio eſt ex mero inſtituto Eccleſiæ, cuius legibus Pagani non ſunt ſubiecti. *c. gaudemus*, 8. *de diuort.* ac propterea ad illam contrahẽdam, non poteſt Eccleſiæ lex eos obligare. Ita *S. Thom. in* 4. *diſt.* 42. *q.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 1. *ad* 3. *& ibi Durand. q.* 1. *num.* 9. *in fin. Io. Andr. regula, ex eo non debet, de reg iur. & in c.* 1. *de cognat. ſpirit. in princ. Sanch. de matrim. lib.* 1. *q.* 59. *num.* 7. vbi quamplurimos pro hac ſententia affert Authores, & reſpondet rationibus, & argumentis in contrarium allatis.

His præmiſſis pauca remanent pro huius formulæ declaratione.

Fr. Antonius Barberinus. &c. In iſtis formulis declaratorijs diligentior inueſtigatio habenda eſt, quia agitur de declarando quod res non ſit, quæ aliàs ad ſensũ patet quòd ſit. Hìc enim Lator preſentiũ, quoad externa admiſit, & perfecit omnia, quæ conſtituunt patrinum in eſſe patrini, vt præſupponitur, & tamen declaratur quod non ſit patrinus ob defectum intentionis, qui ſoli Deo notus eſt, prout in ſe eſt, & ſolum per coniecturas ad noſtram notitiam deuenire poteſt: ideò diligentiſſimè examinandus eſt.

Dummodo inuitus, &c. *Inuitus qui ſit.* Inuitus duplici modo accipitur: Primò pro nolente. *cap. diſplicet*, 23. *q.* 4. *c. geſta diſt.* 74. *l. inuitam*, 28. *& l. in eo* 45. §. 1. *ff. de ritu nuptiar. l.* 2. §. *fin. ff. de decurion. l. qui poteſt inuitis* 27. *vbi Dec. n.* 3. *ff. de reg. iuris.*

Secundo modo pro nolente, & expreſsè reſiſtente, & contradicente. *l. filius fam.* 8. §. *inuitus, ff. de procur. l. inuitũ*, 4. *ff. de ſeruit. vrbanorũ prædiorum. gloſ. in c.* 1. *ver. qui inuitũ*, 74. *diſt. Dec. in c. ſi de terra*, 6. *n.* 32. *de priuileg. & conſ.* 407. *n.* 3. *cap. de neptis tua*, 31. *q.* 2.

Quocunque ex prædictis duobus modis accipiatur inuitus ſuſceptor è ſacro Fonte, ſi excludit tam voluntarium per ſe, quàm voluntarium per aliud, non contrahit cognationem ſpiritualem: ſi autem excludat voluntarium per ſe, & admittat voluntarium per aliud, ontrahet iſtam cognationem. Nam v. g. proiectio mercium in mare, eſt inuolũtaria per ſe extra imminẽtem tempeſtatem, ſed voluntaria per aliud, id eſt, per imminentem

tem tempestatem; atque ita talis voluntas licet sit coacta, attamen dicitur voluntas. *l. si mulier*, 21. §. *penult. in fin. ff. de eo quod metus causa. cap. merito* 15. *q.* 1. Ita etiã si quis nolit suscipere è sacro fonte Petrum, & resistat, attamen coactè, & ob vim, & metum teneat, & positis talibus vi, & metu suscipiat, vt exequatur officium patrini secundum intentionem Ecclesię, ista susceptio erit inuoluntaria per se, voluntaria vero per aliud, & ideò efficiet vt susceptor contrahat cognationem spiritualẽ; nec ei ista declaratoria suffragabitur. Si vero suscipiat, & non intendat tali susceptione facere quod intendit Ecclesia, immò intendat expresse non facere, quod tali actu intendit Ecclesia, suffragabitur ista declaratoria. Si autem non habeat istam expressam negationem faciendi, quod intendit Ecclesia, sed suscipiat, non aliud animaduertendo; existimo præsentem declaratoriam non suffragari, quia interpretatiue præsumitur velle facere quod intendit Ecclesia, dum facit quod iubet Ecclesia. Nam sicut malus animus præsumitur in his, quæ contra ius fiunt. *c.* 1. *de præsumpt. c. etsi Christus* 26. *de iureiur. Panor. in c. Ossius Episcopus* 2. *de elect. in fine*. ita etiam præsumitur bonus animus, ac bona intentio in his, quæ secundum ius fiunt.

Seù mutauerit animum. Ista intentionis mutatio necesse est, vt fiat antequam compleatur actus substantialis Baptismi, licet in principio actus huiusmodi habuerit intentionem suscipiendi vt patrinus: attamen antequam compleatur, potest mutare intentionẽ, & sufficit. Nã sicut qui baptizatur non est baptizatus, nec dici potest baptizatus, antequam sit completus actus substantialis Baptismi, ita nec iste dici potest patrinus ante cõpletum Baptismum, ac propterea ante complementum istius actus Baptismi potest reuocare intentionem suscipiẽdi, & successiuè non contrahere cognationem.

Ipsumq; in d. matrimonio, etc. Ista clausula est per se clara, nec indiget explicatione. Vide quæ de huiusmodi clausula dixi in prima Parte huius Praxis, dum egi de formula transgressionis voti Religionis.

NEV-

NEVTRO MACHINANTE DE CONTRAHENDO.

Pro Oratoribus, qui constante matrimonio inter Oratricem, & illius virum, se carnaliter cognouerunt fide sibi ad inuicem data de matrimonio inter se contrahendo, si dictus vir præmoreretur; & deinde illo defuncto, neutro tamen Oratorum in eius mortem machinante, Oratores de matrimonio inter se contrahendo publicè tractarunt; & idcircò petunt secum dispensari super impedimento ex præmissis proueniente, vt scandala vitentur. Litteræ sic conficiuntur.

FR. Antonius Barberinus, &c. Ex parte latorum præsentium nobis oblata petitio continebat, quod ipsi aliàs viuente Latricis marito insimul adulterauerunt, data sibi ad inuicem fide de matrimonio inter se contrahendo, si dictus maritus præmoreretur: & deinde illo defuncto, neutro tamē Latorum in eius mortem machinante, de matrimonio inter se contrahendo tractarunt. Cùm autem, sicut eorum petitio cōtinebat, impedimentum ex præmissis prouehiens sit occultum, tractatus verò huiusmodi publicus, & nisi ad effectum perducatur, scandala inde exoritura sint, ad ea vitanda, ac pro suæ conscientiæ quiete cupiunt Latores à præmissis, de quibus plurimum dolent, per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. Nos igitur, qui Pænitentiariæ, &c. Quatenus, si est ita, dictos Latores, audita prius eorum sacramentali Confessione, à quibusuis senten. cens. & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, adulterio, & excessibus huiusmodi absoluas hac

vice

vice, &c. Iniuncta eis pro modo culpæ, pænitentia salutari, & alijs, &c. iniungen. &c. Demum, dummodo impedimentum prædictum occultum sit, & nisi matrimonium huiusmodi contrahatur, periculum immineat scandalorum, aliudque Canonicum non obstet, cum eisdem latoribus, quòd præmissis non obstantibus, matrimonium inter se publicè, seruata forma Concilij Tridentini, contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeant, misericorditer dispenses; prolem suscipiendam (non tamen ex adulterio conceptam) exindè legitimam nunciando in foro conscientiæ, & non aliter, &c. Ita quod, &c. nullatenus suffragentur, nullis, &c. quas, &c. Datum Romæ, &c.

Fr. Antonius Barberinus, etc.

Vt isti latores præsentium contrahant hoc impedimentum, multa requirũtur. Primo vt adulterium, hoc est alieni thori violatio, dicitur enim adulterium quasi ad alienum thorum accessio, *cap. lex illa §. cum ergo, 36. q. 1.* subsequatur, vel præcedat promissionem futuri matrimonij: nam adulterium sine promissione non inducit impedimentum. *cap. 1. cap. veniens, 7. & c. fin. de eo qui duxit in matrim. quam polluit per adult. cap. relatum, 31. quæst. 1.*

Et adulterium debet esse actu consummato per seminis immissionem; non enim sufficit conatus ad copulã, cum solus affectus ad copulam non inducat impedimentum. *glos. in cap. fin. in verbo, cognouit eamdem, vbi etiam Panor. n. 6. de eo qui duxit in matrim.*

Conatus ad copulam non parit impedimentum.

Ratio est, quia quando lex inducit aliquid ex facto aliquo, requiritur, vt illud factum sit perfectum, & non inchoatum tãtùm. *c. fin. & ibi Panor. num. 2. & 3. & Innoc. de sponsa. Sanchez de matr. lib. 7. disp. 79. num. 2. & alij.* & præcipuè in pœnalibus, & in impedimentis dirimentibus matrimonium, quæ valde restringenda sunt.

Ac insuper adulterium debet esse ex parte vtriusque adulterantis, quod nequit esse nisi vterque sciat matrimoniũ alterius: ignorans enim non committit adulterium. *cap. 1. vbi glossa in verbo, insciam, & d. cap. veniens, de eo qui duxit in matrimon. quam &c.*

Ignorans non cõmittit adulterium.

in lectum, 34.*q*.2.*l.penult.ff. ad leg. Iul.de adult. Goffred. in sum. eod. tit. Syluester verbo, matrimonium*, 8.*num*.9. *dicto* 4. *Sanchez loco cit.num*.31.*&* *alij*. Nec sufficit, si vterque adulterans esset coniugatus, & nosset vnusquisque suum matrimonium, & non alterius. *dictis cap*.1.*& c.veniens:* nam hoc impedimentum institutum est propter iniuriam irrogatam ab vtroque adultero eidem matrimonio, per adulterium, & promissionem futuri matrimonij: ignorans autem non infert nisi proprio.

Et cùm hìc agatur de ignorantia facti, quælibet ignorantia etiam crassa, excusat ab adulterio, iuxta *cap.ignorantia*, 13. *de reg. iuris in* 6. & successiuè ab incursione huius impedimenti: nam adulteriũ non committitur sine dolo malo. *d.l.penult.* vbi autem requiritur dolus, non satis est lata culpa, iuxta *glossam communiter receptam in l. magna negligentia*, 226.*verbo,dolus*, *ff. de verb. significat. Sanchez loco cit.num*.38.

Adulterium non est sine dolo.

Secundo requiritur vt adulterium, & promissio sint viuente coniuge, aliàs non contrahitur istud impedimentum. *cap*.1.*vbi Panor.nu*. 3.*& cap. significasti*, 6.*de eo qui duxit in matrim.Panor.etiam in cap. super hoc*, 3.*num*.2.*eodem tit. Nauarr. lib*.4.*cons.in tit. de eo qui duxit in matrimonium quam poll.cons*.1.*&* 2.*Sanchez loco cit. & alij*.

Tertiò, promissio debet fieri aliquo externo signo, aliàs interna promissio non inducit impedimentum, quia non præbet votum captãdæ mortis coniugis, ad quod euitandum fuit à iure introductum hoc impedimentum. ita *DD. communiter*. Ac propterea licet promissio fiat oretenus, absque intentione adimplendi quod promittitur, attamen inducit impedimentum, quia alter, qui acceptauit promissionẽ, & ignorat fictionem, prouocatur ad votũ captãdæ mortis coniugis, nisi aperte cognoscatur, quod promissio fuerit facta ex ioco, vt bene aduertit *Sanch.loc.cit.num*.10.*& Io. Andr.in d.c.significasti, de eo, qui duxit in matrimon*. Si vero post fidem datam viuente coniuge, sed nondum adulterio perpetrato, vel è contra, vterque per mutuam remissionem recedat à fide, & promissione data, & deinde ex aliquo casu adulterent insimul, nõ propterea cõtrahunt hoc impedimentum; quia prior promissionis contractus, qui requiritur necessario ad impedimentum, est iã extinctus per præfatam remissionẽ; remissio enim obligationem, & con-

Remissio obligationem extinguit.

& contractus obligatorios extinguit. *c. veniens, 16. de conuers. cöiug. c. 2. de spõsal. l. actione, 66. §. diximus. l. verum, 64. §. fin. ff. pro socio.*

Ista autem remissio nõ suffragatur quando, & adulteriũ, & promissio sunt sequuta: nam illicò impedimentum contraxerunt, nec possunt authoritate propria se ab illo eximere. *Sanch. loc. cit. num. 7. in fine.*

Multo minus remissio, si fiat ab vno ex promittentibus tantum, suffragabitur: nam qui remittit, liberabit quidem illum, cui remittit, ab obligatione erga remittentem, sed remanebit obligatus erga non remittentem *d. l. actione.* Et propterea si subsequatur adulterium, contrahent impedimentum, quia adhuc remanẽt promissio, & adulterium. Imò si promissio sit facta ab eo, qui ignorat alterius matrimoniũ, & postea habita illius cognitione, adulterent insimul, adhuc contrahẽt huiusmodi impedimentum; nam sicut matrimonium contractum cum ignorantia alterius matrimonij, inducit hoc impedimentũ, quãdo in eo perseueratur post habitã primi matrimonij notitiam; ita etiam in promissione huiusmodi, perseuerantia semper præsumitur, donec remittatur, & reuocetur. *d. c. 2. de spons.* Nec est eadem ratio de adulterio ignoranter perpetrato, & de promissione cũ eadem ignorantia præstita, illud enim semel perpetratũ reuocari nequit, hæc autẽ potest, & debet, & obligatio semper remanet, donec illi satisfiat.

Aduertendum est, quod nõ solum promissio absoluta, verum etiam conditionalis, dũmodo non sit contra essentiã matrimonij, est sufficiens ad hoc impedimentum. *Nauarr. lib. 4. cons. in tit. de eo qui duxit in matrim. cons. 2.* Licet enim promissio conditionalis non habeat effectum obligandi ante adimpletam conditionem, habet tamen effectum inducendi hoc impedimentũ, cum verè dici possit, quod sit data fides, quæ datio fidei cũ adulterio sufficit; & omnis promissio etiam inualida, cum adulterio, sufficit ad hoc impedimentum inducendum. *Nauar. & Sanch. loc. cit.*

Promissio cõditionalis, & etiam inualida, cũ adulterio impedit matrimoniũ.

Nomine promissionis qua veniant.

Nomine *promissionis*, vel *fidei*, venit tam pollicitatio, quæ est solius offerentis promissio, absque acceptatione, vel recusatione. *l. pactum 3. in princ. ff. de pollicit.* quàm pactũ, quod mutuum consensũ promittentis, & eius cui fit promissio, continet: & ideò hic accipitur verbum *promissio*, prout est genus continens

æqua-

æqualiter pollicitationem, pactum, & stipulationem: quocumque enim ex prędictis modis interueniat promissio futuri matrimonij, adesse videtur causa finalis legis introducentis hoc impedimentũ, videlicet adesse periculum captandæ mortis coniugis; & ideò debet esse eadem iuris dispositio, hoc est, positio huius impedimenti: vbi enim est eadẽ ratio, ibi est eadẽ iuris dispositio. *l. illud 32. ff. ad l. Aquil. l. illud 17. C. de sacros. Eccles. l. à Titio 66. ff. de furtis*. De promissione per pactum, vel per stipulationẽ inita, non est difficultas, sed de pollicitatione maior est difficultas, cum agatur de futuro matrimonio, quod absque mutuo consensu ad effectũ perduci nequit: & ideò videtur requiri mutuus consensus, & pactum. Posset autem ista difficultas euacuari, si consideretur finẽ legis esse conseruationem vitæ coniugis, quæ eodem modo periclitatur ex pollicitatione, ac ex pacto; cùm pollicitator facillimè se expugnaturũ sperare possit auersum animũ coniugis, mortuo altero coniuge, quod viuente illo desperat. Quòd autem finis legis sit conseruatio vitæ cõiugis, colligitur *ex dd. c. 1. c. significasti. c. veniens, de eo qui duxit in matrim.* vbi æquiparantur machinatio mortis coniugis, & promissio futuri matrimonij: at illa sufficit ex parte alterius: ergo etiam ista, & nullibi fit mentio de hac repromissione. *Rebuf. in praxi beneficiali, de dispensation. in gradib. prohib. glos. 5. nu. 30. Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 79. nu. 20. & alij*.

Machinatio mortis & promissio futuri matrimonii æquiparantur

Præmissis tamen non obstantibus, dicendum est pollicitationem in se sumptã, prout excludit acceptationem eius, cui fit promissio, non esse sufficientem ad inducendum hoc impedimẽtum; quia non est sufficiens ad captandum votum mortis coniugis, dum non habetur spes futuri matrimonij, quæ spes solum inniti regulariter potest acceptationi suæ promissionis per adulterum faciendæ; qua cessante, cessare etiam oportet spem futuri matrimonij, & successiuè votum captandæ mortis; atque ita ratio in contrariũ allata omnino corruit: & cũ simus in materia odiosa, & in admittendo delictum, non præsumitur ex taciturnitate consensus, & acceptatio, sed requiritur expressus cõsẽsus, & expressa acceptatio: in onerosis enim, & præiudicialibus tacens non consentire videtur. *d. l. inuitum. ff. de seruit. vrban. præd. d. l. in eo, §. penult. ff. de ritu nupt. Menoch. de præ-*

In onerosis tacens dissentire videtur.

præsumpt. lib. 3. q. 9. num. 53.

In obligatione personali tacens præsumitur contradicere.

Immò secundum aliquorũ sententiam, quando agitur de obligatione personali, prout est in nostro casu, tacens præsumitur contradicere. *d. l. filius familias, §. inuitus, ff. de procurat. glos. in c. qui tacet, 43. de reg. iur. in 6. Panor. in c. nonne bene dicimus, 5. num. 1. de præsumpt.*

Hæc autem acceptatio satis est, si fiat, vel verbis, vel aliquo externo signo eam indicante: consensus enim non solum exprimitur verbis, sed etiam alijs signis, vt supra diximus, quando egimus de modo præstandi consensum ad validitatem matrimonij.

Machinatio quid sit.

Neutro, &c. Machinatio est occulta insidiatio. *dd. c. 1. c. 3. & c. significasti, de eo qui duxit in matrim. quã, &c. Hostien. in summ. de dolo, & contumacia, n. 4.*

Dictos Latores à quibusuis cens. &c. Adulteri possũt, & solent ab Ordinarijs locorũ excommunicari, vt ab adulterio desistant. *c. intelleximus, 6. de adult. d. c. significasti, de eo qui duxit, &c. Concil. Trid. sess. 24. de reformat. cap. 8.* Ideò M. P. ad abundantiorem cautelam, vt peculiari fauore, & gratia nostros latores prosequatur, mandat per hanc generalem clausulã illos absolui à quibusuis sententijs, & cẽsuris, si quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt.

Adultera perdit dotem & donationem propter nuptias.

Pænis Ecclesiasticis, &c. Mulier adultera secundum leges Canonicas, propter adulterium amittit dotem, & donationes propter nuptias. *c. plerumque, 4. de donat. inter vir. & vxor. vbi Panorm. Decius in c. pastoralis, 14. n. 33. de iudic. Bald. in cap. tua. 5. de procur.* Amittit ius petendi debitum coniugale. *c. 1. vt lite non contestata. c. dixit Dominus. 32. q. 1. c. licitè. & cap. si quis vxorem, il primo, 32. quæst. 7.* In monasterium detruditur ad pœnitentiam peragendam. *c. gaudemus, 19. de conuers. cõiug. & per Constit. Leonis Imperatoris, de adulteris manifestò deprehensis.*

Et ius petẽdi debitum.

Perdit lucrũ dotale.

Adulter priuatus remanet lucro dotali, & donationibus propter nuptias. *c. 1. vbi glos. in verb. reciperet, vt lite non contest. l. consensu licita, 8. §. si vero causa, C. de repudijs, vbi Bart. Panorm. in c. tua, 7. nu. 3. de adult. & in c. plerumque, 4. num. 6. de donat. inter vir. & vxor. Syluest. verb. adulteriũ, nu. 8.* Amittit ius petendi debitum. *d. c. tua, de adult.* Correlatiuorum enim est eadem ratio, & eadem iuris dispositio: & ideò sicut mulier adultera,

ita

ita vir adulter debent eodem iure priuari; nam vir, & mulier non ad imparia iudicantur. *c. si quis vxorem, il primo, 32. q. 1.*

Insuper vterque adulter remanet subiecti pœnis in corpore Iuris contentis, ita declarauit *Conc. Trid. loco supracit.*

Per legem Moysis adultera lapidabatur. *cap. satis hinc, 33. q. 5. vbi gloss. in verb. lapidaretur, & in c. tuæ, 5. in verb. legitimam, de procuratorib. & in d. c. gaudemus, in verb. in claustris, de conuers. coniugatorum.*

Per leges veteres puniebantur pœna sanguinis. *l. castitati, 9. & l. quamuis, 30. C. ad legem Iul. de adult.*

Per Leoninam Constitutionẽ *de adulteris manifesto deprehensis*, vtrique adultero abscindebatur nasus: & per eiusdem Constitutionem *de muliere, quæ viuo marito alios compellat de matrimonio*, puniebantur etiam pœnis pecuniarijs. Licet prædictæ ferè omnes pœnæ habeant solum locum in foro contentioso, & in adulterio publico; attamen hæc nostra clausula generaliter loquens de pœnis, videtur suo modo remittere latoribus istis pœnas omnes, ad maiorem eorũ conscientiarum serenitatem, vt supra in præcedentibus formulis hoc in eodem loco diximus.

Iniuncta, &c. Adulterium cum sit de grauioribus delictis. *c. 1. dist. 81. c. quemadmodum, §. sunt enim, & c. quid in omnibus, 32. q. 7. Decius in cap. at si Clerici, 4. §. de adulterijs, num. 22. de iudicijs*, quia violat fidem humanam, Sacramentum matrimonij, & præceptum Diuinum: ideò grauior pœnitentia iniungenda adulteris, quàm simplicibus fornicatoribus; maius est enim adulterium fornicatione, sed minus incestu: *c. adulterij malum, 32. quæst. 7.* vbi *glossa* ponit secundum Augustini mentem, in fornicatione gradum quadruplicem.

Quænam sit imponenda pœnitentia, arbitrio exequutoris relinquitur: si latores sũt capaces ieiunij ferendi, omnino iniungat illud; nam petulantia carnis per eiusdem carnis macerationem refrenanda est, cum quis maximè puniẽdus sit in eo, in quo deliquit. *cap. litteras, 13. de tempor. ordin.* cum hoc tamen onere, dandi pauperibus quicquid expensuri erant in emendis cibis, si non ieiunarent; nisi eorum paupertas id impediat; ne, vt bene notat *Hostien. in summ. tit. de pœnit. & remissione, num. 51. prope finem*, sit marsupii lucrum, quod solũ saturitas animæ esse debet.

Reli-

Reliquas huius formulæ clausulas, vide in præcedenti formula, *in Primo ex actu fornicario de contrahendo.*

Prolem, &c. Per subsequens matrimonium omnis proles, adulterina excepta, legitimatur. *c. cum causam. 4. vbi glos. in ver. tempore Alani, & c. tãta, 6. vbi Panor. n. 2. & alij, qui filij sint legitimi.* Fauore enim filiorum, ius fingit inter solutum, & solutam tempore generationis fuisse matrimonium. *c. cum inter, 2. qui filij sint legitimi. Panor. in dict. c. tanta, num. 2. eodem tit.* quæ fictio non potest cadere in iam coniugatis adulterantibus, cum sint alio matrimonio copulati; & ideò non potest inter eos matrimonium existere, neque fingi quod existat, cum nemo eodem tempore posit habere plures vxores, vel plures viros.

Quam ob causam *Decius consil. 393. num. 10. & consil. 306. n. 10. & Paulus de Castr. cons. 210. in verb. ita certũ est,* aiunt legitimationem spurij, esse dispensationem, non autẽ legitimationẽ; quia cum inter illos non potuerit esse, neque fingi matrimonium, tali casu non videtur propriè legitimatio, id est, actio secundum legem, sed dispensatio, cùm sit contra determinationem legis, & ideo requiritur iuris relaxatio, quæ habetur per dispensationem. *glos. in c. requiritis, §. nisi rigor. 1. q. 7. vbi DD.* Ideò M. P. excludit hìc legitimationẽ prolis, si quam latores ex adulterio susceperunt, & de huiusmodi exclusione mandat admonere latores, ne ex huiusmodi taciturnitate decipiãtur, tanquàm iuris ignari, in præiudicium liberorũ suorum, vel sub prætextu, quod includantur in huiusmodi dispensatione ad contrahẽdum, eo quod non specialiter excludantur; non animaduertentes sub generali dispositione non venire ea, quæ requirunt specialem mentionem. *l. solet 6. in princ. ff. de offic. Proconsulis. & legati. c. licet, 2. de offic. vic. in 6. Bart. in l. 1. §. 1. num. 10. ff. de offic. Præfecti Vrbis,* prout requiritur in legitimatione spuriorum.

Spurii legitimantur per dispensationẽ

Sub generali dispositione nõ veniunt, quæ requirunt specialem mentionem.



NEVTRO MACHINANTE

DE CONTRACTO.

Pro Oratoribus, qui fide ad inuicem data de matrimonio inter se contrahendo, per adulterium se carnaliter cognouerunt, & deinde defuncto Oratricis marito, neutro tamen Oratorum in eius mortem machinante, matrimonium publicè contraxerunt, & successiuè cõsummauerunt, cõficiuntur litteræ, vt inf.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Oblata petitio continebat, quòd ipsi aliàs viuente Latricis marito, se carnaliter cognouerunt, data sibi ad inuicem fide de matrimonio inter se contrahendo, si dictus maritus præmoreretur: & deinde illo defuncto, neutro tamen Latorum in eius mortem machinante, matrimonium inter se contraxerunt in facie Ecclesiæ, & successiuè consummarunt. Cum autem, &c latores prædicti propter impedimentum ex præmissis prouenies nequeant in dicto matrimonio remanere absque Sedis Apostolicæ dispensatione, ad euitanda scandala, quæ, si diuortium inter eos fieret, exoritura essent, ac pro suæ conscientiæ quiete cupiunt latores à præmissis, quæ occulta sunt, & de quibus plurimum dolent, per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. quatenus si est ita, dictos latores, audita prius eorum Sacramentali Confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, adulterio, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. Iniuncta inde eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, & alijs iniungen. &c. Demum, dummodo impedimentum prædictum sit occultum,*

&

& ſeparatio inter Latores fieri non poſsit abſque ſcandalo, & cohabitatione, &c. (Prout in formula in ſecundo ex actu fornicario de contracto .) *Prolem ſic ſuſceptam, non tamen ex adulterio, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam, &c.*

Hæc formula quoad diſpoſitiuam, & reſtrictiuam partes, cùm ſit prorſus eadem cum formula diſpenſationis ſuper primo ex actu fornicario de contracto, vt per ſe ex lectura patet, ideò eodem ferè modo intelligenda, & exequutioni demandãda erit prout ibi diximus. Imponenda tamen non eſt pro pœnitentia obligatio ſacramẽtalis Cõfeſſionis, quia ibi agitur de inceſtu, qui eſt crimen ſuperioris ordinis, hìc vero agitur de adulterio, quod eſt delictum inferioris ordinis, prout in præcedenti formula inſinuauimus.

De prole concepta ex adulterio, ſatis abunde in præcedenti formula: nec illi præsẽs diſpenſatio ſuffragatur, etiam ſi naſcatur in figura matrimonij; nam attenditur tẽpus conceptionis, quoad eſſe legitimũ prolis. *cap. cauſam, 24. qui filij ſint legitimi*. Tempore autem iſtius conceptionis, nec poterat eſſe, nec fingi inter adulteros matrimonium: ergo &c. Exiſtimo tamen hoc intelligi de perfecta conceptione, quæ perficitur per animationẽ fœtus; quia ante illius animationẽ non poterat dici homo conceptus, & per cõſequens, nec hominis filius.

Legitimitas prolis ex eius conceptione.

ALTERO MACHINANTE
DE CONTRACTO.

Pro Oratrice, quæ per adulteriũ ſe carnaliter cognoſci paſſa fuerat à quodam viro, & vt cum eo matrimonium contrahere poſſet, in mariti mortem cum effectu machinata fuit, ipſo viro inſcio, & deinde matrimonium cum eodem viro publicè contraxit, & iam conſummauit; Litteræ fiunt vt infra.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipſa aliàs coniugata exiſtens, ſe à quodam viro carnaliter cognoſci paſſa fuit, & vt matrimonium cum illo contrahere poßet, ſuum

maritum secreto veneno interfecit, & deinde cum dicto viro præmissi homicidij inscio matrimonium in facie Ecclesiæ contraxit, & successiuè consummauit. Cum autē, sicut eadem petitio subiungebat, dicta Latrix propter impedimentum ex præmissis proueniēs nequeat in dicto matrimonio remanere, absq; Sedis Apostolicæ dispensatione, ad euitanda scandala, quæ, si diuortium inter ipsam, & dictum virum fieret, exoritura essent, ac pro suæ conscientiæ quiete, cupit à præmissis, quæ occulta sunt, & de quibus plurimum dolet, per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. quatenus si est ita, dictam Latricem, audita prius eius sacramentali Cōfessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, adulterio, homicidio, & excessibus huiusmodi, absoluas hac vice, &c. Iniuncta inde ei pro modo culpæ graui & longa, quæ saltem per annum duret, pœnitentia salutari, & orationibus, ac pro modo facultatum suarum eleemosynis, etiam ad celebrandum aliquem numerum Missarum pro anima occisi, nec non frequentia sacramentalis Confessionis peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, vt minimum semel, & sæpius, prout animæ suæ saluti, tu expedire iudicaueris. Quòdque hæredibus occisi, necnon illis, quibus ille, dum viueret, subuenire forsan solebat, satisfaciat, & subueniat in eo, in quo tenetur, cautè tamen, ne se prodat, & alijs, &c. iniungen. &c. Demum, dummodo impedimentum ex præmissis proueniens occultum sit, & planè ignoretur quòd mors dicti viri inde sequuta sit, & separatio inter Oratricem, & dictum virum fieri non possit absque scandalo, ex cohabitatione vero de incontinentia. &c. (Reliqua prout in formula primi ex actu fornicario de contracto.) *Prolem susceptam, non tamen ex adulterio, si qua sit, & suscipiendam exinde, legitimam decernen. &c. in foro conscientiæ, &c.* Prout in præcitata formula, &c.

Omnis

Omnis iis, quæ hæc formula habet communia cum præcedentibus formulis, solum ea attingam, quæ illi sunt propria.

Interfecit, &c. Verbum hoc denotat actum perfectũ, & completum, aliter non induceret impedimentum: machinatio enim sine effectu sequuto non parit impedimentum. *Glos. in c. super hoc. 3. in verb. machinata, vbi etiam Io. Andreas, & Panor. n. 4. de eo qui duxit in matrim. quam poll.* Quia verba cum effectu accipienda sunt. *c. relatum, 4. de cleric. non resident. c. vlt. de sponsal.* & conatus sine effectu non nocet. *cap. cogitatio non meretur, vbi glos. de pœniten. distin. 1. cap. fin. vbi glos. in verb. conatus de sponsal. l. sicut re. 8. §. si voluntate, ff. quibus modis pign. vel hypoth. soluitur. l. 1. §. hæc autem verba, ff. quod quisque iuris in alterum. l. si se non obtulit, 4. §. condemnatum. ff. de re iudicata.*

Machinatio sine effectu non impedit.

Conatus sine effectu non nocet.

Inscio, &c. Id est, non sciente. Nesciens autem excludit non solum scientiam, quæ habetur per rationes, & demonstrationes. *l. scire, 17. ff. de legib. l. scire oportet, 15. ff. de excus. tutor. & l. 2. ff. de iuris, & facti ignorant.* vel per sensum. *l. testium, 17. C. de testibus. l. in delictis, 4. ff. de noxalib. action.* verum etiam excludit omnem credulitatem, vt notatur *in rubr. ff. de iuris, & facti ignor. Bart. in l. admonendi, 31. num. 16. ff. de iureiur. Panor. in c. vestra, 7. nu. 10. de co. hab. cleric. & mulier.* Credulitas tamen accipienda est prout est probabilis, & discreta; nam de temeraria, & leui nulla est habenda ratio, prout notatur in *c. inquisitioni, 44. de sent. excom.* Nam si dictus vir solum leuibus, & nullius momẽti rationibus inductus fuisset ad credendum futurã machinationem in mortem dicti mariti, adhuc remanet legitimè inscius, quia huiusmodi credulitas à lege reprobatur, cum sit temeraria, & nulla, & leui fulciatur fundamento. *c. primo semper, vbi glos. in verb. suspicionis, 2. q. 1. cap. in cunctis, & cap. temerarium 11. q. 3. & DD. communiter.*

Nescientia etiam credulitatem excludit.

Si verò dictus vir habuit credulitatem probabilẽ, quod illa esset occisura proprium maritum, vt cum eo matrimonium contraheret, cùmque prohibere, vel impedire potuerit, & non prohibuit, nec impediuit; non solum non est inscius, verum etiam complex & reus huiusmodi homicidij, permissione enim committit delictum, qui cum illud prohibe-

Non prohibẽs cum possit, fit reus delicti.

hibere potuerit, nō prohibuit. *c. non inferenda. c. qui potest. c. fin. 23. q. 3. Felin. in c. Petrus, 17. nu. 2, & 5. de homicidio, vbi Panorm. n. 1. & Petrus de Anchar. in c. sicut dignum, 6. n. 4. & in d. c. Petrus, n. 3. & Butr. in d. c. sicut dignum nu. 3. & 6. de homicid. volunt.* & eò magis est reus, quia eius intuitu est factum, & ideò sciens illud, multo magis tenebatur contradicere, & impedire. *d. c. Petrus, vbi Panor. n. 1. de homicidio volũtario. c. quia presulatus. 1. q. 4.* Exequutor non multū laborare debet in inuestigāda sciētia, vel nescientia dicti viri, quia parum faciunt ad validitatem dispensationis huiusmodi, nec sunt causa finalis, immò nec compulsiua illius; Primò, quia per se non inducunt diuersum impedimentū: Secundo, non indigniorem efficiūt Latricem ad obtinendā dispensationem: immò sciētia dicti viri minueret aliquo modo malitiam latricis, & attenta fragilitate sexus, tanquam ab alio seductam, faceret digniorem compassione, eique facilius cōcederetur dispensatio.

Prætereà, cùm M. P. oleat in parte restrictiua suarum Litterarum repetere ea, quibus motus fuit ad concedendam gratiam, & de istā nesciētia, ne verbum quidem fecerit, cogimur fateri illam non esse causam finalem, nec compulsiuam; & ideò neque ab Exequutore suo magnifaciendum esse, an illa adsit, nec ne.

Iniuncta, &c. Pro tot grauibus excessibus, quæ pęnitentia imponenda sit M. P. non in totum exprimit, sed aliquid arbitrio sui exequutoris relinquit, quia delinquentis ætatem, & vires, & conditionem, ac loci, & temporis qualitates ignorat: attamen innuit debere esse grauem, & longam, quæ saltem per annum duret, & hoc ex præcipua M. P. & Ecclesiæ benignitate: nam alias interfector proprij coniugis acerrimè, & toto vitæ suæ tempore puniebatur, vt patet, *ex c. admonere 33. q. 2.*

Et licet arbitrium habeat exequutor in pectore, attamē in manibus afferat necesse est diuinam stateram, & in illa quid sit grauius appendat; immò non appendat, sed à Domino appensa recognoscat. *cap. non afferamus, 24. q. 1.*

Quid igitur poterit Latrici coniugatæ imponi, cū sui iuris non sit, sed sub mariti potestate, ac propterea non ita facile valeat adimplere ieiunia, & vigilias, quę illi pro mariticidio imponenda præcipuè essent iuxtà prædictum *c. admonere,* equi-

equidem non ità facile a ieiunio, & vigilijs illam liberarem; nam, & aliquam abstinentiam, & aliquas moderatas vigilias, extra tamen eorum rigorem, præciperem: quia, si semel in hebdomada ab esu carnis sub prætextu inappetentiæ abstineret; & si non a qualitate ciborum in præsentia viri sui abstinere queat, abstineat a quantitate illorum; vt bene adnotauit *Hostien. in sum. de pœniten. & remiss. n. 60. propè finem vers. si sit coniugata*; & per horam seriùs cubitum iret, occasione arrepta alicuius rei domesticę expediendæ; non existimo suum coniugem id ægre laturum, nec prohibiturum esse; non tamen diem præscriberem, vt iuxtà opportunitatem, & non iuxta præscripti diei necessitatem, peragat ea, quæ ad perpetrati sceleris expiationem, sed non ad propalationem imponuntur. Similiter interdicerem immoderatũ corporis ornatum, quo extrà modum mulieres nostri seculi, & conditionem, & honestum excedunt in familiarum ruinas, & animarum iacturam; quòd eo facilius obtinere a dicto viro poterit, quia non a Virginitate, sed a Viduitate procedit ad secundas nuptias. Alienis etiam choreis interesse similiter per annum saltem interdicerem; vt quoad fieri potest, hisce externis pœnis concitet animũ ad internę pœnitentiæ fructus, & diuinæ misericordiæ amplexus mereatur. Hæc indicaui, non vt legem exequutori præscriberem, sed vt ei aliquod lumen in negotio tanti momenti præferrem.

Et orationibus, &c. Si latrix legere sciat, multum ad rem faceret, iniungere pro pœnitentia recitationem Officij, aliquarumque orationum quæ sint propriæ pro defunctis; & si legere nesciat, præscriberem ei onus recitandi aliquot Pater noster, & aliquot Aue Maria, & in fine cuiuslibet eorum præciperẽ recitare versiculum *Requiem æternam*; vt sic continuo redigeretur ei in memoriam perpetratum scelus, eamque pœniteret. Istæ orationes debent esse ad minus duæ, vel saltem vna per duas vices reiteranda, cùm pluralis numerus vno non contentus sit, sed ad minus verificari debeat in duobus. *l. vbi numerus, 12. ff. de testibus. cap. pluralis locutio, 40. de reg. iur. in 6.* & non sit necesse vt sint istæ orationes diuersæ inter se diuersitate specifica, loquutio enim pluralis æque verificatur in pluribus tam diuersis numero,

quam diuersis specie, vt aliàs probauimus.

Ac pro modo facultatum, *&c.* Dictio, *pro*, sumitur aliquando pro dictione *secundum*, vt sumpsit *Cic. in 7. Ver. Ciuitatibus pro numero militum pecuniæ summas describere:* & in eodem sensu sumitur hic a M.P. adeò vt exequutor teneatur considerare an latrix sit pauper, vel diues, quantum sit pauper, vel quantum diues; & secundum eius facultates, & posse, imponere onus eleemosynarum pro Missis celebrãdis pro anima coniugis à se occisi. Et hic aduerte, quod licet pauperibus non sit imponendum onus distribuendi eleemosynas pro pœna homicidij, prout asserit *Butrius in cap. 2. num. 3. de homicidio*, sed solummodo onus recitandi deuotas orationes; attamen hic est casus atrocior simplici homicidio, & ideo a regula aliquantum recedere licet.

Aliquem numerum, *&c.* Numerus est collectio vnitatum, vnde vnitas non dicitur numerus, sed principium numeri: & ideo caueat exequutor ne ad minus latrici, si forsan est pauperrima, præcipiat eleemosynam ad celebrandum duas Missas, cum numerus ad minus constituatur per duas vnitates. *dicta l. vbi numerus*, *ff. de testibus*.

Missarum, *&c.* Animę Defunctorum quatuor beneficijs adiuuari possunt, si ex hac vita absque peccati mortalis labe recesserunt: scilicet Missarum celebrationibus, sanctis orationibus, charorum eleemosynis, & ieiuniis cognatorum. *cap. non æstimemus*, *& cap. animæ defunctorum*, 13. *q.* 2. *Hostien. in sum. de pœnitent. & remissionibus*, §. *Quibus mortuis suffragia*, *num.* 59. *& communiter omnes DD.* Si vero obierunt in peccato mortali, nihil eis amplius prodesse potest. *cap. quibus peccata*, *& cap. cum grauia peccata*, 13. *quæst.* 2. Et cùm huiusmodi latricis delictum inter primarię atrocitatis excessus numeretur, & chariori bono, qualis est vita, coniugem iniustè spoliauerit, peropportunè illi præcipitur, vt Missarum compensatione, quæ inter suffragia primarium locum tenent, & Defunctorum animabus vtiliores, & gratiores sunt, damnum illatum resarcire, quoad fieri poterit, studeat.

Quibus suffragiis Animæ Defunctorum adiuuari possint.

In compensationibus enim

re-

requiritur aliqua ad inuicem proportio. *l. si propter*, 8. *& l. cōpensationes*, 14. *C. de compensationibus:* & de rebus, quæ nō habent ad inuicem proportionem, non datur compensatio. *l. 1. & d. l. fin. C. de compensationibus*.

Quodque hæredibus, &c. Hæredum nomine intelliguntur tam ij, qui ex testamento, quàm qui ab intestato veniūt, tam sanguinis, quam bonorū, tam sui, quam extranei successores. *l. hæredis appellatione*, 170. *ff. de verborum signif. Panor. in c. in quibusdam*, 12. *num. 3. de pœnis*.

Sed hic solum intelligi existimo eos, qui sunt hæredes sanguinis, tam descendentes, quā ascēdentes, ac etiam collaterales; hos enim iura ad hæreditatē propriè vocāt. Primò descendētes. *Auth. cessante successione*, *C. de legitimis hæred.* Secundò ascēdentes vocātur. *d. authent. cessante, successione l. 1. ad Senatusconf. Orficianū*, *l. in successione*, 9. *C. de suis & legitimis liberis*.

Ascendētes veniunt ab intestato deficientibus descendentibus. *d. auth. cessante authent. in testamento*, *C. ad Senat. conf. Tertullian.*

Collaterales demum veniūt. *authen. in successione*, *C. de legitimis hæred. l. si quis*, 7. *C. ad Senat. conf. Tertullian.*

Et moueor ad credendum, quod ex mente M. P. hic nomine *hæredum* veniant solum prędicti legitimi hęredes, quia his de iure venit hæreditas, & hi solum ratione coniunctionis sanguinis cum occiso læduntur in occisione: & ideò istis solummodo damnum reficiendum.

Hæredes verò extranei nō solum non læduntur, sed potius, vt ex corrupto hominum more loquar, beneficantur, cū per homicidium recipiāt hæreditatem, à qua forsan tractu temporis excludi periclitabātur, quia omnes homines sūt in via deambulatoria vsque ad mortem, & facillimè patiuntur mutabilitatem in voluntate: & ideò ex hoc capite non videtur illis deberi satisfactio.

Nec non ijs, &c. Licet subuentio proueniat regulariter ex commiseratione. *c. fin. §. fin. in fine*, 25. *q. 2. l. 2. ff. ad Senat. conf. Velleian.* non autem ex iustitia: Attamē hoc est respectu subuenientis, & subuenti, tantum; non autem respectu extranei spoliātis iniustè hac subuentione subuentum. Et ideò si latrix per huiusmodi maritricidium aliquē viduauit tali subuentione, & consequutiuè attulit illi damnum, *Subuentio ex cōmiseratione oritur.*

num, tenetur ad damni refectionem. *c. 1. cum sequent. de iniur. & damno dato.*

In eo, in quo tenetur, &c. Id est de iure, vel naturali, vel ciuili. Consideret igitur executor quantitatem damni illati; nam pro damno illato æstimatio illius restituenda est. *c. si læserit, 4. de iniur. & damno dato.* Debet etiam considerare vires, & facultates dãnificantis, nam ad satisfaciendum vltrà vires non obligatur cum nemo ad impossibile obligetur. *l. si quis in graui, 3. ff. ad syllan. l. non solum, 30 ff. de action. & obligat.*

Ista autem impossibilitas verificatur etiam de magna difficultate, vt alias diximus: valde enim difficilium, & impossibilium idem est iudicium. *l. apud Iulianum, 40. §. constat, ff. de legatis 1. l. nepos Proculo, 125. ff. de verb. signific. l. si seruus depositus, 22. ff. de nōxal. Bald. cons. 101. lib. 1.*

Caute tamen, &c. Nemo tenetur propriam turpitudinē propalare. *c. cum nō deceat, 30. de elect. in 6. c. 1. de probation. vbi Panor. Imola, & Dec. l. qui accusare, 4. C. de edendo.* Altioris enim ordinis est bona fama, & ideò non laceranda pro huiusmodi satisfactione, & subuentione, sed prudenti cautela satisfaciendum, & subueniendum, cui latrix occasione prædicti excessus teneri reperietur.

Planè ignoretur, &c. Dictio, *planè*, idem importat, ac dictio, certè. *l. vlt. ff. de iure Fisci.* & ideo obligat executorem ad inuestigandum diligenter, an vere sit occultus huiusmodi latricis excessus, nam verbum illud, *ignoretur*, importat nesciẽtiam. *l. 1. ff. de iuris, & facti ignorãtia:* & ideò excludit omnem credulitatem, vt supra probauimus. *Dictio, planè. quid importet.*

Et quamuis verbum istud, *ignoretur*, hìc forsan relinquatur in tota sua amplitudine, adeò vt æque videatur excludere, & priuatam, & publicam notitiam, cum nulla ei annexa fuerit per M. P. dictio, qua eius amplitudo restringatur, & limitetur: attamen eam tantum intelligendā cēseo ignorantiam, quæ publicam excludit scientiam, & credulitatem, illamque admittit paucorum notitiam, quæ cum esse occulto nō implicet; nam iste sensus est conformior stylo M. P. qui in impedimentis occultis semper apponit manus, & dispensat, quādo adest causa rationabilis, & facultas dispensandi; prout est in nostro casu, vbi agitur de matrimonio

monio in foro exteriori habito pro legitimo, & probabiliter non dissoluendo, ob vitæ periculum: cum nequeat dissolui absque manifestatione capitalis criminis, & M. P. habet facultatem desuper necessariam dispensandi.

Ista clausula est synonima cum præcedẽti, & fuit apposita nõ ad præcedẽtis limitationem, sed ad eius maiorem declarationem, & faciliorẽ exequutoris instructionem: cum enim difficillimè occultari posse videatur homicidiũ, & præcipuè cõiugis, ex altera vero, parte sciri posset deprauatus animus, & machinatio latricis, non autem effectus indè sequutus, eo quod alteri causę tribuatur mors dicti coniugis; ideò, vt oculatiorem faciat exequutorem, in hoc inuestigando, clausulam hanc subnectit.

Secundò, agitur de salute animæ; & ideò si voluisset M. P. hanc clausulam aliter intelligendam esse, id expressisset.

Tertiò, cùm simus in re dubia & in dubijs benignior, interpretatio sit faciẽda. *c. estote, 2 de reg. iur.* & ad fauorẽ nostrum habeamus stylum, qui ius facit. *c. quam graui, 6. de crim. falsi.* nescio cur odiosam, & à stylo recedentẽ interpretationẽ facere debeamus.

Prolem, &c. Hæc clausula eodem modo accipienda, quo supra diximus in præcedenti formula.

Pro Oratoribus, qui data sibi ad inuicem fide de futuro inter se matrimonio, si vxor Oratoris præmoreretur, se per adulterium carnaliter cognouerunt; & deinde Orator ad eundem effectum in suæ vxoris mortem cum effectu machinatus fuit, Oratrice mortis huiusmodi omninò inscia; & postmodum matrimonium inter se alias legitimè contraxerunt, & successiue cõsummarunt; litterę conficiuntur eodem modo, quo supra in formula, *Altero machinante, de contracto*. Solum additur, *quod Oratori imponatur grauis & longa, quæ saltem per annum duret, pœnitentia salutaris*; prout fuit expressum in præcedenti formula, *Altero de contracto*: & ideò cùm non habeat aliquid speciale, non opus est, vt in ea explicanda immoremur.

VTRO-

VTROQVE MACHINANTE DE CONTRACTO.

Pro Oratoribus, qui per Adulterium ſe carnaliter cognouerunt, & vt matrimonium inter ſe contrahere poſſent, mariti Oratricis mortem cùm effectu machinati fuerunt, illoque defuncto matrimonium inter ſe publicè contraxerunt, & conſummarunt; litteræ, vt infrà expediri ſolent.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quatenus, ſi eſt ita, dictos Latores, audita prius eorum ſacramentali Confeſſione, à quibuſuis ſententijs, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas propter præmiſſa quomodolibet incurrerunt, adulterio, homicidio, & exceſsibus huiuſmodi abſoluas hac vice. &c. in forma Eccleſiæ conſueta; Iniuncta inde eis pro modo culpæ, graui, & longa, quæ ſaltem per annum duret, pœnitentia ſalutari: veluti, vt ſingulis ſextis ferijs per annum ieiunent: vt pro anima occiſi per annum in tribus diebus cuiuſlibet hebdomadæ orent, certaſque orationes eis à te pro eorum captu præſcribendas genibus flexis recitent: & ſi facultatem habent, quinquaginta Miſſas, vel alium numerum, iuxtà huiuſmodi facultatem, pro anima occiſi celebrari faciant: iniuncta etiam frequentia ſacramentalis Confeſsionis peccatorum ſuorum, ſingulis ſcilicet menſibus, vt minimum ſemel, & quoties tibi videbitur. Quodque hæredibus occiſi, nec non illis, quibus ipſe, dum viueret, ſubuenire forſan ſolebat, ſatisfaciant, & ſubueniant in eo, in quo tenentur: Cautè tamen, ne ſe prodant, & alijs, &c. iniungen, &c. Demum, dummodo omnino occultum ſit, quod

vterque

vterque Latorum in dicti mariti mortem machinatus sit, ac planè ignoretur quod mors inde sequuta sit, &c. Prout in præcedenti formula.

Cum in paucis differat hæc formula à præcedenti, ea solū explicabimus, remittēdo exequutorem in reliquis ad ea, quæ supra notauimus.

Veluti, dictio exemplificatiua.

Veluti, vt singulis, &c. Dictio ista, *veluti*, cum sit dictio exemplificatiua. *l. 2. ff. de iustitia, & iure. l. veluti, 7. ff. de seru. rust. præd. l. infamem, 7. ff. de publ. iud. l. veluti, 7. ff. de edendo. l. 3. l. Labeo. 14. §. 1. & l. inter publica, 17. ff. de verborū signific.* non importat talem necessitatem in exequutore, vt non possit alias similes imponere pœnitentias, si rationabilis causa suadeat à supra exemplificatis recessum; exēpla enim non excludunt similia. *l. 1. §. quod vulgo dicitur. ff. de vi, & vi armata. l. regula, 9. §. vlt. ff. de iuris, & facti ignorantia*: Et si M. P. voluisset exemplicatam pœnitentiam præcise iniungi, non adhibuisset dictionē exemplificatiuā, sed rescripsisset simpliciter, prædictas pœnitentias à se præscriptas imponi, prout in alijs pœnitētijs in hac eadem formula infra præscribit, & mandat.

Exempla non excludunt similia.

Aduertat hic exequutor, quod, licet tres sint pœnitentiarum species, quas M. P. exempli gratia ponit vsque ad aliam clausulam, *Iniuncta etiam, &c.* attamen faciunt vnū exemplum, nam sunt insimul copulatæ per dictionem, *&*, quæ facit, vt copulata faciant vnum inter se: & ideò si cogitur à dictis exemplificatis pœnitentijs propter Latorum inhabilitatem recedere, & alias imponere, debet subrogare alias, quæ nō multum dissimiles ab omnibus prædictis sint.

Sextis, &c. Feria sexta est dies pœnitentiæ dicatus in memoriam Passionis Christi, qui hac die Passionis suæ cursum consummauit. *c. ieiunia sanè, de consecratione, dist. 3.* Et ideò Ecclesia solet præcipere pœnitentibus, vt in hac feria peragant pœnitentias. *c. de illis, 11. q. 3. c. Presbyter, dist. 82. vbi glos. in verb. tres legitimas.* Et ibi nota, quod feria sexta vocatur legitima feria pro pœnitentia peragenda, vt per eam recordemur, nostras pœnitentias absque meritis pretiosissimę Christi Passionis, nullius esse roboris, & valoris; & ideo illis vniendas.

Feria sexta est dies pœnitentiæ legitimus.

Ieiu-

Ieiunent, &c. Nomen ieiunij hìc sumitur secundum modum ab Ecclesia institutũ. M. P. est minister Ecclesiæ, & ideò præsumitur se Ecclesiæ instituto conformare. Hodie secundum communem vsum loquendi, nomine ieiunii intelligitur ieiunium Ecclesiasticum, quod vnicam in die comestionem, quam vocant cœnam, admittit solummodo, & inducit abstinentiam a carnibus, ouis, & lacticiniis, alijsque cibis, qui sementinam carnis trahunt originem. *cap. denique dist.* 4.

Licet ieiunium simpliciter acceptum importet solummodo abstinentiam a præallegatis cibis, nihilominus si latores sunt robusti, præscriberem eis ieiunium in pane, & aqua; talis enim ieiunii præscriptio valdè familiaris est Ecclesiæ. *cap.* 1. *& sequen.* 22. *quæst.* 3. *cap. presbyter, distinctione* 82. & eo magis, quando delictum est grauius, & enormius, prout est in nostro casu.

Nota ex *Panor. in cap. at si clerici*, 4. *num.* 8. *de Iudicijs*, quod vxoricidium in foro animæ acrius punitur, quam matricidium, licet hoc sit grauius illo, quia hoc fit ad comprimendam maiorem facilitatem, quam homines habent ad interficiendam vxorem, quàm matrem, cum homines sint promptiores ad vxorem occidendam. *c. admonere, vbi glossa, & cap. latorem*, 3. *q.* 2.

Vxoricidium grauius punitur matricidio.

In tribus diebus, &c. Feria videlicet secunda, quarta, & sexta: hi enim dies solent a sacris Canonibus assignari pœnitentibus pro pœnitentiis explendis, & ideo vocantur dies legitimi. *d. cap. presbyter, dist.* 82. *vbi glossa in verbo, tres legitimas. cap. ieiunia, vbi glossa, de consecr. dist.* 3. *d. cap.* 1. *vbi glossa in verbo, legitima*, 22. *q.* 3. *c. de illis*, 11. *q.* 3.

Certasque Orationes, &c. Si latores sciant legere, non alias orationes, quam Psalmos Pœnitentiales eis præciperem recitandos; cum enim sint sequuti Dauid errantem, necesse est vt sequantur etiã pœnitentem. Si forsan alter tantum ex latoribus legere sciat, ignorans similiter flexis genibus recitantem auscultet, ac deuoto prosequatur animo: si vero neuter sciat legere, poterunt recitare flexis genibus quindecim Pater noster, & toties Aue Maria, intermiscendo versiculum *Requiẽ æternam, &c.* vel alias preces, prout exequutor expedire viderit.

Quin-

Quinquaginta Missas, &c. Missæ sacrificium prodest animabus defunctorum. *c. animæ defunctorum, 13. q. 2. & c. cum Martha, 6. de celebr. Miss.* & cùm numerus quinquagenarius, & tempus pœnitentiæ, & remissionis significet. *Durand. in suo rationali Diuinorum officiorum lib. 6. cap. 27. num. 4.* ideò hic numerus Missarum pro pœnitentia perpetrati delicti, & pro animæ occisi mariti liberatione, & remissione a pœnis Purgatorij iniungitur latoribus. Sicut enim per annum quinquagesimum Iubilei omnia debita remittebantur, & omnes restituebantur possessiones alienatæ, omnesque serui liberabātur a seruitute; ita per istum numerum Missarum, vita per homicidium corpori subtracta, & anima, quæ in Purgatorij seruitute per pœnarum vincula detinebatur, in libertatem filiorum Dei recipiatur, remissoque culparum debito ad Paradisi gloriam euocetur.

Dictio, vel, denotat diuersitatem.

Vel alium, &c. Dictio, *vel* de sui natura cadit inter diuersa. *Gonzales ad reg. 8. Canc. glossa 48. num. 17. & glossa. 52. n. 3. Ferr. in constit. Cathal. glossa, 4. n. 122.* & est disiunctiua quoad verba, & quoad effectum; & in ea sufficit alteram partem esse veram. *Menoch. de præsumpt. lib. 4. q. 83. num. 66.*

Dictio vero, *alium*, denotat diuersitatem, & ab expressis diuersa includit. *cap. alia causa est monachi, 16. q. 1. l. si fundum sub conditione, 83. §. si libertus, ff. de legat. 1. Soccin. iun. cons. 300. col. 3. vers. tertio principaliter vol. 2. Corneus cons. 5. n. 3. cum sequent. lib. 1. Paris. cons. 78. num. 21. vol. 2.* Ac propterea exequutor, si viderit latores opulentiores, vel pauperrimos esse, poterit a præscripto numero Missarum recedere, & alium maiorem, vel minorē imponere, prout bene sequentia denotant verba, *iuxta huiusmodi facultates*, id est, secundum huiusmodi facultates, dictio enim, *iuxta*, & dictio *secundum* æquipollent. *Panor. in c. Abbate, 25. num. 20. de verborum significat. Bart. in l. edita, 3. num. 28. C. de edendo.*

Dictiones, iuxta, & secundum æquipollent.

Demum, dummodo omnino, &c. Aduertat bene exequutor dictionem, *omnino*, quę idem est ac dictio, *omni ex parte*, vt *Clem. 1. vbi glossa in verbo, omninò, de vita, & honest. Cleric. l. si cum exceptione, 14. §. quatenus, & ibi glossa, ff. quod metus causa, & l. vbi autem, 75. §. fin. ff. de verb.*

hibere potuerit, nõ prohibuit. *c. non inferenda. c. qui potest. c. fin. 23. q. 3. Felin. in c. Petrus, 17. nu. 2, & 5. de homicidio, vbi Panorm. n. 1. & Petrus de Anchar. in c. sicut dignum, 6. n. 4. & in d. c. Petrus, n. 3. & Butr. in d. c. sicut dignum nu. 3. & 6. de homicid. volunt.* & eo magis est reus, quia eius intuitu est factum, & ideò sciens illud, multo magis tenebatur contradicere, & impedire. *d. c. Petrus, vbi Panor. n. 1. de homicidio volũtario. c. quia præsulatus. 1. q. 4.* Exequutor non multũ laborare debet in inuestigãda sciẽtia, vel nescientia dicti viri, quia parum faciunt ad validitatem dispensationis huiusmodi, nec sunt causa finalis, immò nec compulsiua illius; Primò, quia per se non inducunt diuersum impedimentũ: Secundo, non indigniorem efficiũt Latricem ad obtinendã dispensationem: immò sciẽtia dicti viri minueret aliquo modo malitiam latricis, & attenta fragilitate sexus, tanquam ab alio seductam, faceret digniorem compassione, eique facilius cõcederetur dispensatio.

Præterea, cùm M. P. oleat in parte restrictiua suarum Litterarum repetere ea, quibus motus fuit ad concedendam gratiam, & de ista nesciẽtia, ne verbum quidem fecerit, cogimur fateri illam non esse causam finalem, nec compulsiuam; & ideò neque ab Exequutore suo magnifaciendum esse, an illa adsit, nec ne.

Iniuncta, &c. Pro tot grauibus excessibus, quæ pęnitentia imponenda sit M. P. non in totum exprimit, sed aliquid arbitrio sui exequutoris relinquit, quia delinquentis ætatem, & vires, & conditionem, ac loci, & temporis qualitates ignorat: attamen innuit debere esse grauem, & longam, quæ saltem per annum duret, & hoc ex præcipua M. P. & Ecclesiæ benignitate: nam alias interfector proprij coniugis acerrimè, & toto vitæ suæ tempore puniebatur, vt patet, *ex c. admonere 33. q. 2.*

Et licet arbitrium habeat exequutor in pectore, attamẽ in manibus afferat necesse est diuinam stateram, & in illa quid sit grauius appendat; immò non appendat, sed à Domino appensa recognoscat. *cap. non afferamus, 24. q. 1.*

Quid igitur poterit Latrici coniugatæ imponi, cũ sui iuris non sit, sed sub mariti potestate, ac propterea non ita facile valeat adimplere ieiunia, & vigilias, quę illi pro mariticidio imponenda præcipuè essent iuxtà prædictum *c. admonere,* equi-

equidem non ità facile a ieiunio, & vigilijs illam liberarem; nam, & aliquam abstinentiam, & aliquas moderatas vigilias, extra tamen eorum rigorem, præciperem: quia, si semel in hebdomada ab esu carnis sub prætextu inappetentiæ abstineret; & si non a qualitate ciborum in præsentia viri sui abstinere queat, abstineat a quantitate illorum; vt bene adnotauit *Hostien. in sum. de pœniten. & remiss. n. 60. propè finem vers. si sit coniugata*; & per horam seriùs cubitum iret, occasione arrepta alicuius rei domesticę expediendæ; non existimo suum coniugem id ægre laturum, nec prohibiturum esse; non tamen diem præscriberem, vt iuxtà opportunitatem, & non iuxta præscripti diei necessitatem, peragat ea, quæ ad perpetrati sceleris expiationem, sed non ad propalationem imponuntur. Similiter interdicerem immoderatũ corporis ornatum, quo extrà modum mulieres nostri seculi, & conditionem, & honestum excedunt in familiarum ruinas, & animarum iacturam; quòd eo facilius obtinere a dicto viro poterit, quia non a Virginitate, sed a Viduitate procedit ad secundas nuptias. Alienis etiam choreis interesse similiter per annum saltem interdicerem; vt quoad fieri potest, hisce externis pœnis concitet animũ ad internę pœnitentiæ fructus, & diuinæ misericordiæ amplexus mereatur. Hæc indicaui, non vt legem exequutori præscriberem, sed vt ei aliquod lumen in negotio tanti momenti præferrem.

Et orationibus, &c. Si latrix legere sciat, multum ad rem faceret, iniungere pro pœnitentia recitationem Officij, aliquarumque orationum quæ sint propriæ pro defunctis; & si legere nesciat, præscriberem ei onus recitandi aliquot Pater noster, & aliquot Aue Maria, & in fine cuiuslibet eorum præcipere recitare versiculum *Requiem æternam*; vt sic continuo redigeretur ei in memoriam perpetratum scelus, eamque pœniteret. Istæ orationes debent esse ad minus duæ, vel saltem vna per duas vices reiteranda, cùm pluralis numerus vno non contentus sit, sed ad minus verificari debeat in duobus. *l. vbi numerus, 12. ff. de testibus, cap. pluralis locutio, 40. de reg. iur. in 6.* & non sit necesse vt sint istæ orationes diuersæ inter se diuersitate specifica, loquutio enim pluralis æque verificatur in pluribus tam diuersis numero,

quam diuersis specie, vt aliàs probauimus.

Ac pro modo facultatum, &c. Dictio, *pro*, sumitur aliquando pro dictione *secundum*, vt sumpsit *Cic. in 7. Ver. Ciuitatibus pro numero militum pecuniæ summas describere:* & in eodem sensu sumitur hic a M.P. adeò vt executor teneatur considerare an latrix sit pauper, vel diues, quantum sit pauper, vel quantum diues; & secundum eius facultates, & posse, imponere onus eleemosynarum pro Missis celebrãdis pro anima coniugis à se occisi. Et hic aduerte, quod licet pauperibus non sit imponendum onus distribuendi eleemosynas pro pœna homicidij, prout asserit *Butrius in cap. 2. num. 3. de homicidio*, sed solummodo onus recitandi deuotas orationes; attamen hic est casus atrocior simplici homicidio, & ideo a regula aliquantum recedere licet.

Aliquem numerum, &c. Numerus est collectio vnitatum, vnde vnitas non dicitur numerus, sed principium numeri: & ideo caueat executor ne ad minus latrici, si forsan est pauperrima, præcipiat eleemosynam ad celebrandum duas Missas, cum numerus ad minus constituatur per duas vnitates. *dicta l. vbi numerus, ff. de testibus*.

Missarum, &c. Animę Defunctorum quatuor beneficijs adiuuari possunt, si ex hac vita absque peccati mortalis labe recesserunt: scilicet Missarum celebrationibus, sanctis orationibus, charorum eleemosynis, & ieiuniis cognatorum. *cap. non æstimemus, & cap. animæ defunctorum, 13. q. 2. Hostien. in sum. de pœnitent. & remissionibus, §. Quibus mortuis suffragia, num. 59. & communiter omnes DD.* Si vero obierunt in peccato mortali, nihil eis amplius prodesse potest. *cap. quibus peccata, & cap. cum grauia peccata, 13. quæst. 2.* Et cùm huiusmodi latricis delictum inter primariç atrocitatis excessus numeretur, & chariori bono, qualis est vita, coniugem iniustè spoliauerit, peropportunè illi præcipitur, vt Missarum compensatione, quæ inter suffragia primarium locum tenent, & Defunctorum animabus vtiliores, & gratiores sunt, damnum illatum resarcire, quoad fieri poterit, studeat. *Quibus suffragiis Animæ Defunctorum adiuuari possint.*

In compensationibus enim

re-

requiritur aliqua ad inuicem proportio. *l. si propter, 8. & l. cõpensationes, 14. C. de compensationibus:* & de rebus, quæ nõ habent ad inuicem proportionem, non datur compensatio. *l. 1. & d. l. fin. C. de compensationibus.*

Quodque heredibus, &c. Hæredum nomine intelliguntur tam ij, qui ex testamento, quàm qui ab intestato veniũt, tam sanguinis, quam bonorũ, tam sui, quam extranei successores. *l. hæredis appellatione, 170. ff. de verborum signif. Panor. in c. in quibusdam, 12. num. 3. de pœnis.*

Sed hic solum intelligi existimo eos, qui sunt hæredes sanguinis, tam descendenres, quã ascẽdentes, ac etiam collaterales; hos enim iura ad hæreditatẽ propriè vocãt. Primò descendẽtes. *Auth. cessante successione, C. de legitimis hæred.* Secundò ascẽdentes vocãtur. *d. authent. cessante, successione l. 1. ad Senatusconf. Orficianũ, l. in successione, 9. C. de suis & legitimis liberis.*

Ascendẽtes veniunt ab intestato deficientibus descendentibus. *d. auth. cessante authent. in testamento, C. ad Senat. conf. Tertullian.*

Collaterales demum veniũt. *authen. in successione, C. de legitimis hæred. l. si quis, 7. C. ad Senat. consf. Tertullian.*

Et moueor ad credendum, quod ex mente M. P. hic nomine *hæredum* veniant solum prędicti legitimi hęredes, quia his de iure venit hæreditas, & hi solum ratione coniunctionis sanguinis cum occiso læduntur in occisione: & ideò istis solummodo damnum reficiendum.

Hæredes verò extranei nõ solum non læduntur, sed potius, vt ex corrupto hominum more loquar, beneficantur, cũ per homicidium recipiãt hæreditatem, à qua forsan tractu temporis excludi periclitabãtur, quia omnes homines sũt in via deambulatoria vsque ad mortem, & facillimè patiuntur mutabilitatem in voluntate; & ideò ex hoc capite non videtur illis deberi satisfactio.

Nec non ijs, &c. Licet subuentio proueniat regulariter ex commiseratione. *c. fin. §. fin. in fine, 25. q. 2. l. 2. ff. ad Senat. consf. Velleian.* non autem ex iustitia: Attamẽ hoc est respectu subuenientis, & subuenti, tantum; non autem respectu extranei spoliãtis iniustè hac subuentione subuentum. Et ideò si latrix per huiusmodi maritricidium aliquẽ viduauit tali subuentione, & consequutiuè attulit illi damnum,

Subuentio ex cõmiseratione oritur.

num, tenetur ad damni refectionem. *c. 1. cum sequent. de iniur. & damno dato.*

In eo, in quo tenetur, &c. Id est de iure, vel naturali, vel ciuili. Consideret igitur exequutor quantitatem damni illati; nam pro damno illato æstimatio illius restituenda est. *c. si læserit, 4. de iniur. & damno dato.* Debet etiam considerare vires, & facultates dãnificantis, nam ad satisfaciendum vltrà vires non obligatur cum nemo ad impossibile obligetur. *l. si quis in graui, 3. ff. ad syllan. l. non solum, 30 ff. de action. & obligat.*

Ista autem impossibilitas verificatur etiam de magna difficultate, vt alias diximus: valde enim difficilium, & impossibilium idem est iudicium. *l. apud Iulianum, 40. §. constat, ff. de legatis 1. l. nepos Proculo, 125. ff. de verb. signific. l. si seruus depositus, 22. ff. de noxal. Bald. consf. 101. lib. 1.*

Caute tamen, &c. Nemo tenetur propriam turpitudinẽ propalare. *c. cum nõ deceat, 30. de elect. in 6. c. 1. de probation. vbi Panor. Imola, & Dec. l. qui accusare, 4. C. de edendo.* Altioris enim ordinis est bona fama, & ideò non laceranda pro huiusmodi satisfactione, & subuentione, sed prudenti cautela satisfaciendum, & subueniendum, cui latrix occasione prædicti excessus teneri reperietur.

Planè ignoretur, &c. Dictio, *planè*, idem importat, ac dictio, certè. *l. vlt. ff. de iure Fisci.* & ideo obligat exequutorem ad inuestigandum diligenter, an vere sit occultus huiusmodi latricis excessus, nam verbum illud, *ignoretur*, importat nescientiam. *l. 1. ff. de iuris, & facti ignorãtia:* & ideò excludit omnem credulitatem, vt supra probauimus.

Dictio, planè. quid importet.

Et quamuis verbum istud, *ignoretur*, hic forsan relinquatur in tota sua amplitudine, adeò vt æque videatur excludere, & priuatam, & publicam notitiam, cum nulla ei annexa fuerit per M. P. dictio, qua eius amplitudo restringatur, & limitetur: attamen eam tantum intelligendã cẽseo ignorantiam, quæ publicam excludit scientiam, & credulitatem, illamque admittit paucorum notitiam, quæ cum esse occulto nõ implicet; nam iste sensus est conformior stylo M. P. qui in impedimentis occultis semper apponit manus, & dispensat, quãdo adest causa rationabilis, & facultas dispensandi; prout est in nostro casu, vbi agitur de matrimonio

monio in foro exteriori habito pro legitimo, & probabiliter non dissoluendo, ob vitæ periculum: cum nequeat dissolui absque manifestatione capitalis criminis, & M. P. habet facultatem desuper necessariam dispensandi.

Ista clausula est synonima cum præcedēti, & fuit apposita nō ad præcedētis limitationem, sed ad eius maiorem declarationem, & faciliorē exequutoris instructionem: cum enim difficillimè occultari posse videatur homicidiū, & præcipuè cōiugis; ex altera vero parte sciri posset deprauatus animus, & machinatio latricis, non autem effectus indè sequutus, eo quod alteri causę tribuatur mors dicti coniugis; ideò, vt oculatiorem faciat exequutorem, in hoc inuestigando, clausulam hanc subnectit.

Secundò, agitur de salute animæ; & ideò si voluisset M. P. hanc clausulam aliter intelligendam esse, id expressisset.

Tertiò, cùm simus in re dubia & in dubijs benignior, interpretatio sit faciēda. *c. estote, 2. de reg. iur.* & ad fauorē nostrum habeamus stylum, qui ius facit. *c. quam graui, 6. de crim. falsi.* nescio cur odiosam, & à stylo recedentē interpretationē facere debeamus.

Prolem, &c. Hæc clausula eodem modo accipienda, quo supra diximus in præcedenti formula.

Pro Oratoribus, qui data sibi ad inuicem fide de futuro inter se matrimonio, si vxor Oratoris præmoreretur, se per adulterium carnaliter cognouerunt; & deinde Orator ad eundem effectum in suæ vxoris mortem cum effectu machinatus fuit, Oratrice mortis huiusmodi omninò inscia; & postmodum matrimonium inter se alias legitimè contraxerunt, & successiue cōsummarunt; litterę conficiuntur eodem modo, quo supra in formula, *Altero machinante, de contracto.* Solum additur, *quod Oratori imponatur grauis & longa, quæ saltem per annum duret, pænitentia salutaris;* prout fuit expressum in præcedenti formula, *Altero de contracto:* & ideò cùm non habeat aliquid speciale, non opus est, vt in ea explicanda immoremur.

VTRO-

VTROQVE MACHINANTE DE CONTRACTO.

Pro Oratoribus, qui per Adulterium se carnaliter cognouerunt, & vt matrimonium inter se contrahere possent, mariti Oratricis mortem cùm effectu machinati fuerunt, illoque defuncto matrimonium inter se publicè contraxerunt, & consummarunt; litteræ, vt infrà expediri solent.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quatenus, si est ita, dictos Latores, audita prius eorum sacramentali Confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, adulterio, homicidio, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice. &c. in forma Ecclesiæ consueta; Iniuncta inde eis pro modo culpæ, graui, & longa, quæ saltem per annum duret, pœnitentia salutari: veluti, vt singulis sextis ferijs per annum ieiunent: vt pro anima occisi per annum in tribus diebus cuiuslibet hebdomadæ orent, certasque orationes eis à te pro eorum captu præscribendas genibus flexis recitent: & si facultatem habent, quinquaginta Missas, vel alium numerum, iuxtà huiusmodi facultatem, pro anima occisi celebrari faciant: iniuncta etiam frequentia sacramentalis Confessionis peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, vt minimum semel, & quoties tibi videbitur. Quodque hæredibus occisi, nec non illis, quibus ipse, dum viueret, subuenire forsan solebat, satisfaciant, & subueniant in eo, in quo tenentur: Cautè tamen, ne se prodant, & alijs, &c. iniungen, &c. Demum, dummodo omnino occultum sit, quod

vterque

vterque Latorum in dicti mariti mortem machinatus sit, ac planè ignoretur quod mors inde sequuta sit, &c. Prout in præcedenti formula.

Cum in paucis differat hæc formula à præcedenti, ea solũ explicabimus, remittẽdo exequutorem in reliquis ad ea, quæ supra notauimus.

Veluti. est dictio exemplificatiua.

Veluti, vt singulis, &c. Dictio ista, *veluti*, cum sit dictio exemplificatiua. *l. 2. ff. de iustitia, & iure. l. veluti, 7. ff. de seru. rust. præd. l. infamem, 7. ff. de publ. iud. l. veluti, 7. ff. de edendo. l. 3. l. Labeo. 14. §. 1. & l. inter publica, 17. ff. de verborũ signific.* non importat talem necessitatem in exequutore, vt non possit alias similes imponere pœnitentias, si rationabilis causa suadeat à supra exemplificatis recessum; exẽpla enim non excludunt similia. *l. 1. §. quod vulgo dicitur. ff. de vi, & vi armata. l. regula, 9. §. vlt. ff. de iuris, & facti ignorantia*: Et si M. P. voluisset exemplicatam pœnitentiam præcise iniungi, non adhibuisset dictionẽ exemplificatiuã, sed rescripsisset simpliciter, prædictas pœnitentias à se præscriptas imponi, prout in alijs pœnitẽtijs in hac eadem formula infra præscribit, & mandat.

Exempla non excludunt similia.

Aduertat hic exequutor, quod licet tres sint pœnitentiarum species, quas M. P. exempli gratia ponit vsque ad aliam clausulam, *Iniuncta etiam, &c.* attamen faciunt vnũ exemplum, nam sunt insimul copulatæ per dictionem, *&*, quæ facit, vt copulata faciant vnum inter se: & ideò si cogitur à dictis exemplificatis pœnitentijs propter Latorum inhabilitatem recedere, & alias imponere, debet subrogare alias, quæ nõ multum dissimiles ab omnibus prædictis sint.

Sextis, &c. Feria sexta est dies pœnitentiæ dicatus in memoriam Passionis Christi, qui hac die Passionis suæ cursum consummauit. *c. ieiunia sanè, de consecratione, dist. 3.* Et ideò Ecclesia solet præcipere pœnitentibus, vt in hac feria peragant pœnitentias. *c. de illis, 11. q. 3. c. Presbyter, dist. 82. vbi glos. in verb tres legitimas.* Et ibi nota, quod feria sexta vocatur legitima feria pro pœnitentia peragenda, vt per eam recordemur, nostras pœnitentias absque meritis pretiosissimę Christi Passionis, nullius esse roboris, & valoris; & ideo illis vniendas.

Feria sexta est dies pœnitentia legitimus.

Ieiu-

Ieiunent, &c. Nomen ieiunij hic sumitur secundum modum ab Ecclesia institutũ. M. P. est minister Ecclesiæ, & ideò præsumitur se Ecclesiæ instituto conformare. Hodie secundum communem vsum loquendi, nomine ieiunii intelligitur ieiunium Ecclesiasticum, quod vnicam in die comestionem, quam vocant cœnam, admittit solummodo, & inducit abstinentiam a carnibus, ouis, & lacticiniis, alijsque cibis, qui sementinam carnis trahunt originem. *cap. denique dist.* 4.

Licet ieiunium simpliciter acceptum importet solummodo abstinentiam a prællegatis cibis, nihilominus si latores sunt robusti, præscriberem eis ieiunium in pane, & aqua; talis enim ieiunii præscriptio valdè familiaris est Ecclesiæ. *cap.* 1. *& sequen.* 22. *quæst.* 3. *cap. presbyter, distinctione* 82. & eo magis, quando delictum est grauius, & enormius, prout est in nostro casu.

Vxoricidium grauius puni tur matricidio.

Nota ex *Panor. in cap. at si clerici*, 4. *num.* 8. *de Iudicijs*, quod vxoricidium in foro animæ acrius punitur, quam matricidium, licet hoc sit grauius illo, quia hoc fit ad comprimendam maiorem facilitatem, quam homines habent ad interficiendam vxorem, quàm matrem, cum homines sint promptiores ad vxorem occidendam. *c. admonere, vbi glossa, & cap. latorem,* 3. *q.* 2.

In tribus diebus, &c. Feria videlicet secunda, quarta, & sexta: hi enim dies solent a sacris Canonibus assignari pœnitentibus pro pœnitentiis explendis, & ideo vocantur dies legitimi. *d. cap. presbyter, dist.* 82. *vbi glossa in verbo, tres legitimas. cap. ieiunia, vbi glossa, de consecr. dist.* 3. *d. cap.* 1. *vbi glossa in verbo, legitima*, 22. *q.* 3. *c. de illis*, 11. *q.* 3.

Certasque Orationes, &c. Si latores sciant legere, non alias orationes, quam Psalmos Pœnitentiales eis præciperem recitandos; cum enim sint sequuti Dauid errantem, necesse est vt sequantur etiã pœnitentem. Si forsan alter tantum ex latoribus legere sciat, ignorans similiter flexis genibus recitantem auscultet, ac deuoto prosequatur animo: si vero neuter sciat legere, poterunt recitare flexis genibus quindecim Pater noster, & toties AueMaria, intermiscendo versiculum *Requiẽ æternam, &c.* vel alias preces, prout exequutor expedire viderit.

Quin-

Quinquaginta Missas, &c. Missæ sacrificium prodest animabus defunctorum. *c. animæ defunctorum, 13. q. 2. & c. cum Martha, 6. de celebr. Miss.* & cùm numerus quinquagenarius, & tempus pœnitentiæ, & remissionis significet. *Durand. in suo rationali Diuinorum officiorum lib. 6. cap. 27. num. 4.* ideò hic numerus Missarum pro pœnitentia perpetrati delicti, & pro animæ occisi mariti liberatione, & remissione a pœnis Purgatorij iniungitur latoribus. Sicut enim per annum quinquagesimum Iubilei omnia debita remittebantur, & omnes restituebantur possessiones alienatæ, omnesque serui liberabātur a seruitute; ita per istum numerum Missarum, vita per homicidium corpori subtracta, & anima, quæ in Purgatorij seruitute per pœnarum vincula detinebatur, in libertatem filiorum Dei recipiatur, remissoque culparum debito ad Paradisi gloriam euocetur.

Vel alium, &c. Dictio, *vel* de sui natura cadit inter diuersa. *Gonzales ad reg. 8. Canc. glossa 48. num. 17. & glossa. 52. n. 3. Ferr. in constit Cathal. glossa, 4. n. 122.* & est disiunctiua quoad verba, & quoad

Dictio, vel, denotat diuersitatem.

effectum; & in ea sufficit alteram partem esse veram. *Menoch. de præsumpt. lib. 4. q. 83. num. 66.*

Dictio vero, *alium*, denotat diuersitatem, & ab expressis diuersa includit. *cap. alia causa est monachi, 16. q. 1. l. si fundum sub conditione, 83. §. si libertus, ff. de legat. 1. Soccin. iun. consf. 300. col. 3. vers. tertio principaliter vol. 2. Corneus cons. 5. n. 3. cum sequent. lib. 1. Paris. cons. 78. num. 21. vol. 2.* Ac propterea exequutor, si viderit latores opulentiores, vel pauperrimos esse, poterit a præscripto numero Missarum recedere, & alium maiorem, vel minorē imponere, prout bene sequentia denotant verba, *iuxta huiusmodi facultates*, id est, secundum huiusmodi facultates, dictio enim, *iuxta*, & dictio *secundum* æquipollent. *Panor. in c. Abbate, 25. num. 20. de verborum significat. Bart. in l. edita, 3. num. 28. C. de edendo.*

Dictiones, iuxta, & secundum æquipollent.

Demum, dummodo omnino, &c. Aduertat bene exequutor dictionem, *omnino*, quę idem est ac dictio, *omni ex parte*, vt *Clem. 1. vbi glossa in verbo, omninò, de vita, & honest. Cleric. l. si cum exceptione, 14. §. quatenus, & ibi glossa, ff. quod metus causa, & l. vbi autem, 75. §. fin. ff. de verb.*

verb. obligat. nam non solum intendit M. P. quòd dictus exequutor perpendat, an occultum sit, mortem dicti coniugis prouenire ex vtriusque latoris copulata machinatione, verum etiam ex alterius tantùm separatis insidiis: & ideo satis est ad impediendum huius dispensationis effectum, si publice sciatur, quod alter latorũ sua machinatione occiderit coniugem, quia statim ac fit publicum impedimẽtum, a facultatibus M.P. excluditur. Reliqua prout in præcedenti formula.

VTROQVE MACHINANTE

DE CONTRAHENDO.

Pro Oratoribus, qui fide data de matrimonio inter se contrahendo, per adulterium se carnaliter cognouerunt, & ad hunc effectum machinati fuerunt in mortem mariti Oratricis, & deinde de matrimonio inter eos contrahendo publicè tractarunt, factis etiam in Ecclesia publicationibus; interim tamen admoniti de impedimento ex præmissis proueniente, petunt absolui, & secum dispensari.

FR. *Antonius Barberinus, &c. continebat. Quòd ipsi aliàs insimul adulterarunt, cum promissione matrimonij inter se contrahendi, si latricis maritus præmoreretur, & ad hunc effectum in illius mortem machinati sunt, effectuque inde sequuto, publice tractarunt de matrimonio huiusmodi contrahendo, ac publicationes in Ecclesia desuper iam fieri procurarunt, bona tamen fide. Cum autem, &c. impedimentum ex præmissis proueniẽs sit occultum tractatus verò matrimonij huiusmodi publicus, & nisi ad effectum perducatur, scandala inde exoritura sint, ad ea vitanda, ac pro suæ conscientiæ quiete cupiunt latores*

a præ-

à præmissis, de quibus plurimum dolent, per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. quatenus, si est ita, dictos Latores, audita prius eorum sacramentali Confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, adulterio, homicidio, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta; iniuncta inde eis pro modo culpæ, graui, & longa, quæ saltem per annum duret, pœnitentia salutari, veluti, vt singulis sextis ferijs, &c. Prout in præcedenti formula, Altero machinante de contracto: Omissa tamen frepuentia sacramentali Confessionis, quæ solum imponitur, quando matrimonium est contractum.

Ex præmissis, quæ diximus in præcedētium formularum inclausulis, patet, quomodo exequutioni demandanda sit hæc formula, quæ nihil proprium habet, quod à præcedentibus formulis de contrahendo discrepet; ideò exequutorem ad illas remittimus.

Moneri tamen debent Latores, quod si huiusmodi impedimentum detegatur, à matrimonio contrahendo inter se omnino abstineant, quia dispensatio vigore præsētium litterarum non suffragatur, & ideò neque in foro conscientiæ tuti erunt.



REMANENDI IN MATRIMONIO.

Pro Oratoribus, qui quarto consanguinitatis gradu sunt coniuncti, & cupientes inuicem matrimonialiter copulari, exposuerunt, quod nisi matrimonium inter se contraxissent, grauissimæ inimicitiæ, & scandala sequerentur, & dispensatione super impedimento dicti gradus obtenta, illius vigore matrimonium per verba de præsenti contraxerunt, & consummauerunt: sed verè inimicitiæ, licet aliquæ potuissent oriri, non tamen graues, vt fuit expositum, ortæ fuissent; Litteræ vt infra conficiuntur.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Quòd ipsi aliàs cupientes insimul copulari matrimonialiter, obtinuerunt à Sede Apostolica dispensationem super impedimento quarti consanguinitatis gradus, quo inuicem sunt coniuncti, falsò tamen exponentes, quod nisi matrimonium inter eos contraheretur, grauissimæ inde inimicitiæ, & scandala sequutura essent: & dispensationis prædictæ vigore matrimonium in facie Ecclesiæ inter se contraxerunt, & successiuè consummarunt. Cum autem, &c. prædicta dispensatio ob falsam expressionem huiusmodi sit inualida, & ideò Latores nequeat in prædicto suo matrimonio remanere absque noua Sedis Apostolicæ dispensatione, ad euitanda scandala, quæ, si diuortium inter eos fieret, exoritura essent; ac pro suæ conscientiæ quiete cupiunt ipsi Latores à præmissis, quæ occulta sunt, & de quibus plurimum dolent, absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. quatenus, si est ita, dictos Latores,*

audita

audita priùs eorum sacramentali Confessione, à quibus suis sententijs, censuris, &c. quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, incestu, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. iniuncta inde eis pro modo culpæ graui pænitentia salutari, & alijs, &c. iniungen. &c. Demum, dummodo, occultum sit dispensationem prædictam propter falsam expressionem huiusmodi inualidam esse, & aliàs ritè, ac iuxta formam litterarum dictæ dispensationis, verificatisque in ea narratis super impedimento quarti consanguinitatis gradus, cum ipsis latoribus dispensatum fuerit, aliudque canonicum non obstet, cum eisdem, quod præmissis non obstantibus matrimonium inter se de nouo secretè ad vitanda scandala contrahere, & in eo postmodum remanere, &c. Prout in formula in primo de contracto.

Falsa exponentes, &c. Ex falsi expressione in suæ peruersitatis pœnã impetrans nullum consequitur commodum. *cap. super litteris*, 20. *de rescriptis*. Et ideò nostri latores matrimonium nulliter cõtraxerunt vigore dispensationis à se sub falsæ causæ expressione obtentæ.

Grauissima inimicitia & capitalis inimicitia idem sunt.

Grauissima inimicitia, &c. Textus *in l. 3. §. fin. ff. de adimend. legat. & glos. in cap. per tuas*, 32. *in verbo, inimicitias, de simonia*, pro eodem sumunt grauissimam inimicitiam, & capitalem inimicitiam.

Eadem Glossa *in cap. cum oporteat*, 19. *in verbo, inimicos, de accusationibus*, pro eodem sumit capitalem inimicitiam, & grauem inimicitiam. Idemque tenet *Panorm. in d. cap. cum oporteat, num. 4. de accusat.*

Capitalis inimicitia quæ sit.

Capitalis autem inimicitia tunc esse dicitur, quando quis inimico minatus fuit mortem, seu accusauit eum criminaliter, vel eum odit, vel eius mortem desiderat. *Panorm. in d. c. cum oporteat, n. 4. & in c. repellantur, 7. num. 2. de accusat. Glos. in §. inimicitia, in verbo, si capitales, institut. de excusat. tutor. vel curator. & in d. cap. cum oporteat supracit.* Vel etiã quando est quæstio de omnibus bonis, vel de maiori parte bonorum; nam bona tem-

poralia sunt vita hominum. *l. aduocati*, 14. *C. de aduocat. diuers. Iud. Panor. loco cit. n.* 4. *vbi etiam glos. in verbo, inimicos.* Ex quibus colligitur, esse synonima in iure verba ista, grauissimæ inimicitiæ, capitales inimicitiæ, & graues inimicitiæ, saltem quoad effectū validandi gratias, quæ eorum intuitu conceduntur; quia iura, exclusis leuibus tantum inimicitijs, alias omnes in magna cōsideratione habent, & inter sufficientes, & legitimas causas admittunt. *l. si inimicitiæ*, 9. *ff. de his quibus vt indignis legatur. d. l.* 3. *in fine, ff. de adim. legatis glos. in c. accusatores il primo, in verbo, externum*, 3. *q.* 5. *Panor. in c.* 1. *n.* 8. *de accusat. & in d. cap. per tuas il primo, de simonia. & ibi etiam glos. in verb. inimicitias.*

Inimicitia grauis est legitima causa dispensandi.

A quibusuis sentent. &c. Obtenta dispensatio cum sit nulla, non impedit, quin latores incurrant excommunicationem *in Clement.* 1. *de consanguin. & affinit.* contentam contra contrahentes matrimonium in gradu prohibito; & ideò absoluendi sunt, prout in præcedentibus alijs formulis diximus.

Graui pœnitentia, &c. Videlicet ieiunio, eleemosyna, & orationibus, prout supra de incestuoso diximus, iuxta capacitatem absoluendorum, & delicti grauitatem, quam exequutor semper secundùm Deum perpendere debet.

Demum, dummodo occultum sit, &c. Cum fuerit, vt præsupponitur, probatum imminens periculum grauissimarum inimicitiarum, & vigore huiusmodi probationum & prædictarum litterarum Apostolicarum, cum latoribus dispensatum in foro fori ad cōtrahendum matrimonium; factisque etiam, vt præsupponitur, publicationibus, & minimè denuntiata, seu opposita prædictæ dispensationis nullitate; exequutor solum præcauere debet, ne ad præsens diffamati latores sint de inualiditate obtentæ dispensationis, & successiuè ipsius matrimonij. Si enim sunt diffamati, non per vanam, & temerariam proclamationem, quæ nullo fulciatur fundamēto; & propterea reprobatur. *cap. inquisitioni tuæ*, 44. *de sentent. excommun. cap. temerarium*, 11. *q.* 3. sed per fundatam, & rationibus plurimorum opinionem, & proclamationem; exequutor abstineat à dispensando, quia, & sua

sua delegata, & M. P. delegantis facultates excludunt casus publicos.

Et alias ritè, &c. De hac, & sequentibus clausulis abundè diximus in præcedēti formula pro muliere, quæ carnaliter cognita fuit à viro suæ sororis, & deinde obtenta à Dataria dispensatione super quarto consanguinitatis gradu, cum illius fratre matrimonium contraxit.

Pro Oratoribus, qui nondum receptis litteris dispensationis super duplicis tertij affinitatis gradus impedimento, carnaliter se cognouerunt, & postmodum ijs receptis, & Ordinario præsentatis, coram ipso copulam mediante iuramento negarunt, & vigore dictarum litterarum de ipsius Ordinarij licentia matrimonium contraxerunt, & consummarunt; litteræ vt infra conficiuntur, &c.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quare, &c. Quatenus si est ita, dictos Latores, audita prius eorum sacramentali Confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, incestu, periurio, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. iniuncta inde eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, & alijs, &c. iniungen, &c. Demum, dummodo impedimentum ex incestuosa cognitione prædicta proueniens sit occultum, & aliàs ritè, ac iuxta formam, &c. Vt in præcedenti formula.

Copula quãdocunque præcedat matrimonium, semper est exprimenda in dispensatione.

Nondum receptis, &c. Ex Curiæ Romanæ praxi, & ex S. Congregationis Concilij sensu, dispensationes obtentæ absque expressione copulæ habitæ inter consanguineos, vel affines, etiam post commissionem Romani Pontificis factam illorum Ordinario de dispensando, antequam exequutioni ab ipso demandetur, subreptitiæ sunt, & nullæ. *Guttierez lib. 1. canonicarum quæst. cap. 5. Petrus de Ledes-*

ma de magno Matrimonij Sacramento, q.56. art.5. concl.4. Garc. de benef. par.8.c.3.n.65. cum sequent. Vbi affirmat pluries hoc à Sacra Congregatione Concilij fuisse declaratum *in cap.1. sess.24. Sanchez de matrimonio, lib.3. disput.14. n.3. Quaranta in summa Bullarij verbo, matrimonij dispensationes, in fine, vers. quibus expletis. Ioan. Francisc. Leo in suo thesauro fori Ecclesiastici, part.2. de dispensat. cap 8. num.50.* Ratio videtur esse, quia quando duo impedimenta se contingunt, impedimentum tacitum auget expressum, super quo dispensatur, & ideò necesse est de vtroque facere mentionem, alias dispensatio est nulla.

Idemque dicendum de dispensatione nondum exequutioni demandata; ex sola enim Commissione facta, & presentata non perficitur, & deducitur in suo esse dispensatio, & ideò tacita præcedens copula facit illam inualidam, cum incestus sit de iure impedimentum: & in hoc maximè præponderare debet authoritas M. P. qui hac sua formula demonstrat necessitatem exprimendi copulam huiusmodi, & dispensationis secus obtentæ inualiditatem, ac ipsius Curiæ Romanæ praxim, dum imponit matrimonium contrahendum de nouo secretè; nisi enim matrimonium fuisset inualide contractum, non iuberet, de nouo illud contrahendum.

Nec obstat quidquid asserit *Nauar.* in contrarium *tit. de consanguinitate, & affinit. cons.9. & duobus sequent. lib.4.* Quia communis Romanę Curiæ praxis docet contrarium: praxis autem facit ius, vt superius diximus: nec de huiusmodi praxi dubitari potest, quia vt testis oculatus id assero, cum materias prædictas quatuordecim annorum spatio sedule pertractauerim.

Iniuncta, &c. Cum Latores veritatem negauerint, ac mendacium rei sacræ attestatione firmauerint, grauius etiam in foro pœnitentiali puniendi sunt. *c. qui Sacramento, 22.q.4.*

Licet autem iuxta prædictum capitulum, per annum remouendi essent à Communione Corporis, & Sanguinis Domini; attamē quia ibi propriè loquitur de crimine periurij publico, & successiuè de pœnitentia publicè imponenda, existimo moderandam, ne, quod occultum est, detegatur; & ideò solum imponendum ieiunium, & orationes, absque etiam onere faciendi eleemosynas, quæ solū à M.P. *Pœna periurii.*

impo-

imponuntur ijs, qui scienter petunt, & obtinent à Sede Apostolica dispensationem tacita copula, quæ inter eos priùs præcesserat, prout ex sequenti formula apparebit.

Animaduertat exequutor, quod in imponenda huiusmodi pœnitentia, procedere debet cum aliqua lenitate, quia nostri Latores præsertim fuerunt interrogati contra æquitatem iuris, Iudex enim inquirere nequit, nisi infamia præcedat. *c. inquisitionis*, 21. §. 1. *cap. qualiter*, *& quando*, 24. *vbi gloss. de accusat.* Necnon contra mentem Summi Pontificis, & contra fines mădati, delatū iuramentū super copula, de qua neque directè, neque indirectè fit mentio in Bullis: ad delegatum enim Iudicem non spectat cognitio rei, de qua in rescripto nulla habetur mentio. *c. cum olim*, 32. *& cap. venerabili fratri*, 37. *de officio, & potest. iud. deleg.*

Inquisitio fieri non debet, absque præcedente infamia.

Non placet limitatio *Innocentij in cap.* 1. *de postulat. prælat. nu.* 5. quod Iudex non possit interrogare de occulto absque præcedente infamia, quando procedit ad puniendum, secus esse, quando solùm procedit ad euitandum peccatum; prout dicit esse in casu nostro, in quo interrogantur, ne nulliter, & cum peccato contrahant matrimonium ob tacitam copulam. Non placet, inquam, quia per huiusmodi interrogationem non solum non euitatur peccatum, sed probabilior plurium peccatorū occasio præbetur; nam experientia docet, quod non solum isti dispensandi peierant ob naturalem erubescentiam, negando copulam, sed etiam, ne periuri habeantur, & ne cogantur facere nouas expensas pro noua dispensatione desuper obtinenda in foro externo, de facto contrahunt matrimonium; atque ita colligitur ex huiusmodi interrogatione non euitari, sed multiplicari peccata.

Limitat Innocētius quādo procedatur ad puniendū.


Opportunius esse censeo prædictam interrogationem contrahentium, Confessori relinquendam, qui facilius poterit consulere illorum saluti animarum, & matrimonij validitati, per dispensationem occultam à Sacra Pœnitentiaria obtinendam; & ideò remissius hìc agendum quoad pœnitentiam periurij, & eo maximè quia deest verbum illud, *graui pœnitentia*, quod in aliquibus ex præcedentibus formulis M. P. solet apponere.

Pro Oratoribus, qui scientes se quarto consanguinitatis

gradu esse coniunctos, se carnaliter cognouerunt, ac postmodum volentes insimul matrimonium contrahere, dispẽsationem super impedimento dicti quarti gradus obtinuerunt, nulla facta mentione carnalis cognitionis huiusmodi; cuius dispensationis vigore postea matrimonium contraxerunt, & successiue consummarunt; Litteræ conficiũtur, vt in præcedenti: solum additur onus faciendi eleemosynam.

Quænam debeat esse ista eleemosyna, nemo melius determinare poterit, quam ipse exequutor, cum ex qualitate pœnitentium pendeat qualitas eleemosynæ. Attamen non prętermittam insinuare, conformandam quidem eam esse qualitati personæ, cui iniungenda est, verum etiam mensurandam, licet non in totum, sed in partem, aliquãdo etiam in totum, cum expensis, quæ factæ fuissent in Dataria, & Cancellaria, si copula in litteris prędictę dispẽsationis narrata fuisset; hæc enim est mens Summi Pontificis, & Maioris Pœnitentiarij. Quod tamen solum intelligẽdum est de dispensationibus obtentis cum causa; secus enim dicendum de dispensationibus obtentis sine causa, harum enim taxæ excedunt multum expensas dispensationis cum copula.

Ditioribus ergo præscriberem, vt eleemosynis adæquarent eam summam, quam persoluissent, si copulam expressissent. Alijs verò inferioris conditionis dimidium expensarum condonarem. Pauperes demum ad quartam partem eleemosynis erogandam impellerem, computatis tamen in huiusmodi eleemosynis expensis factis in eorum dispensationibus expediendis.



Pro

Pro eo, qui viuente vxore matrimonium cum alia, quæ prioris matrimonij conscia erat, de facto contraxit, & consummauit; mortua verò prima vxore, neutro tamen eorum in eius mortem machinante, tam vir quàm mulier petunt absolui, & dispensari, vt in secundo dicto matrimonio remanere possint; Litteræ dispensationis, si concedantur, vt infra conficiuntur.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quod ipsi aliàs viuente Latoris vxore, matrimonium in facie Ecclesiæ inter se contraxerunt, & successiuè consummarunt, ambo conscij impedimenti ex primo matrimonio prouenientis: ad præsens verò cum dicta latoris vxor extremum vitæ suæ diem obierit, neutro tamen latorum in eius mortem machinante, ipsi cupiunt, in dicto suo matrimonio remanere. Cum autem, &c. sicut eadem petitio continebat, latores prædicti propter huiusmodi impedimentum in matrimonio sic contracto nequeant remanere absque Sedis Apostolicæ dispensatione: ad euitanda scandala, quæ, si diuortium inter eos fieret, exoritura essent, ac pro suæ conscientiæ quiete cupiant à præmissis, quæ occulta sunt, & de quibus plurimum dolent, absolui, secumq; desuper dispensari. Quare, &c. quatenus si est ita, dictos latores, audita prius eorum sacramentali Confessione, à quibusuis senten. censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, adulterio, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta. Iniuncta, &c. iniungen. &c. Demum, dummodo præmissa sint occulta, & aliud canonicum non obstet, cum eisdem Oratoribus de nullitate prioris consensus certioratis, quod præmissis non obstan. matrimonium inter se de nouo secretè, ad vitanda, &c. Prout in præcedentibus, formulis, Neutro Machinante, &c.

Viuen-

Viuente, &c. Quia coniugatus viuente sua vxore, non solum nequit de iure cum alia muliere matrimonium cōtrahere, sed si de facto audeat contrahere, nulliter contrahit. *c.* 1. *vbi Panorm. cum seq. de spons. duorum, & cap.* 1. *de eo qui duxit in matrim. quam polluit, &c.* ac insimul perpetuo inhabilis remanet ad illud recontrahendum post suæ legitimæ coniugis obitum, si carnali copula consummet. *c.* 2. *de sponsa duorum, vbi Panor. n.* 1. *c.* 2. *& c. fin. de eo qui duxit in matrim. quam poll. per adult. vbi Panorm. n.* 1. *c. ex litterarum,* 4. *vbi etiam Panorm. n.* 1. *eodem tit.* Ideò egent desuper secum dispensari.

Formula ista est eadem cū præcedenti, Neutro machināte de contracto; ac propterea ad ea, quæ ibi dixi, remitto Exequutorem.

Si autem alter coniugum contrahens secundum matrimonium, ignoret primū matrimonium, vel adhuc superstitem esse illius maritum, vel vxorem; tali casu M.P. authoritas requisita procedit per viā declarationis, concedēdo litteras declaratorias, quibus declaret ob bonam alterius cōiugis fidem non opus esse aliqua dispensatione; & litteræ expediuntur prout supra in Declaratoria cōpaternitatis, quia fuit per Sacros Canones consultum indemnitati inscij coniugis, eiusque bonæ fidei ad remanendum in secundo prædicto matrimonio post obitum prædicti primi cōiugis. *c.* 1. *vbi Panor. n.* 1. *de eo qui duxit in matrim. quam poll.* ne ex dolo lucrum reportetur.

Contrahens cū coniugato bona fide non eget dispensatione ad recōtrahendum.

Quod tamen sano modo intelligendum est, non quia secundum matrimoniū incipiat esse matrimonium hoc est, fiat validum per subsequentē obitum coniugis primi matrimonij, sed quia scienter contrahens compellitur ad retinendum, id est ad recipiendū nouo matrimoniali consensu in coniugem legitimum eum, qui ignoranter prius contraxerat, vt bene notauit *glos. in d. c.* 1. *in verb. insciam. de eo qui duxit in matrim. quam poll.*

Si enim matrimonium eo ipso fieret validum per superuenientem mortem coniugis primo dicti matrimonij, separatio inter eos fieri non posset ad instantiam inscij contrahentis, vinculum enim coniugale semel inter fideles admissum, nunquam amittitur. *cap. quanto te. §. si vero, de diuortijs.* Et cum ex *d. c.* 1. fieri possit separatio ad preces inscij cōtrahentis, sequitur quod non sit conualidatum dictum matrimonium per superuiuentem obitum coniugis primo dicti matri-

matrimonij, sed solum quod si contrahens inscius velit, possit contrahens malæ fidei compelli ad recontrahendum cum illa in pœnam sui doli, & fraudis, etiamsi alias nollet: & hæc ne lucrum ex suo dolo reportet.

ABSOLVTIO

AB INCESTV CVM DISPENSATIONE.

Pro Oratoribus, qui cupientes inuicem matrimonialiter copulari, dispensationem super impedimento tertij consanguinitatis gradus, quo inuicem sunt cõiuncti, impetrari curarunt, & ante receptas litteras dispensationis huiusmodi se carnaliter cognouerunt, & postea illis receptis, & Ordinario præsentatis, ab ipso licentiam contrahendi matrimonium obtinuerunt, negata tamen medio iuramento dicta carnali copula, licet posteà illud non contraxerint.

FR. Antonrus Barberinus, &c. Quod ipsi aliàs cupientes insimul copulari matrimonialiter, ad Vrbem miserunt pro obtinenda dispensatione à Sede Apostolica, super impedimento tertij consanguinitatis gradu, quo inuicem sunt coniuncti, & interim ex fragilitate se carnaliter cognouerunt; litteris postmodum prædictæ dispensationis receptis, & Ordinario, cui directæ erant, præsentatis, carnalem copulam prædictã medio iuramento negarunt, atque ita ab illo habuerunt licentiam & facultatem contrahendi inter se matrimonium, quod tamen adhuc contrahere non sunt ausi. Cum autẽ, &c prædicta dispensatio ob carnalem copulam prædictam in litteris non expressam sit inualida, & nisi matrimonium inter latores sequatur, scandala inde sint exoritura, ad ea uitãda, ac pro sua conscientiæ quiete, cupiunt latores à premissis, quæ occulta sunt, & de quibus plurimum dolent, absolui, secum-

secumque desuper dispensari. Quare, &c. quatenus si est ita, dictos latores, audita prius eorum sacramentali Confessione, ab incestu, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. iniuncta, &c. Demum, dummodo impedimentum ex incestuosa cognitione prædicta proueniens, occultum sit, & alias rite, ac iuxta formam litterarum prædictarum cum ipsis latoribus super impedimento tertij consanguinitatis gradus huiusmodi dispensatum fuerit, aliudque canonicum non obstet; cum eisdem latoribus, quòd præmissis non obstantibus, matrimonium inter se publice, seruata forma Concilij Tridentini, & dictarum litterarum, contrahere, & in eo postmodum remanere licite valeant, misericorditer dispenses, prolem, &c. Reliqua prout in Compaternitate de contrahendo.

Incestus semper impedit.

Ex fragilitate, &c. Siue ex malitia, hoc est, siue ex habitu vitioso, vel ex actuali, & voluntaria mali electione, siue ex fragilitate proueniat incestus, semper est impedimētum. *cap.* 1. *& cap. transmissa*, 4. *de eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ.*

Nisi proueniat ex ignorantia parentelæ.

Secus vero est si proueniat ex ignorantia, & ex nescientia parentelæ. *cap. in lectum, cap. si quis cum duabus, cap. si quis cum matre, vbi gloss.* 34. *quæst.* 1. *& cap.* 1. *vbi glossa in verbo, scienter, de eo qui cognouit consanguineam vxor. suæ*: tali enim casu sentiunt DD. ex copula oriri quidem affinitatem, *vt in cap. discretionem*, 6. *de eo qui cognouit consang. &c.* non tamen esse punibilem respectu ignorantis: vnde iste ignorans non priuatur facultate exigēdi debitum, nec inhabilitatur ad contrahendum matrimonium *Pan. in d. c.* 1. *de eo qui cognouit consang. n.* 20.

Ignorantia excusat a pœna.

Ignorantia enim excusat ab incursu pœnæ. *cap. Apostolicæ*, 9. *vbi glossa in verbo, probabilis, de clerico excom. vel deposito ministrante, cap. si vero*, 4. *de sent. excom.* cùm nemo sine culpa puniri debeat. *cap.* 2. *de constitut. & cap. non est sine culpa*, 19. *de regul. iuris in* 6.

nisi

Litteris postmodum, &c. Dispensatio non suffragatur; nisi litterę desuper conficiantur, vt *S. M. Paulus V. in suis regulis Cancellariæ reg. 51. declarauit.*

Quod tamen intelligendũ est, nisi expresse in supplicatione ponatur, & a S. Pontifice concedatur, vt sola signatura sufficiat, prout fit in dispensationibus matrimonialibus pro Gallis.

Scandala inde, &c. Quod scandala exoritura sint, nisi matrimonium iuxta obtentam dispensationem contrahatur, tam euidens est, vt in illis inuestigandis exequutorem laborare minime necesse sit: quæ enim ratio tam efficax occurrere potest, vt abstinentes ab huiusmodi matrimonio exequendo excuset, & impediat, ne eorum fama denigretur, cum sint tractatus conclusi, pacta matrimonialia licite admissa, & impedimenta, quæ non latebant, iam per publicam dispensationem sublata? Remanet solum suspicio, vel de mulieris honestate, vel de vtriusque familiæ aliqua occulta nota recenter detecta; & cum hęc sint per se scandala, vt in prima matrimoniali formula, in verbo, *scandalorum*, probauimus, ideo exequutor poterit, absque vllo scrupulo, immo securo pede procedere.

Et dictarum litterarũ, &c. Cum in foro publico, & externo, matrimonium contrahendum sit, propterea forma publicæ, & externæ dispensationis omnino seruanda est. Licet enim litteræ dispensationis huiusmodi sint in se subreptitiæ, & consequenter quicquid illarum vigore per Ordinariũ actum fuit, sit nullum etiam in se, attamen standum illis donec contrarium detegatur in eodem foro. *arg. c. sicut, 16. de re iudic. & c. in præsentia, 6. de renuntiatione.* Sed quia reluctante consciẽtia nihil agendum est. *cap. inquisitioni, 44. de sent. excom. cap. per tuas, 35. de simon.* ideo ne contra iudicium conscientiæ committatur offensa, per secretam M. P. dispensationem consulitur occulto conscientiæ impedimento. *Contra conscientiam nihil agendum.*

Reliqua prout in præcedentibus formulis.

DE

DE CONTRACTO IN QVARTO AFFINITATIS.

Pro Oratoribus, qui ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus possent insimul copulari matrimonialiter, factis proclamationibus, nulloque reperto impedimento, matrimonium inter se contraxerunt, & consummarunt, & in eo per aliquot annos permanserunt; postmodum vero repererunt se quarto affinitatis gradu inuicem attinere, & nihilominus a carnali copula minime abstinuerunt; Litteræ M. P. vt infra expediuntur.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quod ipsi aliàs ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus possent insimul copulari matrimonialiter, factis proclamationibus, & seruata forma Concilij Tridentini, nulloque reperto impedimento, matrimonium inter se contraxerunt, & successiue consummarunt: postmodum vero reperientes inter eos quarti affinitatis gradus impedimentum existere, in carnali copula perseuerarunt. Cum autem, &c. latores prædicti, propter huiusmodi impedimetum, quod occultum est, in dicto matrimonio remanere nequeant absque Sedis Apostolicæ dispensatione, ad euitanda scandala, quæ, si diuortium inter eos fieret, exoritura essent, ac pro suæ conscientiæ quiete, cupiant a præmissis, de quibus plurimum dolent, absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. quatenus si est ita, dictos latores, audita prius eorum sacramentali Confessione, a quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet

bet incurerint, incestu, & excessibus huiusmodi absolutum hac vice, &c. iniuncta, &c. iniungenda, &c. Demum dummodo impedimentum ex quarto affinitatis gradu huiusmodi proueniens occultum sit, & aliud non obstet canonicum, cum eisdem latoribus, quod præmissis non obstantibus matrimonium inter se de nouo secrete ad vitanda scandala contrahere, &c. prout in præcedentibus formulis.

Ignorantes, &c. Ignorantia excusat à culpa, & à pœna, & consequenter matrimonium sustinetur tam in foro externo, quàm in foro conscientiæ, & proles inde proueniens omnino legitima, etiam post detectum impedimẽtum reputatur in vtroque foro, prout in præcedentibus formulis probauimus.

A quibusuis senten. &c. Perseuerantia in carnali commercio post habitam impedimenti notitiam effecit, vt latores incurrerint in censuras Clementinæ vnicæ de *consanguinitate, & affinitate*, quia per copulam istam scienter habitam præsumitur de nouo contrahi matrimonium, quod alias sciebatur esse nullum: sponsalia enim de futuro per subsequentem copulam olim præsumebantur transire in matrimonium de præsenti. *cap. veniens*, 15. *de sponsal. & matrim.* & matrimonium nullum ab initio, per cohabitationem spontaneam conualescebat. *c. ad id* 21. *de sposal. & matrimon.* & ideò latores quantũ in se est, de nouo contraxerũt cum mala fide.

Iniuncta, &c. Ieiunium iniungerem pro pœnitentia in hoc præsertim casu, quia carnis petulantia maceratione eiusdem cohibenda est, & in eo quis puniendus sit, in quo deliquit. *c. litteras*, 13. §. *fin. de tempor. ordin. c. postulasti*, 7. *de cleric. excomm. l. qui crimen*. 3. *C. qui accusare non possunt*. & tot ad ieiunandum dies præscriberem, quot fuerunt recidiua commercia carnalia; nisi tamen latorum corporalis infirmitas, vel paupertas aliud suaderent.

Demum, dummodo impedimentum ex quarto affinitatis gradu, &c. Huiusmodi gradus cũ proueniãt ex actu publico, id est ex matrimonio, *c. quod super his* 5. *de consangin. & affinit.* sunt

de

de natura sua publici, & proptereà inuigilare maxime debet Exequutor ad inuestigandum, an secretum sit impedimentum allegatum, & quomodo sit secretum; seruãdo tamen leges fori conscientiæ, vt superius diximus. Examinare igitur poterit latores præsentium de origine, loco, & tempore contractæ affinitatis huiusmodi: An adhuc viuant prædictæ suæ affinitatis Auctores: si enim adhuc viuunt, difficillime erit occultum istud impedimentum, cum, quod præ oculis habetur, difficillimè ab hominum memoria excludatur, atque occultetur. An in eodem loco cum illis cohabitent latores; Etenim si latores non habitēt in eadem ciuitate, vel loco, in quo Auctores prædictæ affinitatis commorantur, probabilius existimari potest occultum esse impedimentum, cum loci diuersitas, & distantia occultet, quod alibi est publicum, vt bene aduertit *Hostiens. in sum. tit. de cohabitat. cleric. & mulierum*. Si dicti Auctores obierint, à quanto tempore obierint: quia, si iam diu obierunt, potuit fieri tractu temporis occultum, quod à sui origine erat publicum, *cap. longinquitate, 12. quæst. 2. l. præstat, 2. C. de longi tempor. præscipt. quæ pro liber.* Quomodo latores venerint in cognitionem dicti impedimenti, an occulte, vel publicè; an ab vno, vel pluribus admoniti fuerint: si ab vno, non officit, cum dictum vnius sit nullius. *c. cum dilecti, 18. in fine, de accusat. l. iusiurandi, 9. C. de testib.* Si à pluribus; an illi sufficientes rationes adduxerint; an præcisos gradus, & personas, propriaque nomina, vel æquipollentibus indicijs designauerint: non enim sufficit, si allegant se ita audiuisse, quia testis de auditu non facit fidem, præcipuè in causa matrimoniali. *c. tua nos, 7. de consanguinit. & affinit.* Sed debēt sufficientes rationes, & demõstrationes afferre, vt præscribitur in prædicto *c. tua nos*; aliàs eorum dicta non tenent.

Loci diuersitas, & distantia occultant aliàs publicum.

Testis de auditu non facit fidem in causa matrimoniali.

Hæc bene perpendere debet exequutor, ne ex dispensatore fiat dissipator, & propriæ, & aliarum animarum.

Reliqua vide in prima matrimoniali formula, *de contracto*.



DE

DE RATO NON CONSVMMATO.

Pro Oratoribus, videlicet, postquam Oratrix matrimonium cum quodam iuuene contraxerat, nulla habita cum eo carnali copula, cum Oratore præmissorum ignaro de nouo contraxit matrimonium, ex quo filiam suscepit. Separato postmodum thoro, & incerto, vbi primus dictus iuuenis reperiatur, cum Oratores separari nequeant, & Orator non possit aliò se transferre ob paupertatem, & adultæ filiæ periculum, nec vlterius absque euidenti incontinentiæ periculo valeant insimul habitare, petunt absolui, & dispensari.

Quamuis dispensatio huiusmodi non concedatur, fuit tamen posita hæc formula, sub qua, si Sanctissimus annuerit, litteræ expediri possent.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quod aliàs latrix in facie Ecclesiæ matrimonium contraxit cum quodam iuuene, sed antequam illud carnali copula consummaret, matrimonium de nouo cum latore præmissorum ignaro contraxit in facie Ecclesiæ, & successiuè consummauit, filiamque ex eo suscepit. Cum autem, &c. ignoretur, vbi primo dictus iuuenis reperiatur, & primo dictum matrimonium remaneat occultum, & latores publicè habeantur pro legitimis coniugibus, ac propterea ab inuicem separari nequeant absque scandalo; & lator ob suam paupertatem, & adultæ filiæ periculum, non possit aliò se trans-

transferre, & vlterius in separatione thori perseuerare; idcirco pro sua conscientia quiete cupiunt ambo a præmissis, de quibus plurimum dolent, per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. Nos *igitur, qui Pænitentiariæ Domini Papæ curam gerimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, Auctoritate Apostolica specialiter, & expressè, præuia consultatione nobis concessa, discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictam latricem, audita prius eius Sacramentali Confessione, a quibusuis sententijs, censuris, & pænis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. iniuncta inde ei pro modo culpæ graui, & longa pænitentia salutari, & alijs, &c. iniungen, &c. Et nihilominus, si primo dictum matrimonium occultum sit, latores vero seruatis seruandis matrimonium inter se publicè contraxerint, ita vt publice habeantur pro veris coniugibus, & sine graui scandalo separari nequeant, nec alia ratio obuiandi scandalis aptior, & opportunior inueniatur (super quo tua conscientia oneretur) aliudque canonicum non obstet, matrimonium primo contractum dissoluas eadem auctoritate, ac cum eisdem latoribus, quod præmissis non obstantibus, matrimonium inter se de nouo secrete ad euitanda scandala contrahere, & in eo postmodum remanere, &c.* Prout in præcedenti formula.

Matrimoniũ de nouo, &c. Primum matrimonium licet non sit carnali copula consummatum, non dissoluitur per secundo dictum matrimonium, etiam carnali copula consummatum. *capitul. licet, 3. & capitul. fin. de sponsa duorum. capitul. si inter, 31. de spons. & matrimonium vbi Panor. Antonius de Butrio & alij communiter*; & ideo latrix deberet relicto secundo viro

viro, ad primum suum coniugem redire.

Auctoritate Apostolica, &c. D. Papa potest primum matrimonium ratum, & non consummatum, ex magna, & iusta causa dissoluere, & dispensare super secundo matrimonio nulliter contracto, sed carnali copula consummato, ad licitè remanendum in eo. *Panor in cap. 1. num. 5. de sponsduorum, & ibi etiam Hostiens. glossa in c. ex publico, 7. in verbo, restituat, de conuers. coniugat. Syluest. in verbo, diuortium, num. 7. in fine. Armilla in verbo, dispensare, num. 8. Nauarr. in sum. cap. 22. num. 21. & alij quamplurimi. & Nauarr. & Armilla locis supra citatis affirmant Martinum Quintum, Eugenium Quartum, Paulum Tertium, & Pium Quartum, per suas dispensationes dissoluisse nonnulla matrimonia contracta, nondum consummata, in remedium animarum alias probabiliter periturarum.*

Papa potest matrimonium ratum, & non consummatum dissoluere.

Ratio autem est, quia matrimonium nondum consummatum, cùm significet coniunctionem spiritualem Christi, & Animæ, quæ solubilis est, ideò dissoluitur per ingressum Religionis. ita *Sanctus Thomas in 4. sentent. dist. 27. quæst. 1. art. 3. quodlibeto 1. in responsione ad primum*; quæ solubilitas prouenit ex eo, quod matrimonium contractum, & non consummatum, non est quid perfectum; & propterea non habet omnimodam indissolubilitatem, *vt ait Sanctus Thomas loco cit. in responsione ad tertium.*

Dictam latricem, &c. Non eget absolutione lator, quia culpa caret, cùm bona fide, & ignarus primi matrimonij, contraxerit secundum, & insuper habita illius notitia, ad separationem thori deuenerit: culpa enim suos debet tenere auctores. *l. sancimus, 22. C. de pœnis. Farin. in sua praxi criminal. part. 1. q. 23. num. 1.* & vbi non est culpa, ibi non est delictum. *cap. cum voluntate, 54. de sententia excommun.* & vbi non est delictum, ibi nec pœna esse potest. *l. si putator, 31 ff. ad leg. Aquil. capitul. sine culpa, 23. de reg. iuris in 6.* Vbi autem non est pœna, neque opus est absolutione; & ideo solum est absoluenda latrix sceleris auctor.

Pænitentia, &c. Peculiaris istius delicti pœnitentia est ieiunium in pane, & aqua. *cap. accepisti, 2. vbi Panorm.*

num. 4. de sponsa duarum.

Et longa, &c. Ad septem annos durare deberet ista pœnitentia, & primi quadraginta dies seruandi essent in pane, & aqua, & postea semel, vel pluries in qualibet hebdomada, simile ieiunium continuandum, vt bene aduertit *Panor. loco cit.*

Moderari tamen hodie omnes canones pœnitentiales, & pœnitentiæ, quoad qualitatem, & diuturnitatem, arbitrio Sacerdotum possunt, *cap. significauit, 3. de pœnitentia, & remissione, & cap. tempora, 26. quæst. 7.* & præsertim in casu nostro, in quo M. Pœnitentiarius disponit simpliciter de pœnitentia, & eius diuturnitate; & ideo secundum ius commune restringenda, & amplianda, quia omnis dispositio simpliciter prolata, intelligitur, & ampliatur, ac restringitur secundùm ius commune, vt bene notauit *Cardinalis Tuschus in suo Tomo 2. litt. D. concl. 501. & Barbos. in leg. 1. ff. soluto matrimonio.*

Dispositio simpliciter prolata intelligitur secundum ius commune.

Et nihilominus, &c. Cum ista dispensatio sub quadruplici conditione concedatur, debent prius conditiones verificari, antequam habeat illa locum; actus enim conditionalis non valet nisi existente conditione. *l. si quis sub conditione, 8. ff. si quis omissa causa test. l. cedere diem, 213. ff. de verborum signific.*

Prima conditio est, vt matrimonium primo contractum sit occultum; si enim publicum, frustra petitur à Sacræ Pœnitentiariæ Officio dispensatio, vt supra diximus. Quomodo autem possit esse occultum primum matrimonium, quod, vt præsupponitur, fuit publicè in facie Ecclesiæ contractum; si enim fuisset clandestine, & non in facie Ecclesiæ contractum, non egerent latores dispensatione; quia iam sunt a Sacro Concilio Tridentino damnata matrimonia clandestina, ac propterea de sui natura hodie sunt inualida, & nulla, vt supra in principio istius nostræ Partis probatum fuit; poterit determinare prudentia executoris: vel ex diuersitate locorum celebrati matrimonij, & latorum præsentis habitationis: vel ex diuturna primi coniugis a loco absentia, aut ex prætenso eius obitu; & precipue si ille non sit conciuis, sed extraneus, nec habeat in dicto loco consanguineos, vel affines, qui non solent ita facile obliuisci publicarum rerum suorum coniunctorum:

vel

vel ex morte Parochi, qui interfuit dicto matrimonio, vel ex amissione libri, in quo fuit illud adnotatum, vel ex absentia sine spe reditus Parochi, & testium, qui primo dicto matrimonio interfuerunt.

Latores vero, &c. Secunda conditio est, vt latores contraxerint secundo dictum matrimonium in facie Ecclesiæ, factis proclamationibus, & seruata forma Concilij Tridentini; si secus contraxerunt, non solum debent priuari beneficio huius dispensationis, verum etiam puniri, vt concubinarij.

Publice, &c. Si publicæ proclamationes inter Missarum solemnia omissæ fuerint de Ordinarij licentia, non propterea existimo gratiam dispensationis huiusmodi esse nullam; quia cum M. P. non limitauerit ad prædictam publicitatem, nec nos limitare debemus: & eo magis, quia Concilium Tridentinum pro validitate matrimonij ad illã non se restringit, *sess. 24. c. 1. de reform. matrim.* Satis est, quod in facie Ecclesiæ coram Parocho, & testibus contraxerint, & hoc est publice contrahi matrimonium.

Ita vt publice, &c. Cum dictio, *ita vt*, sit declaratiua præcedentium. *l. 2. ff. de ijs qui sunt sui, vel alieni iuris*; propterea exequutor animaduertere debet, an stante, quod matrimonium istud fuerit cõtractum seruatis forma, & modo a Concilio Tridentino præscriptis, ipsi latores habeantur communiter pro legitimis coniugibus, nec ne. Non est autem opus interrogare singulos ex conterraneis, & incolis, sed sufficit, vt aliquid in contrarium non sciatur; nã ad latorum fauorem est præsumptio, quod matrimonium reputetur legitimum, & validum, cum fuerit contractum seruata forma legis.

Pro veris coniugibus, &c. Quid dicẽdum si ab aliquibus dubitaretur, an latores essent veri coniuges? Respõdeo, cum dubium sit, cõtrariarum rationum æqualitas, *secundum S. Thomã in 3. dist. 27.* & melior sit conditio possidentis. *l. si debitor, 10. ff. de pignoribus, cap. nulli dubium, 12. q. 5. Panor. in c. cum super, 4. de causa poss. & proprietatis*; idcirco latores in dubio habẽdos esse pro veris cõiugibus: quilibet enim debet manuteneri in sua possessione, vel quasi possessione. *c. consultationibus, 19. de iure* *Quilibet in sua possessione manutenendus.*

X 3 pa-

patron. c.2. vt lite pend. cap. 3. de probat. Et hæc est tertia conditio.

Et sine graui, &c. Quarta conditio est, vt latores separari ab inuicem nequeant sine graui scandalo: si enim facillimè separari possunt, vel sub prætextu rationabilis discessus a loco, vel voluntariæ conuersionis vnius coniugis ad Religionis habitum sumendũ de consensu alterius coniugis absque periculo incontinentiæ in seculo remanentis; vel sub prætextu se alieno seruitio dicandi ad victum sibi comparandum; vel sub quocumque alio minus dispendioso, & rationabili prætextu; separari omnino debent. Sed quia hæc facilius mente quam opere exequutioni demandari possunt, ideò exequutor si præmissas alias conditiones veras esse repererit, hanc etiam veram esse ducat, cum a præcedentium subsistentia totam vim suam hæc recipiat, & vt earum necessarius effectus subsequatur.

Nec alia ratio, &c. Sunt verba declaratoria præcedentis vltimæ conditionis. Cum enim dictio, *nec*, copulet, & continuet præcedens dictum. *l. nec quicquam, §. ff. de officio Proconf. Cardin. Tusch. pract. conclus. litt. D. conclus. 312. num. 1.* M.P. volens dispensationem huiusmodi non suffragari, si aliquo modo ista fieri possit separatio absque eo, quod inde grauia exoritura sint scandala, vtitur hac dictione, *nec*, quæ etiam est implicatiua casus contrarij ad expressum. *l. milites ita, 42. §. mulier, ff. de milit. testament. l. nec auus, 4. vbi glossa, C. de emancip. liberorum.* & immediate subdit, quod alia ratio obuiandi scandalis ex separatione huiusmodi exorituris non inueniatur, adeo vt si inueniatur, dispensatio non suffragetur.

Dictio, nec, copulat, & continuat præcedens dictũ.

Et implicat casum contrarium.

Aptior, &c. Id est, habilis, facilis, & licita ad repellenda scandala; has enim tres qualitates inducit verbum istud *aptior*: Habilis, hoc est habens in se talem virtutem cohonestandi separationem huiusmodi, vt, si fiat, omnes eam approbare debeant, vel saltem eam reprobare nequeant. Facilis: si enim est valde difficilis, non est ratio apta, quia habetur pro impossibili, cum difficultas magna æquiparetur impossibilitati. *leg. nepos Procul. 125. ff. de verb. signification. leg. si seruus,*

Aptior, quas includat qualitates necessarias.

nus, 22. *ff. de noxal. leg. diuortio*, 37. *ff. de negot. gest. l. apud Iulianum*, 40. §. *constat ff. de legat.* 1. *Bald. cons.* 101. *lib.* 1. Licita: si enim est illicita non est apta ratio, quia non sunt facienda mala, vt eueniat bona. *c. non est putanda*, 1. *q.* 1. *c. forte*, 14. *q.* 5. *c. super eo*, 4. *de vsuris, c. si dicat*, 33. *quaest.* 5. *c. non magnopere*, 3. *ne clerici, vel monachi. c. sic non sunt*, 32. *q.* 4. Opportunior, &c. id est, conueniens, & commoda ratio loco, & tẽpori, & personis.

Aduertendum est, quod comparatiuum stat hic pro positiuo; alias non solum non declararet praecedentem vltimam conditionem, sed potius eam destrueret; si enim praedicta verba, *aptior, & opportunior*, intelligenda essent in suo sensu, & significatu cõparatiuo, negare quis auderet, quòd alia non daretur ratio, qua separatio inter latores fieri posset sine scandalo, quia comparatio non fit nisi inter duas, vel plures res distinctas. *Ias. in l. iubere*, 4. *num.* 15. *ff. de iurisd. omn. iudic.* Et si datur alia ratio, qua posit obuiari scandalis praeter nouam istius matrimonij celebrationem, destruitur praedicta conditio à M. P. pro huiusmodi dispensatione necessariò requisita, cùm nunquam esset verificãdũ separationẽ huiusmodi sine scandalis non posse fieri, immò contrarium verificaretur, id est, separationem fieri posse sine scandalis, quia alia praesumitur dari ratio, qua obuietur scandalis: quod tamen nullo modo admittendum esse aperte dignoscitur ex praemissis. Nec est inusitatus hic loquendi modus, vt comparatiuum ponatur pro positiuo. *l. benignius*, 18. *ff. de legibus, vbi glosa, l.* 1. *vbi glos. C. de dolo malo. glos. in cap. quoniam*, 3. *in verbo, qui maioribus, de iure patronat. & in c. vilissimus*, 1. *q.* 1. *Oldrad. in l. cum pater*, 79. §. *libertis, ff. de leg.* 2.

Comparatio non fit nisi inter res distinctas.

Comparatiuũ aliquando ponitur pro positiuo.

Super quo tuam, &c. Haec clausula denotat admonitionem. *Stephan. Gratian. Marchiae decis.* 153. *num.* 9. *Nauar. lib.* 1. *cons. de offic. Iud. deleg. cons.* 6. Operaturque, vt censeatur huiusmodi dispensationis negotium remissum arbitrio boni viri. *c. non solum, de regularibus, in* 6. *Marches. de commiss. part.* 1. *cap.* 6. *de commissio. appellat. extra Roman. cur. nu.* 85. *Mascar. de probat. concl.* 414. Et ideò per hanc clausulam admonetur exequutor, vt delegationem suam bene, & mature perpendat, & exequatur, ne alijs indulgendo, noceat grauiter sibi. Et licet haec admonitio

Onerãmus conscientiã tuam, *est clausula admonitoria.*

nitio subintelligatur in omnibus alijs formulis, attamen in hac expresse ponitur ob grauitatẽ materiæ, & præiudicium tertij, cui per istam dispensationem infertur, id est primo dicto viro latricis.

Dissoluas, &c. Dissoluitur, quod factum fuerat. *c. ad dissoluendum*, 13. *de desponsat. impuberum*: per quam dissolutionem latrix soluitur à ligamine primi matrimonij, & suæ libertati restituitur, adeò vt alteri, id est latori nubere licitè posſit; non autem cuicumque alij viro sibi bene viso; quia hæc dispensatio fit tantum ratione scandalorum, quæ exoritura essent ex fatorum separatione: quæ ratio cessat, si latrix alteri viro nubere posset. Præmittenda omninò est prius hæc matrimonij dissolutio, ne videatur dispensare cum muliere vni actualiter nupta, vt alteri nubat.

Pro matrimonio huiusmodi dissoluẽdo, cum nulla verba sint præcipuè determinata, poterit Exequutor quibusuis verbis vti, quæ significatiua sint huiusmodi dissolutionis, videlicet, *absoluo, libero, in pristinam tui corporis libertatem restituo*, & similibus, prout sibi libuerit.

Ac cum eisdem, &c. Sequentes clausulæ nihil differunt à clausulis præcedentium formularum; & ideò eodem modo exequutioni demandandæ sunt. Quoad prolis legitimationem, vide quæ diximus in prima huius secũdæ Partis formula, in clausula, *In foro conscientiæ*, vers. *sed hæ clausulæ*; vbi probatur, quòd proles sit legitima, quando est in bona alterius coniugis fide concepta.



A B

ABSOLVTIO

AB INCESTV CVM DISPENSATIONE.

Pro eo qui cognouit matrem, & filiam, & intendit matrimonium contrahere cum extranea, nullo sibi iure prohibita;;Litteræ absolutionis, & dispensationis, fiunt vt infrà.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quatenus si est ita, dictũ latorẽ, audita prius eius sacramentali Confessione, à quibusuis senten. censuris & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, incestu, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. iniuncta inde, ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, & alijs, &c. iniung. &c. cum eodem latore, vt dicto incestu non obstante, cum aliqua alia muliere nullo alias sibi iure prohibita, matrimonium seruata forma Concilij Tridentini contrahere possit, misericorditer dispenses in foro conscientiæ, &c. vt in præcedenti formula.

In exequutione præsentium litterarum, quomodo se gerere debeat exequutor, collige ex ijs quæ in præcedentibus abunde demonstrauimus; nihil enim peculiare & diuersum ab ijs habet, & ideò superfluum esset prædicta hic repetere.

Incestuosus impeditur cõtrahere matrimonium cum qualibet persona. *c. si quis cum matre, 35. q. 2. c. 1. cum sequen. de eo qui cognouit consanguineam*; & ideò eget dispensatione.

Hæc pro nunc de Litteris Matrimonialibus huius Secundæ Partis.

Finis Secundæ Partis,

Praxis ad Litteras, & Bullas Maioris Pœnitentiarij.

PARS

PARS TERTIA
PRAXIS
AD LITTERAS
MAIORIS POENITENTIARII,
ET OFFICII S. POENITENTIARIÆ
APOSTOLICAE.

IN QVA DECLARANTVR CLAVSVLÆ Litterarum Abſolutionum, Diſpenſationum, & Rehabilitationum, quæ conceduntur pro foro Conſcientiæ, & traditur modus eas exequendi.

PRAXIS AD LITTERAS MAIORIS POENITENTIARII,

IN QVA AGITVR

De Formulis Absolutionum, Dispensationum, & Rehabilitationum, quæ in foro conscientiæ conceduntur.

PARS TERTIA.

CVM in hac Tertia Parte veniant explicandæ formulæ absolutionũ à censuris, & dispensationum super irregularitatibus, non à re alienum erit, breuiter aliquid præmittere de natura censurarũ, & irregularitatum, ne termini confundantur, & vnum pro alio accipiatur ab exequutoribus nostrarum formularũ, cum non modica animarum iactura. Ignorantia enim est errorum mater. *c. ignorantia*, 38. *dist. Panor. in cap. cum ex iuncto*, 12. *nu.* 1. *de Hereticis*.

Ignorantia errorum mater.

Censura dicitur à censendo. *l. censere*, 111. *ff. de verborum signif.* Est nomen genericum, comprehendens nonnullas sub se species, videlicet interdictum, suspensionem, & excõmunicationem. *c. querenti*, 20. *de verborum signific.*

Censurarum species.

Est *sententia Ecclesiastica pœnalis & medicinalis fori exterioris, prohibens vsum rerum spiritualium, vt à contumacia recedatur.*

Censura Ecclesiastica definitio.

Quòd sit sententia Ecclesiastica, constat ex *d. c. querenti*, &

ti, & cap. sacris, 38. de sentent. excommunic. c. 1. eod. tit. in 6. & c. transmissam, 15. de elect.

Quòd sit pœnalis, probatur ex *cap. nemo Episcoporum, 11. q. 3.* vbi dicitur, quod sit æternæ mortis damnatio.

Quòd sit medicinalis, probatur *ex c. 1. de sent. excomm. in 6. c. multi, 2. q. 1. c. audi, 11. q. 3. c. corripiantur & c. notandum, 24. q. 3.* vbi dicitur, quod ideò quis excommunicatur, vt spiritus saluus fiat.

Quòd sit fori exterioris, patet ex eius effectibus. Censura enim solū terminatur ad actus exteriores, quales sunt administratio, & participatio Sacramentorum, & mutuum hominum colloquium, & conuictus. *c. si quem, 59. de sent. excommun. c. excommunicatos, & seq. 11. q. 3.* Fideles enim in tribus communicant: Primò, in conuersatione, siue in actibus legitimis corporalibus, scilicet loquela, salutatione, cibo, &c. Secundò, in Sacramentorū susceptione, vt dum vnus suscipit, & alter ministrat, vel multi ad suscipiendum adunantur. Tertiò, in actibus legitimis spiritualibus, scilicet bonorum spiritualium participatione, quæ fit vel ratione intentionis, dum vnus pro alio orat, vel suffragium facit; vel ratione charitatis, quæ facit omnes esse vnum in Deo. *Syluest. verb. excommunicatio in princip.*

Quòd prohibeat vsum rerum spiritualium, patet *ex c. vlt. loco cit. & ex c. 2. & c. 3. de clerico excommunic. ministrante.*

Demum quod sit ad reducendos contumaces, apertè habetur *ex c. 1. de sent. excom. in 6. c. 2. de cleric. excommun. ministran. cap. nemo Episc. 11. q. 3. c. si quis, 17. q. 4. Panor. in c. ex parte, 23. n. 2. de verb. signif.*

Contumacia quid sit. Hic nota, quod contumacia est inobedientia, & contemptus erga Iudicem, vel Superiorem, cum quis tribus edictis, vel vno pro omnibus peremptorio citatus, præsentiam suam facere nequit. *l. contumacia, 53. ff. de re iudic.* vel veniens mādato non paret. *l. creditor, 28. §. iussus, ff. de appellation. Goffred. in sum. de dolo & contum. Specul. lib. 2. partic. 1. de contumacia, §. 1. Hostiens. in summ. num. 1. de dolo & contumacia. Bald. in c. auditis, 8. num. 2. de procurat.*

Contumaciæ culpa quot modis cōtrahatur. Contumaciæ culpa pluribus modis contrahitur. Primò, non veniendo quò aliàs citatus venire quis tenebatur. *c. 1. vbi glos. in verb. contumaciter, de dolo & contum. c. cum dilecti, 6. eod. tit.* Secundò, non respondendo, cum respondere debet. Tertiò, recedendo

à loco

à loco ante tempus. *can. certum*, 11. *q.* 3. *Bart. in l. consentaneum*, 8. *in fin. C. quomodo, & quando Iudex prof. sent. debet præsent. partib. Decius in c.* 1. *nu.* 43. *de iudicijs*. Quartò, latendo. *c. quoniam frequenter*, 5. *vt lite non contest.* Quintò, nõ restituendo quod restituẽdum est. *l. qui restituere*, 68. *ff. rei vendic.* Sextò, non emẽdando delictum. *d. c. ex parte de verborum signif.* Septimo, non exhibendo quod exhiberi mandatur, *d. l. creditor. ff. de appellat.*

Contumaces in triplici differentia sunt: vel euidens, & notorius: vel verus: vel fictus, & præsumptus. *Bald. c.* 1. *n.* 12. *vt lite non contest. Bart. in l. fin. n.* 10. *ff. de restit. in integr. Spec. lib.* 2. *partic.* 1. *§.* 1. *n.* 3. *de contumac. & alij communiter.*

Contumax euidens. Contumax euidens & notorius est, qui citatus, & inuẽtus dixit apertè se nolle venire: & in tali casu vna sufficit citatio, etiamsi in ea non fuerit præscriptus terminus peremptorius. *l. Fulcinius*, 7. *§. fin. ff. quibus ex caus. in possess. eatur. Ita DD. citati in loc. prædictis.*

Immò si coram Iudice, vel nuntio dicat se nunquam coram illo Iudice venturum, nõ est necesse vt præcedat citatio. *Clem.* 1. *vbi DD. de dolo, & contum.*

Contumax verus. Contumax verus est, qui citatus dixit se venturum; vel nihil dixit, sed postea non venit, licet non habuerit impedimentum, vel causam non veniendi. *l. ex cõsensu*, 23. *§. fin. ff. de appellat. l. & post edictum*, 73. *in fine. ff. de iudic. Bart. & DD. loc. cit.*

Ad hoc vt quis dicatur verus contumax, duo requirũtur: Primo, quod cognouerit se citatũ legitime, & satis est quod quocũque modo cognouerit. *l. item veniunt*, 22. *§. à quo, ff. de petit. hered.* Secundo, quod potuerit venire. *d. l. ex consensu*, *§. eum qui, vbi Bar. ff. de appell.*

Contumax præsumptus. Fictus, & præsumptus contumax est, qui solemniter citatus, & non inuentus nõ venit. *l. properandũ*, 12. *§. sin autem. C. de iudicijs, glos. in Clem.* 1. *verb. manifestè, de dolo, & contumac. Hostien. in sum. de contumacia. n.* 2. *Specul. & alij loc. cit.*

Eodemque modo præsumitur verus contumax, qui postquam dixit se nunquam venturum, attamen mutato proposito volebat venire, sed non potuit, vel aduersarij dolo impeditus, vel aliquo casu absq; sui culpa; & ideò poterit corã Iudice ad quẽ, probato impedimento, excludere prætensã contumaciam. *Bart. loc. cit. & in l. Diuus*, 8. *n.* 2. *ff. de restitut. in integrum.*

Secundò, nota quòd Sacramenta, diuina Officia, & Eccle-

Ecclesiastica sepultura, tripliciter considerari possunt. Primò; secundum se, prout sunt bona Ecclesiæ, & sic pertinent ad interdictum. *c. quod in te*, 11. *de pænit. & remiss. c. non est vobis*, 11. *de sponsal.* Secundò, prout sunt communia fidelibus, & sic pertinent ad excommunicationem. *c. si verò*, 4. *de sentent. excommun. c. nullo*, 8. *cap. ea noscitur*, 13. *c. cum non ab homine*, 14. *eod. titul.* Tertiò, prout sunt actus alicuius ordinis, vel officij, vel ad eos reducuntur, & sic pertinent ad suspensionem. *c. Presbyter*, 2. *q.* 5. *glos. in c. ad reprimēdam*, 8. *in verb. in canonibus, de offic. ordin.*

Ex quibus bonorum Ecclesiæ acceptionibus colligitur, quod licet depositio, vel degradatio non veniat nomine censuræ propriè sumptæ, *vt notat Panor. in c. querenti*, 20. *n.* 6. *de verb. signif.* attamen reducitur ad suspensionem, cum auferat vsum legitimum ordinum. *c. degradatio*, 2. *de pœnis in* 6.

De Excommunicatione.

Excommunicatio duplex. Duplex est excommunicatio, vna maior, altera minor: illa priuat participatione Sacramentorū, communione fidelium, & exercitio ordinum. *c. Engeltrudā*, 3. *q.* 4. *c. præsenti, vbi glos. in verb. communione*, 5. *q.* 2. *cap. à nobis*, 28. *de sent. excom.* Hæc autem priuat sola perceptione Sacramētorum, ac eorum, quæ sūt via ad Sacramēta percipienda: ideoque inhabilitat ad beneficia obtinenda, *c. si celebrat*, 10. *vbi Panor. n.* 3. *& Innocent. de cler. excommun. ministr. c. à nobis*, 2. *de except.*

Excommunicatio à iure. Subdiuiditur excommunicatio in *excommunicationem à iure*; & *excōmunicationem ab homine.* Illa inducitur per aliquem Canonē, Statutum, vel Constitutionem, & semper est generalis, & est contra omnes transgressores. *c. vt animarum*, 2. § *statuto, de constitut. in* 6. Et fertur pro futuris delictis. *glos. in c. Episcopi, verb. minimis & c. nemo*, 11. *q.* 3. *Panor. in rubr. de sentent. excommun. n.* 1. Hęc verò per aliquem Iudicem fertur, & aliquando est generalis, & aliquando particularis cōtra particularem personam. *Excommunicatio ab homine.* *c. Romana*, 5. §. *sed nec in specie, de sentent. excomm. in* 6. & quoad eius nouum, & futurum incursum, cessat cessante vita Iudicis, vel eo remoto ab officio. *argum. l. vlt. ff. de pœnis, glossa, in cap. à nobis*, 21. *in verbo, non nisi subditi, propè finem, de sentent. excommun.* Fertur solum ratione contumaciæ. *glos. & Panorm. locis citat.*

Vtra-

Excommunicatio comminatoria. Vtraque excommunicatio adhuc est duplex: vel est *comminatoria*, cum profertur per verba *de futuro*, videlicet *excommunicetur, præcipio sub pœna excommunicationis, sub interminatione excommunicationis, vel anathematis, sub excommunicatione, vel sub anathemate. glos. in c. si quis ex clericis, 4. ver. anathema, de vita, & honest. cler. & in c. vnico, in verb. sub anathemate de sagitt. & in c. 2. in verb. interminatione, de matrim. cõtract. cõtra interd. Ecclesiæ. gl. in l. in criminali, 5. verb. habeatur, C. de iurisdict. omn. iudic. Panorm. in c. in quibusdam, 12. n. 6. de pœnis.*

Excommunicatio ipso iure. Vel ex *ipso iure*, vel *ipso facto*, cùm profertur per verba de præterito, vel de præsenti, non expectantia actum Iudicis, videlicet *sit excommunicatus, habeatur pro excommunicato: subiaceat sententiæ excommunicationis: sciat se excommunicatum: ex nunc declaramus excommunicatum:* vel præcipit *sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ipso iure, ipso facto. cap. quicunque, 2. vbi glos. in verbo, innodetur, de hæreticis, lib. 6. c. cupiente, 16. §. cæterum, vbi glos. in verb. suspensos, de elect. in 6. c. 2. de testib. cog. glos. in reg. in pœnis 49. propè finem, de regul. iur. in 6. & in d. l. in criminali. Panorm. in c. si diligenti, 12. de foro compet.* & ideò ad incurrendam istam pœnam non requiritur ministerium Iudicis, vt benè adnotauit *Bart. in l. 1. n. 3. ff. de his, qui notant. infam.* nam eo ipso, quod quis facit aliquod prohibitum; ipsum ius profert sententiam: & hoc est, quod dicitur, *ipso facto*, id est propter factum; & illud idem dicitur *ipso iure*, scilicet sententiante, & statuente.

Excommunicatio maior non est sine peccato mortali. Excommunicatio maior nõ incurritur, sine peccato mortali. *c. 1. de sent. excom. c. nemo Episcoporum, & c. nullus sacerdotũ, 11. q. 3. & DD. cõmuniter.*

Excommunicatus excommunicatione maiori, non potest celebrare, & si celebrat fit irregularis, & nequit amplius exercere Diuina sine dispensatione, *c. 1. de sent excom. in 6. c. cum æterni, 1. de re iudic. in 6. & c. si quis Episcopus, cum sequen. 11. q. 3.*

Secus est dicendum de excommunicato excõmunicatione minori: hic enim si celebret, grauiter peccat, attamen non fit irregularis. *cap. si celebrat, 10. vbi Panor. n. 2. de cler. excom. min. & DD. cõmun.* Excõmunicatio enim minor non inducit suspensionem ordinum, vel officij, sed tantum priuat participatione Sacramentorum, *d. c. à nobis 28. de sent. excom. Panorm. loco cit.*

Y DE

DE SVSPENSIONE.

Quid sit Suspensio, & quotuplex sit.

PAnorm. *in dict. c. si celebrat, nu. 4. de cler. excom. min.* multiplices adducit acceptiones suspẽsiouis, eo quia quis multipliciter suspensus dicitur ab exercitio Ordinis, & beneficij Ecclesiasticorũ: Primò quoad se & Deum tantum, quando quis est constitutus in peccato mortali. *cap. quæsitum, 10. de cohabit. cleric. & mulier.* hic enim celebrãdo peccat mortaliter de nouo. *cap. quotidie, de consecrat. distin. 2. c. de homine, 7. de celebr. Missarum.* sed non fit irregularis, secundum omnes DD. quia in iure hoc non cauetur. *c. is qui, 18. de sent. excomm. in 6. d. c. si celebrat. de clerico excom. minist.*

Secundò, quoad alios tantum, vt de clericis peregrinis. *c. 1. & c. tuæ, 3. vbi gloss. in verb. in suspensione, de cleric. peregrinis.* Clericus enim peregrinus, licet quoad se nullum habeat canonicum impedimentum, non tamen permittitur in publico celebrare, donec de illius canonica ordinatione constet; sed si velit, toleratur, vt in secreto celebret. *d. c. tuæ,* & ideò celebrando non contrahit irregularitatem.

Tertiò quoad se, & quoad alios, vt cum quis vel per Iudicem, vel per canones suspẽditur ab exercitio ordinum, & hic celebrando fit irregularis. *c. 1. de sent. excom. in 6.* Et hæc vocatur maior, & propria suspensio, secũdum omnes DD. Et nomine suspensionis, hæc maior suspensio intelligitur. *arg. c. si quẽ, 59. de sent. excom.* *Suspensio propriè dicta.*

Maior hæc suspensio est cẽsura Ecclesiastica priuãs vsu, & exercitio ecclesiastici officij, seu beneficij, *c. 2. & c. Apostolicæ, 19. de cleric. excom. minist. gloss. in c. ad reprimendam, 8. in verb. in canonibus, de officio ordinarij, & in clement. cupientes, 3. de pœnis.* *Maioris suspensionis definitio.*

Suspensio priuat regulariter tantum ad tempus relaxationis, vsu officij, seu beneficij, vt vsus est, remanẽte titulo, & potestate. *d. c. Apostolicæ Sedis, de cleric. excom. ministr. gloss. in dict. clemen. cupientes in verb. nota nouam speciem suspensionis, de pœnis. Panorm. in c. at si clerici, 4. n. 7. de iudic.*

Et in hoc differt à degradatione, & depositione, quæ auferunt titulum, & etiam potestatem, quantum per humanam potestatem auferri potest, in perpetuum. *c. degradatio, 2. de pœnis in 6.* *Degradatio & depositio sunt perpetua.*

c. nouimus, 22. de verb. signif. Panorm. in dict. c. at si clerici, num. 7.

Dixi, *quantum per humanam potestatem auferri potest*, quia cum Ecclesia non possit auferre characterem semel impressum, aufert vsum eius legitimum in perpetuum, ac degradatum habet pro non promoto. *d. c. degradatio*. Et ideò Presbyter degradatus, & depositus, si audeat celebrare Missam, verè consecrat; sed grauissimè peccat. *Archidiac. in cap. quod sit in fine, de consecrat. dist. 2. Geminian. in dict. c. degradatio, §. poterit, in fine.*

Species suspensionum. Species suspensionum plures allegari solent, vt per *glos. in d. clemen. cupientes*: sed ad tres tantum species reduci possunt, videlicet ad suspensionem ab officio; & nomine officij intelligitur tam officium ordinis, quam iurisdictionis. Ad suspensionem à beneficio Ecclesiastico; & nomine beneficij Ecclesiastici intelliguntur Dignitates, Canonicatus, Beneficia siue curata, siue simplicia. Ad suspensionẽ ab vtroque, videlicet officio, & beneficio simul.

Cùm autem quodlibet officium habeat plures actus inter se differentes, videlicet Presbyteratus habet celebrationem Missæ, administrationem Sacramenti Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Baptismi, peculiarem modum recitandi officium diuinum in choro: Diaconatus canendi Euangeliũ, propinandi patenam cum pane, & calicem cum vino, ac ministrandi ipsi Sacerdoti solemniter celebranti: Subdiaconatus demum, habet officiũ legendi cum manipulo Epistolam, ponendi aquam in calice Sacerdotis solemniter celebrantis:

Ideò suspensio fieri potest in totum, vel in partem ab officio, vel beneficio: si fiat in totum, appellatur maior: si fiat in partẽ, appellatur minor, ad instar excõmunicationis. *Panor. in d. c. si celebrat, nu. 4. de cler. excom. ministr.*

Suspensio absolutè, & absq; expressa, vel tacita limitatione prolata, suspẽdit ab omnibus, id est ab officio, & beneficio. *arg. c. si quem, 59. de sent. excomm. Tolet. in sum. lib. 1. cap. 43. nu. 5.*

Suspensus à maiori ordine, videlicet à Sacerdotio, non censetur suspensus à Diaconatu, & alijs inferioribus ordinibus. *c. significauit, 4. de corpore vitiatis ordinan. vel non ordin.* Secus est quando quis suspẽditur à minori ordine, quia censetur suspensus à maiori; Prohibita enim intelliguntur maiora, cui vetita sunt minora *c. cum illor ũ, 32. de sent. excom.*

DE INTERDICTO.

Quid sit, & quotuplex sit.

INterdictum secundum Iuristas, est inter duos dictũ, & subdiuiditur in *restitutorium*, *exhibitorium*, & *prohibitorium* : Olim enim erat quædam formata, & solemnis verborum conceptio, quibus Prætor aliquid fieri iubebat. vel prohibebat *Instit. de interdict. in princ. vbi DD.* Et cùm huiusmodi interdicti acceptio non faciat ad rem nostram, ideo nihil superaddam.

Secundùm verò Canonistas, Interdictum desumitur à verbo *interdico*, & idem est ac res interdicta, hoc est prohibita, *d. c. cum illorum, de senten. excommun. Hostien. in sum. de matrim. contract. cõt. interd. Ecclesia, nu. 1.* & secundum istam acceptionem, est neruus ecclesiasticæ disciplinæ, *c. cum inter, 5. vbi Panorm. nu. 1. de consuet.*

Interdictum canonicũ triplex.

Interdictum prout à Canonistis sumitur, est triplex, videlicet *personale*, *locale*, & *mixtum.*

Personale est, cum personæ interdicuntur, videlicet Vniuersitates, Collegia, & singulares personæ.

Locale, cum locus interdicitur, videlicet Regnum, Prouincia, Ciuitas, Castrum, Villa. *c. si ciuitas, 17. de sent. excomm. in 6. c. cum in partibus, 17. de verb. signific.*

Mixtum verò, cum & personæ, & loca interdicuntur. *c. si sententia, 16. vbi gl. in verb. si sententia, il secondo, de sent. excommun. in 6.*

Subdiuiditur etiam in generale, & particulare. *d. c. cũ in partibus, vbi Panor.* ait quãdo aliqua Vniuersitas interdicitur, est interdictum generale; & notabiliter aduertendum dicit, quod licet in villa sit vna tantum Ecclesia, attamen, quia apta est habere plures ideò continet in se Vniuersitatem.

Particulare est, quando vna Ecclesia, vel plures Ecclesiæ specificè, & nõ sub nomine Vniuersitatis interdicuntur: & sic de personis, quando plures personæ nominatim, & specialiter interdicuntur.

Differt in multis ab excõmunicatione, & suspensione, sed præcipuè in his, quia excommunicatio, & suspensio propriè feruntur contra singulares personas. Interdictum verò contra vniuersitates, & collegia propriè.

Secundo, quia excommunicatio priuat etiam humano commercio, vt sup. diximus: Interdictum verò non, sed

solum

solū diuinis officijs, & sacramentis. Vide reliquas differentias apud *Siluestrum in summ. verbo, interdictum, 1. num. 5.*

Differunt inter se hæ tres interdicti species: nam interdictum locale non impedit, quin Sacerdotes,& Clerici illius loci possint extra eum celebrare, & exercere diuina officia; nisi tamen aliud in sententia sit expressum, vel ipsi fuerint causa culpabilis impositi interdicti; nam qui sunt causa culpabilis impositi interdicti, nullibi possunt audire, vel persoluere diuina officia. *d.c. si sententia, de senten. excommun. in 6.*

Hic per transennam nota, quod quando aliqua diœcesis supponitur interdicto, ciuitas in eo non comprehenditur; quia nomine Diœcesis non venit Ciuitas in materia odiosa. *c. Rodulphus clericus, 35. vbi glos. in verb. Sagien. diœcesis, in fine, de rescrip. Panorm. n. 5. & Bald. eod. num.* Secus in materia fauorabili. *c. vnico, vbi glos. in verb. Diœcesis, de rerū permutatione.*

Ciuitas non venit nomine diœcesis in odiosis.

Interdictum personale impedit, quod solum personæ interdictæ nullibi possint audire, & persoluere diuina officia; secus aliæ personæ, quæ possunt audire, & persoluere in loco non interdicto.

Interdictum mixtum impedit, ne in loco interdicto à quolibet etiam extraneo, & non interdicto, diuina officia celebrari, & sacramenta ministrari possint; necnon impedit, vt personæ interdictæ nullibi celebrare, & Sacramenta ministrare possint.

Interdictum sic acceptum solet communiter describi, quod sit cēsura ecclesiastica Sacramentorum vsum, & ecclesiasticam sepulturam prohibēs. *c. quod in te, 11. vbi glos. de pœniten. & remiss. d. cap. si sententia. c. alma mater, 24. de senten. excomm. in 6. c. non est vobis, 11. de sponsal. vbi glos. in princip.*

Interdicti descriptio.

Interdictum non prohibet vsum omnium sacramentorū, sed aliquorum: nam tempore interdicti, pueri, & adulti possunt baptizari, & confirmari. *cap. quoniam, 19. de sentent. excommun. in 6. &* in die Cœnæ Domini licet confici nouum Chrisma. *dict. cap. quoniam.* Nam singulis annis est sanctum Chrisma renouandum. *cap. litteris, de consecr. distinct. 3. cap. presbyteri, & cap. omni tempore de consecr. dist. 4.* & vetus Chrisma singulis annis comburendum, *d. c. litteris.* Et qui audet veteri Chrismate vti extra mortis articulū, debet deponi ab officio. *c. si quis, de alio de* con-

Interdictum non impedit omnium sacramentorum vsum.

consecr. distin. 4. glos. in dict. cap. quoniam, in verb. dubium non existat, de senten. excomm. in 6.

Insuper tempore interdicti non solum morientibus, verum etiam sanis, Pœnitentiæ sacramentum ministrari potest, dummodo non sint excommunicati: his enim solum in mortis articulo ministrari potest Sacramentum Pœnitentiæ: Vel nisi ipsi propria culpa, consilio, auxilio, aut fauore dederint causam interdicto: hi enim non admittuntur nisi præstita satisfactione, vel data idonea cautione de satisfaciendo, prout poterunt.

Si vero huiusmodi satisfactionem, aut cautionem præstare nequiuerint, saltē iurent, se cū poterūt, satisfacturos, & ad satisfactionem huiusmodi per eū, vel per eos, qui facere eā debent, & possūnt, præstandam, daturos consilium, & auxilium, ac iuxtà suum posse laboraturos, *dict. cap. alma mater. § illis etiam, de sentent. excomm. in 6.*

Nota hic ex prædicto *cap. alma mater*, quod multipliciter quis potest ex propria culpa causam dare interdicto.

Primò, immediate, perpetrādo delictum, propter quod ponitur interdictum, prout denotant illa verba, *propter quorum culpam, fraudem, & dolum, &c.*

Secundò, mediate consulendo, fouendo, & adiuuando delinquentem, vt ostendunt alia verba eiusdem capituli, *vel qui ad perpetrandum delictum, cuius occasione ipsum interdictum est latum, præbuerunt auxilium, consilium, vel fauorem, &c.*

Nota secundò, cum *glos. hic in verb. sacramentis*, quod sanis pœnitentibus solum conceditur Pœnitentiæ sacramētum, non autem Eucharistia, sicut conceditur pœnitentibus morientibus, *ex c. quod in te, 11. de pœnit. & remiss.* vbi pondera illud verbum, *viaticum*, quia in tantum conceditur morientibus pœnitentibus Eucharistiæ sacramentū, in quantum est viaticum, aliàs nec ipsis concederetur.

Præterea vigore eiusdem *c. alma mater, §. adijcimus*, cōceditur, vt durante interdicto, Clerici, & Regulares, qui non sūt suppositi interdicto, singulis diebus in Ecclesijs, & Monasterijs celebrēt Missas & alia diuina officia sicut prius, submissa tamen voce, ianuis clausis, & campanis non pulsatis; & Canonici, & alij Beneficiati, qui ad officia non interuenerint, amittant distributiones, sicut non extante interdicto perdidissent.

De-

Demum conceditur, vt in Festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriosæ, campanæ pulsentur, & ianuis apertis, ac alta voce diuina Officia solemniter celebrentur; excommunicatis prorsus exclusis, sed omnibus interdictis admissis; cum hac tamē differētia, quod illi, propter quorum excessum Interdictum fuit prolatum, Altari nullatenus appropinquent; prout in prædicto *c. alma mater*, *§. in festiuitatibus*.

Quia sæpius in ista materia interdicti, fit mentio de culpa, dolo, & fraude eorū, qui dant causam interdicto; necesse est, videre quis dicatur esse in culpa, dolo, & fraude: quod tamen discernere nequimus, nisi sciamus, quid sit culpa, dolus, & fraus.

Culpa quid sit. Definit *Bart. in l. quod Nerua, 32. n. 6. ff. deposit. quem sequitur Panor. in c. vnico de cōmodato, n. 13.* culpam in genere esse *deuiationē ab eo, quod bonum est; quod per diligētiam hominum præuideri potuit.*

Casus fortuitus. Ex hac vltima particula, à culpa excluditur casus fortuitus, qui præuideri non potest, cum casus fortuitus sit inopinatæ rei euentus: *c. Ioannes, 23. & c. vlt. vbi glos. de homicidio. l. 2. §. si eo tempore, ff. de admin. rerū ad ciuit. pert.*

Bartolus, *locō citato*, ponit quinque species culparum, videlicet, *latissimam, latiorem, latam, leuem, & leuissimam.*

Culpa quintuplex. Meliorem tamen diuisionē esse existimo illam, quam affert *glossa in c. vnico, verb. de leuissima, de commod.* videlicet *latam, leuem, & leuissimam*: & hanc diuisionem communiter sequuntur Doctores.

Ratio est, quia culpa propriè sumpta differt à dolo: *l. quicquid, 7. C. de arbitr. tutelæ, l. si vt certo, 5. §. nunc videndum, ff. commodat. l. tutori, 20. C. de negot. gest.* vbi fit differentia inter dolum, & culpā, cum dolus propriè consistat in commissione, *vt ipsemet Bart. loco supracit.* concedit; Dolus quid sit. dolus enim verus & realis, est *machinatio, seu circumuentio ad decipiendum, seu fallendum aliquem manifestè adhibita*: *l. 1. ff. de dolo. glos. in c. scienti, verbo, scienti, 27. de reg. iuris in 6.*

Dolus verò præsumptus secundum eundem *Bart. loc. cit.* *est fallax circumuentio ad decipiendum aliquem præsumptiuè adhibita*; quia dolus probari nequit, nisi per coniecturas: *l. dolum, 6. C. de dolo, glos. in c. 2. verb. coniecturas, de renūciatione, in 6.*

Ideò quando signa sunt manifesta, dicimus dolum verum: quandò signa non ita patent,

dicimus, dolum præsumptum. *Panor. loco cit. nu.* 13. ac propterea cum culpa latissima sit dolus præsumptus, quæ necessitas est, vt in diuisione culpæ dolum includamus? & eo maximè, quia culpa consistit potius in omissione diligẽtiæ, quam quis tenetur facere ad euitandas cõtrarietates, quæ succedere possunt. *Tolet. in sum. lib.* 1. *c* 82. *n.* 8. & patet ex ipsius culpæ definitione, quam ipsemet *Bart.* approbat.

Lata culpa. Lata cũlpa secundum eundem *Bart. loc. cit. n.* 17. *propè finem* est *deuiatio incircumspecta ab ea diligentia, quam communiter habent homines, qui sunt eiusdem professionis, & conditionis.*

Dicitur *deuiatio incircumspecta*, loco generis, quia comprehendit, & latam culpam, & leuem, & leuissimam.

Dicitur *ab ea diligentia, quã homines, &c.* loco differentiæ, cum propriũ latę culpæ sit, nõ facere id, quod omnes eiusdẽ professionis, & conditionis faciunt. *l. latæ culpæ,* 223. *ff. de verb. signif.* & in hoc lata culpa differt ab alijs speciebus culparum.

Leuis culpa. Leuis culpa est *deuiatio incircumspecta ab ea diligentia, quam habent homines diligentes. Bart. loco citat. & Panor. in d. c. vnico, n.* 13. *de commod.*

Leuissima culpa. Leuissima culpa est *deuiatio incircumspecta ab ea diligẽtia, quam habent communiter diligentiores, & diligentissimi homines. Bart. loco cit. & Panor. loc. cit. num.* 14.

Lex pœnalis habet locum in lata culpa tantum. Ex quibus supra dictis colligendum est, quando loquitur lex pœnalis de culpa, solum intelligi debere de culpa lata, nisi fiat specialis mentio de culpis leui, & leuissima; nam culpa leuis, & leuissima cum sint minimi, & quasi inuoluntarij defectus, non habentur in consideratione: minima enim non sunt in consideratione. *l. scio,* 4. *ff. de in integrum restit.*

Et hoc est verum saltem in nostro casu, cum pro leui defectu, & culpa, Interdicta non ponantur, vt supra diximus; sed solum pro lata culpa, quæ dolo æquiparatur. *dict. l. quod Nerua, ff. depositi, l.* 1. §. *fin. ff. si mensor falsum modum dixerit.*

Fraus. Fraus est *deceptio alterius, opere exhibita.* ita *Tolet. lib.* 8. *c.* 46. *n.* 1 Dicitur *deceptio opere exhibita*, ad differentiam doli, qui solis verbis fit, vt supra dictum est: nam ad inducendam veram fraudem, requiritur intentio decipiendi, & factum, quo mediante fit deceptio. *l. fraudis,* 80. *vbi glos. ff. de reg. iur. l. ait Prætor.* 1. §. *demum, ff. de his, quæ in fraudem credit. l.* 2. *C. de seru.*

pig.

pig. dato manum. instit. quib. causis manumitt. non licet. §. *& in fraudem. l. in fraudem ciuitatum*, 11. *in fine. ff. qui, & à quibus manumissi liberi non fiant.*

Ex quibus omnibus per se colligitur, qui dicantur esse in culpa, qui in dolo, & qui in fraude. Et hæc satis sint ad intelligentiam terminorum.

Notandum hic est cum *Decio in l. iuris ignorantiam. 6. n.28. C. qui admitti ad bonor. possess.* quod in culpa esse dicitur, qui aliquid præiudiciale maxime ignorans non consulit peritiores, licet à dolo excusetur. *l. quod si nolit*, 31. *§. mancipium, ff. de ædilitio edicto.*

DE IRREGVLARITATE.

Omissis varijs Irregularitatum acceptionibus, quæ nimis dilatant illius significationem, & non faciunt ad nostrum propositum, quas vnusquisque pro suo libito videre poterit apud *S. Thomam in 4. distinct. 1. q. 1. art. 5. quolib 3. ad 3.* In eo tantum significatu hic nomen irregularitatis accipiemus, quo respicit ordinum susceptionem, & administrationem.

Originem videtur habuisse à persona Dauidis. *c. tabernaculum, de consecr. dist.* 1. Licet enim esset Dauid ex stirpe Sacerdotali, attamen propter homicidium exclusus fuit ab ædificando Dei Templo, & ab Altaris ministerio. *Primo Paralipomenon, c. 28. nu. 3. Deus autem dixit mihi: Non ædificabis domũ nomini meo, eo quod sis vir bellator, & sanguinem fundens.*

Dauid fuit præfigurator noui Testamenti. *c. quod autem*, 32. *q.* 1. & ideò tam in veteri, quam in nouo Testamento, secundum suam originem est de iure diuino positiuo Irregularitas. *Nauar. in summ. de censur. cap. 23. num. 191. sum. Tabien. verbo, irregularitas, num.* 2. Attamen quo ad modernam obseruantiã, est de iure canonico positiuo, vt bene aduertũt *Archid. in c. omnes, 17. q. 4. num. 2. Innoc. in c. nisi cum pridem, 10. n. 8. de renunc.* quia nulla est inducenda irregularitas, quæ non sit in Iure canonico expressa. *c. is qui, 18. de sent. excommun. in 6.*

Irregularitas de iure diuino positiuo originaliter, sed secundum modernam obseruantiam est de iure canonico.

Irregularitas igitur sic strictè accepta deriuatur ab *in*, quod est *sine*, & *regula*. Irregularitas enim est idem ac priuatio regulæ, secundum quam esse debent qui promouendi sunt ad ordines Ecclesiasticos. *c. quoniam, 48. dist.* Et ideò irregularis dicitur priuatus regula, sine regula, vel non secundum regulam. *Specul. lib. 1. partic. 1.*

partic. 1. *de dispensat.* §. 4. *n.* 2.

Irregularitatis definitio. Irregularitas in proprio suo significatu accepta, est *inhabilitas canonica ordines suscipiendi, & susceptos exercendi, à solo iure proueniens.* Ita *Tolet. in summ. lib.* 1. *c.* 57.

Quæ definitio in idem ferè recidit cum definitione, quam afferunt *Specul. loc. supra cit. in princip. Syluest. in verbo. irregularitas, n.* 1. *& alij*; videlicet, quod sit *nota, & impedimentum canonicum ex facto, seu defectu proueniēs, quo quis prohibetur ad Ecclesiasticos ordines promoueri, & in iisdem ministrare.*

Vtraque definitio est bona, & solum in verborum multiplicitate differunt, cùm vtraque admittat quòd sit impedimentū à iure canonico iuxta modernam obseruantiam introductum, vel potius limitatum: nam in veteri Testamēto, ob quamplurima capita quis repellebatur ab Altari; prout videre est *Leuit.* 21. vbi prohibebantur cæci, claudi, paruum, vel grandem, aut tortum nasum, pedem, vel manum fractam habentes, gibbosi, lippi, aut albuginem in oculo, aut iugem scabiem, aut impetiginem in corpore habentes, vel herniosi, & omnes descendentes ex semine Aaron Sacerdotis, qui maculam aliquam in corpore haberent, hostias sacrificare, & panes Deo offerre.

Melius definiri posse mihi videtur irregularitas, si dicamus quod sit *impedimentum canonicum, directè impediens susceptionem ordinum Ecclesiasticorum, & susceptorum vsum*, vt colligitur ex *cap. significasti*, 16. *de homicidio. Canonicum impedimentum* est loco generis, quia multa sunt inducta impedimenta à Iure canonico, quæ ad irregularitatem non spectant, cum non impediant ordinis susceptionem, vel exequutionem. *Alia irregularitatis definitio.* *Canonicum*, significat, quod non de iure naturali, neque diuino sit introductum, sed de iure canonico, & Ecclesiastico, vt supra dictum est. *Directè impediens, &c.* est loco differentiæ, quia sic dignoscitur irregularitas differre ab excommunicatione, suspensione, & interdicto, quæ non directè impediunt susceptionem, & vsum ordinum: nam excōmunicatio primariò priuat bonis fidelium communibus, prout sunt bona communia: suspensio, licet priuet directè vsu ordinis, attamen nō directè impedit susceptionem illorū: nam licet suspēsus non possit ad reliquos ordines promoueri, & si promoueatur, habeatur ac si promotus per saltum, quia suspensus quo ad

hoc

hoc habetur, ac si non haberet ordines, quorum vsu est priuatus, & ideo euaderet irregularis. *cap.1.§.fin. de sent. excom. in 6. cap.1. de sent. & re iudic. in 6.* attamen non directè, & primario impeditur ad suscipiendos ordines, sed indirectè, & secundario, quatenus est suspensus a susceptis ordinibus: & ideo in hoc differt ab irregularitate suspensio, idemque est de interdicto.

Ecclesia vero declarauit, quæ essent impedimenta, quæ constituunt irregularitatem.

Tota irregularitatis latitudo ad duo capita reducitur, vt docent *Panor. in cap. nisi cum pridem, 10. num. 18. de renunt. Specul. lib. 1. partic. 1. §. iuxta, num. 2. de dispensat. Hostiens. & Innocen. in prædicto cap. nisi cum pridem. Tolet. in sum. lib. 1. cap. 57. num. 3. & alij.* Ad eam, quę prouenit ex crimine; & ad aliam quę sequitur ex defectu.

Crimina, quæ inducũt irregularitatem. Crimina, quæ inducunt irregularitatem, sunt homicidiũ. *cap. fin. de homicidio in 6.* abortus fœtus animati. *cap. sicut ex litterarum, 20. de homic.* *Homicidiũ.* quia est homicidium. *cap. quod vero, & cap. Moyses, 32. quæst. 2.* *Mutilatio.* Mutilatio membri. *c. is qui, 3. de homicid. in 6. Clem. vnica, eod. tit. cap. miror & cap. clericum, cum sequen. dist. 50.* Mutilatio autem tunc solum est, quando membrum separatur omninò a corpore; si enim non separatur, non est mutilatio, *Mutilatio nõ est sine separatione.* sed debilitatio. *glossa in c. vlt. de homicid. in 6. in Clemen. 1. eod. tit. Nauarr. de cens. Eccles. cap. 27. num. 207. Couarr. in 3. parte relect. Clem. si furiosus, in principio, num. 9.* Præterea *Quando faciant irregularem.* adhoc vt ex mutilatione contrahatur irregularitas, necessario requiritur, vt mutilatio sit membri principalis, vt bene aduertunt *glossa in prædicta Clem. 1. de homicid. & Couarr. loco cit. num 8.*

Membrum principale corporis quale sit. Membrum vero principale est sola illa pars corporis, quæ officium per se distinctum habet, videlicet pes, manus, oculus, auris, &c. *c. singula, 89. dist. Bart. in l. publicorum, 2. num. 13. ff. de public. iudic. Nauar. de cens. ecclesiasticis, c. 27. num. 206.*

Et ideò per mutilationem digiti non contrahitur ista irregularitas, quia digitus non est membrum, sed pars, & officium membri. *l. quæritur hermafroditum, 10. l. non sunt, 14. §. partus, ff. de statu hom. l. item Offilius, 10. ff. de ædilitio edicto. glossa in cap. vltim. de homicid. in 6. & in prædicta Clem. eod. tit. Bart. in l. 2. ff. de publ. iudic.*

Nec obstant *cap. 1. de corpore vitiat.* vbi dicitur quod misericorditer agatur post pęnitentiam cum illo, qui in duel-

duello medietatem digiti amisit, & *cap. qui partem*, 55. *dist.* vbi expresse dicitur, quod canones non admittunt ad ordines, qui sibi volens parum digiti abscidit: ergo si pars digiti amissa facit irregularem, multo magis efficiet irregularem totus digitus amissus.

Non obstant, inquam, quia *in dictis cap.* iudicatur, & punitur mala voluntas, quæ sibi causa fuit ferrum inijciendi, vt in eodem *cap. qui partem*, adducitur pro ratione huiusmodi pœnæ; præsupponitur enim spoliatus hic Christi mansuetudine: qui enim in se ipsum ita sæuit, præsumitur quod omne malum in alios ausurus sit. *l. cum autem*, 23. §. *malus enim seruus*, *ff. de ædilit. edict.* quia si sibi non pepercit, nec alijs parceret. *l. fin. § si quis autem*, *ff. de bonis eorum*, *qui sibi mortem ante sent. consciuerunt. Goffred. in sum. de corp. vitiatis*, *n. 4. & 6. Hostiens. in summa eodem titulo, in §. & quæ impediant verf. is ergo*. Et secus deciditur, quando inuoluntaria, & casualis est amissio, prout in eodem *cap. qui partem*, vbi dicitur, quod in istis casibus veniam meruit. Hinc necessariò deducitur, quod si canones vellent, amissionem partis digiti esse sufficientẽ causam ad inducendam irregularitatem, non ponerent hanc distinctionem, & differentiam de amissione voluntaria, vel casuali; quia simpliciter posita amissione huiusmodi, necessario deberet sequi effectus, id est, irregularitas sed non sequitur effectus, id est irregularitas, nisi amissio sit voluntaria: ergo amissio partis digiti per se non inducit irregularitatem.

Qui in se ipsũ sæuit, multo magis in alios.

Idem dicendum de Eunucho, qui absque necessitate sibi amputauit virilia: hic enim ordinari non debet, & ordinatus remouetur. *cap. si quis pro ægritudine*, & *c. hi qui dist.* 55. Secus est, si a medicis, vel a barbaris amputentur. *dict. cap. si quis.*

Eunuchus voluntarius nõ ordinandus.

Homicidium, & mutilatio pluribus modis committitur. Facto, cum quis de facto proprijs manibus per se, & immediate aliquem occidit. *c. 2. de homicid. cap. 1. & cap. 2. de Cleric. pugnant. in duello. cap. quicumque percutit*, 23. *quæstione* 8.

Secundo, committitur præcepto, cum quis præcipit aliquem interficiendum; siue iuste, vt iudex. *cap. si quis viduam vbi glossa, in verbo, si quis, & in verbo, aut præcepto*, 50. *distinct. cap. final. de homicid. in 6.* siue iniuste vt inimicus, &c. *cap. 1. §. cum igitur, & cap. vlt. de homicidio in 6.* & talis homicida contrahit semper irregularitatem. Nota cum

cum *Panor. in cap. ad audientiam*, 12. *num*. 7. *de homicidio*. quod mandans contrahit irregularitatem etiamsi contra eius voluntatem interficiatur mandatarius ab inimico, quia dat operam rei illicitæ. Limita, quando homicidium perpetret ad necessariam sui defensionem, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt patet ex *Clem. vnica de homicidio*, *& Panor. ibi*, *& in cap. sicut dignum*, *num*. 14. *de homicid.*

Tali enim casu nullam contrahit culpam, cum de iure naturæ vnicuique permissum sit vim vi repellere. *l. vt vim*, 3. *ff. de iust. & iur.* Et vbi non est culpa, neque debet esse pœna, cum pœna præsupponat culpam. *D. Thomas* 2. 2. *quæst*. 108. *art*. 4. *in solut. art*. *Sot. de iustitia lib*. 1. *quæst*. 6. *art*. 5. *col*. 2. *vers. profecto*, *Couarr. variarum resolut. lib*. 2. *cap*. 8. *in princ.* Secundo: qui facit aliquid lege permittente, nullam meretur pœnam. *l. Graccus*, 4. *C. ad leg. iul. de adulter. l. illud*, 4. *ff. quod quisque iuris*.

Sine culpa non est pœna

Debet tamen esse ad necessariam sui defensionem; videlicet, cum quis neque clamando, neque fugiendo, neque alio modo mortem euitare potest. *glossa in Clem. vnica in verbo*, *non valens*, *de homicidio*, *& ibi Panor. num*. 4. *& num*. 10. *Couarr. in* 3. *parte relect. Clem. si furiosus de homicidio*, §. *vnico*, *num*. 2. qui dicit hoc habere locum in periculo mutilationis alicuius membri. Ac propterea istud homicidium, vel mutilatio membri, debet fieri in illo instanti aggressionis, non autem post illud instans, dum cessauit periculum, & aggressor se fugæ dedit: hoc enim casu non est propulsare a se iniuriam, sed potius illam vlcisci. *cap. significasti*, 18. *de homicidio*: nam vim vi repellere licet in continenti, & sine interuallo. *cap. si vero*, 3. *de sent. excom. l. scientiam*, 46. §. *sed si defendendi*, *vbi glos. in verbo*, *vlciscendi*, *& l. si ex plagis*, 5. §. *tabernarius*, *ff. ad leg. Aquil.* *vbi glossa in verbo*, *ne data opera*. *l*. 3. §. *cum igitur*, *ff. de vi*, *et vi armata*, *et l*. 1. §. *arietes*, *ff. si quadrup. pauper. fecisse dicatur*. *Bart. in l*. 1. *C. vnde vi*, *n*. 9.

Licita defensio sit in instanti aggressionis.

Præterea, ista defensio debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt patet ex *d. Clement. de homicidio*. Moderamen autem inculpatæ tutelæ tunc est, vt notat *bene Panormit. in dicto cap. significasti*, *num*. 5. quando quis solum id facit, quo omisso violentia propulsari non posset; ita *glos. in d. c. significasti in verbo*. *moderamine*, *prope finem*

Moderamen inculpatæ tutela quando sit.

nem: ita vt si possum cum minore percussione me defendere, non debeo cum maiori illum verberare: si cum mutilatione membri, vel simplici vulnere tantum, non debeo illum occidere: si fugiẽdo possum euadere periculum mutilationis, vel mortis, teneor fugere etiam cum verecundia, nec debeo illi resistere etiam si sim laicus: & hoc quo ad incursum irregularitatis tãtum; pluris enim facere debeo vitã alterius, quàm eam verecundiam, & honorem. *Couar. in 3. parte relect. Clem. vnicæ de homicid. §. vnico, num. 4. propè finem*, vbi *ex Alex. conf.* 119. *lib.* 7. dicit quod *alias defensio huiusmodi esset immoderata, inhumana, barbaris potius, quã viris ratione præditis, ac Religionis Christianæ institutis cõueniens*.

Secundò, huiusmodi moderamen est, quando æqualibus modis, & terminis propulsatur iniuria: vt si armis inuasus sum, armis etiam æqualibus inuasorem propulsare, & offendere possum: si sine armis, & solum pugnis inuador, debeo simili etiam modo illum expellere, nisi inuasor tantum haberet roboris, vt plus posset inermis, quam ego armatus; tali enim casu possum contra illum armis me defendere, vt post *glos. in verb. moderatione*, bene aduertit *Bart. in l. 1. nu. 7. C. vnde vi. Bald. in l. 1. col. 2. vers. item tu assessor, C. de confessis. Decius in l. vt vim, 3. num. 4. ff. de iust. & iure*.

Et ob eandem rationem hoc extenditur etiam ad inæqualitatem armorum: cùm enim quis inuaditur à peritiore in tractando ense, vel alio simili armorum genere, tunc infirmior potest ad sui defensionem vti sclopo, & potentioribus armis contra huiusmodi aggressorem, quia ista inæqualitas armorũ necessariò requiritur ad infirmioris defensionem.

Ex his collige cum *Bartolo loc. cit.* quod tria requiruntur ad moderamen inculpatæ tutelæ: vt fiat in instanti, cum æqualitate modi defensionis ad offensionem, & ad meram defensionem, non autem ad vlciscendam iniuriam: & propterea non licet, inuasorem, si fugit, persequi. *vt glos. in l. 1. verbo, moderatione, & ibi Bart. C. vnde vi, n.* 10.

Quæ requirũtur ad moderamen inculpatæ tutelæ.

Nota primo, hic quod quis, vt necessariò, & impune se defendat cum morte, vel mutilatione aggressoris, non esse necesse vt expectet se ab illo percuti prius, sed sufficere terrorem, & strepitum armorum. *l. 3. §. qui armati, ff. de vi, & vi arm.*

Immò

Immo sufficit si videat venientem, & irruentem contra se armatum euaginato gladio, vel sclopo ad explodendum in manibus parato. *Ioan. Anan. in c. si perfodeens, 3. de homicid. Decius in l. vt vim, 3. ff. de iust. & iur. num.* 10. vbi idem *Decius, num. 9. in fine* bene admonet, quod *defēsio dicitur antequam quis offendatur, vt iniuria propulsetur, & offensio repellatur, quia post offensionem receptam nō est defensio, sed vindicta. Tolet. in summ. lib. 1, cap. 80. num. 4.*

Defensio non est post offensionem receptam.

Nota secundò, ex *d. Clem. furiosus de homicid.* quod irregularitatis incursus, euitatur ab homicida, qui necessariò tuetur vitam propriam, non autem euitatur ab homicida, qui alienam vitam etiam patris, & matris defendit, licet non peccet. *c. dilecto, 6. §. fin. de sent. excomm. in 6.* Nam de iure communi irregularis est quilibet homicida, vt *c. si quis viduam, 50. dist. & DD. communiter tenent.* Hodie autem moderatur, & limitatur ius per *d. Clem.* & in moderatione, & limitatione solū fit mentio de necessariò defendente propriā vitā: ergo quo ad alios ius cōmune remanet in suo robore. *glos. in d. Clem. in verb. suum, quam sequuntur Panor. in c. si verò, 3. n. 11. propè finē de sent. excommun. Couar. in d. Clem. furiosus, 3. parte relect. §. vnico, num. 5. & alij DD. in d. c. si verò.* Et multo minus euitatur ab eo, qui occidit defendendo res proprias. *c. suscepimus, & c. 3. de homicid. glos. in c. 2. in verb. non deponatur, de homicid. Tolet. in summ. lib. 1. c. 80. n. 13. & alij.*

Nota tertiò, quod nomine aggressoris ille intelligitur, qui nō prouocatus aggreditur. *l. is qui aggressorem, 2. vbi glos. in verb. is qui aggressorem, C. ad l. Cornel. de sicar. l. 1. C. quando liceat vnicuique, sine Iudice se vendicare. Decius loco supra cit. n. 9.*

Aggressor quis dicatur.

Insurgit difficultas, an posita Constitutione Sixti Quinti contra Bannitos, possit Bannitus absque incursu irregularitatis sē defendendo occidere legitimum suum aggressorem, cùm vitæ propriæ defensio sit de iure naturæ. *l. 1. ff. de iust. & iure. Clem. pastoralis, 2. de re iudic.* Et per Statuta, & Constitutiones tolli non possit, vt notat *Bart. in l. cum mulier, 56. col. penult. ff. sol. matrimon.* Et videtur illi suffragari *Clem. si furiosus de homicid.* quæ fundatur in defensione naturali. Contrarium tamē existimo, quia bannitus, perseuerans in suo banno, & se opponēs legitimo aggressori, dat operam rei illicitæ; & ideò cōtrahit irregularitatem. *c. susce-*

Propria defensio est de iure naturæ, & nō potest tolli per Statuta, & Constitutiones.

c. suscepimus, de homicid. Cum non sit de iure naturæ, vt quis se illegitimo modo tueatur occidendo Iustitiæ Ministros, & publicæ pacis conseruatores. Et licet propria defensio sit de iure naturæ, quod secundum se immutari nequit, attamen per accidens mutatis circumstantijs immutari potest, prout in nostro casu, in quo legũ peruersor, & publici commodi violator occidit ministros iustitiæ, & legum, publicique commodi conseruatores, vt suam tueatur vitam perniciosam Reipublicæ.

Tertio, committitur consilio: vt cum quis alteri suadet homicidium, vel mutilationem, ostendendo vtilitatem, quæ inde sequutura est: & hoc consilium potest præstari legitime, vt quãdo suadetur Iudici multandum furem, seu alium delinquentem pœna capitali. *c. ex litteris, 10. vbi glos. de excess. Prælator.* Et eandem ob causam sunt Irregulares, Aduocatus, Accusator, Testis, Notarius, Assessor, Scribens, vel publicãs attestationes, scribens litteras pro vindicta sãguinis, & quilibet alius Officialis. *c. aliquantos, dist. 51. c. sententiam. 9. vbi Panor. ne clerici, vel monachi, glos. in summa, dist. 51.* Et potest præstari iniustè, vt cum inimici, seu alterius personæ homicidium iniustè suadetur. *c. felicis, 5. de pœnis in 6. c. sicut dignum, 6. §. qui verò, de homicid. & d. c. si quis viduam, 50. dist. c. perniciose, 23. de pœnitent. dist. 1. c. finali, 23. q. 8. c. 2. in fine de cler. pugnant. in duello. glos. in c. nullus ex consilio, 62. in principio, de reg. iur. in 6. Goffred. in sum. de homicid. n. 2. Panor. in c. significasti, n. 1. de homic. & Felin. in d. c. ex litteris, n. 1. de excess. Prælat. & in d. c. sicut dignum, nu. 7. Archid. in d. c. si quis viduam, in princip. Couarr. in 2. parte relect. rubr. de homicid. §. 2. nu. 1. cum seqq. & DD. communiter.*

Consiliũ est persuasio quædam, seu inductio ad aliquid agendũ, nõ habens vim coactiuã. Nemo enim tenetur consilium sequi, nisi ex alio capite teneatur illud sequi: nam cõsilium, quãuis de sui natura excitet ad deliberandũ, nõ tamẽ obligat ad sequendum. *l. cum pater, 79. §. mando, vbi Bart. ff. de legat. 2. l. 1. §. idem Põponius, ff. depositi, vbi glos. in verb. quia rem, c. cum olim, 7. de arbitr.* *Consilium nõ obligat.*

Effectus consilij semper in dubio præsumitur cõsummatus ex vi cõsilij. *Felin. in d. c. sicut dignum, nu. 12. de homicid. Bald. in l. data opera, 11. col. 22. C. qui accus. & in l. 1. col. 3. C. de seruis fugit. Angel. in l. si vetri, 8. §. in bonis, ff. de priuil. cred. Couarr. in 2. parte relect. rubr. de homicid.* *Effectus consilii in dubio præsumitur cõsummatus.*

homicid. §. 2. *num.* 1. & *Innoc. in cap. ad audientiam, de homicid.* dixit *hoc adeò esse verum, vt præsumatur, etiã si sequatur post multos dies à dato consilio. Specul. lib.* 1. *partic.* 1. *num.* 39. *de dispensat.*

Consulens ad reuocandum suum consilium, necesse est vt cum efficacia contrarium persuadeat, & prudenter notificet occidendo periculum vitæ sibi imminens. *Felin. in dicto cap. sicut dignum, n.* 14. nisi firmiter credat, quod reuocatio habitura sit suum effectum.

Consilium difficilius reuocatur.

Quòd ista notificatio requiratur in consulente, non autem in mandante, ratio diuersitatis est, quia ille, cui consulitur, agit pro se, & secundũ sui animi deprauatos sensus, & ideò difficilius remouetur à consilio; mandatarius verò, quia non agit pro se, sed pro mandãte, facilius remouetur, & sufficit si ei constet de contraria voluntate mandantis. *argum. cap. omnis res,* 1. *de reg. iur.* omnis enim res per easdem causas dissoluitur, per quas nascitur. *Specul. lib.* 1. *partic.* 1. *num.* 39. *de dispensationibus. Syluest. in verbo homicidium.* 1. *num.* 2. *Innoc. in cap. ad audientiam,* 12. *de homicid.*

Si verò delinquens ante præstitum sibi consilium præparasset arma, & alia ad homicidium, vel mutilationem perpetranda, vel minatus fuisset mortem occiso, & esset solitus exequi minas; tali casu videtur quod aliàs absque cõsilio esset perpetraturus homicidium, & consulens propterea non sit particeps homicidij. *glos. in l. apud Celsum,* 4. *in princip. in verbo, causa, ff. de doli except. Angel. in l.* 1. *ff. de eo per quem factum. Bal. in l. metum,* 9. *in fine, C. de ijs, quæ vi metusq; causa. Imol. in l. fin. ff. de hæred. instit. Felin. loc. cit. n.* 7. *& n.* 12.

Attamen non excusarem consulentem ab incursu irregularitatis; quia licet alias esset iste perpetraturus homicidium, etiam absque huiusmodi nonsilio; attamen ex cõsilio accepto magis confirmatur, & animosior redditur: & ideò, sicut non omninò excluditur à pœna homicidij pro huiusmodi consilio dato imponenda, vt est in *d. cap. sicut dignum,* §. *qui verò;* ita neque ab incursu irregularitatis. *Couarruu. in* 2. *part. relect. rubr. de homicid.* §. 2. *nu.* 1. *in fine.* Eandemque ob causam interressentes armati homicidio à socijs perpetrato, sunt irregulares. *dicto cap. sicut dignum.* §. *finali. Specul. lib.* 1. *de dispensat.* §. 4. *n.* 5. & 6.

Pro plena irregularitatis ex ho-

homicidio notitia, notandum est, quod dans operam rei illicitæ tenetur de omni culpa, etiam leuissima, quoad incursum irregularitatis, *cap. susce pimus*, 10. *cap. de cætera*, 11. *cap. tua*, 19. *cap. sicut ex litterarum*, 20. *cap. Presbyterum*, 7. *cap. ad audientiam*, 12. *de homicid. cap. clerico iacente*, 50. *distinct. Panor. in cap. continebatur*, 8. *num.* 1. *de homic. & in d. cap. tua*, *num.* 4. *Couarruu. in §. 4. primæ partis relectionis de homicid. num.* 1. *& 2. Specul. lib.* 1. *partic.* 1. *num.* 39. *de dispensat.*

Culpa leuissima in re illicita sufficit ad irregularitatem.

Prout est ille, qui inhoneste ludit cum muliere prægnãte. *d. cap. sicut, & ibi DD. de homicid.* Monachus, vel Clericus artem medicam, vel chirurgicam exercens. *cap. sententiam sanguinis*, 9. *ne Clerici, vel Monachi.* Mouens agonizantem ex vno in aliud latus, ita vt illi mortem acceleret, fit irregularis. *Panor. in d. cap. sententiam sanguinis. Couarruu. loco cit. nu.* 3. *& alij.* Qui dat medicinam, vel potionem infirmo absque mandato medicorum, vel contra eorum prohibitionem. *Innoc. & DD. in cap. tua nos*, 19. *de homicid. Couarruu. loco citato.* Qui mandat aliquem verberari; licet expresse prohibeat homicidium. *cap. fin. de homicid. in 6.*

Notandum secundò: dans operam rei licitæ, si ex dicta opera præter intentionem sequatur homicidium, nullam incurrit irregularitatem; si tamen adhibuit debitam diligentiam: hic enim solum tenetur ob culpam leuem. *cap. quæsitum*, 7. *de pœnit. & remiss. cap. dilectus*, 13. *cap. ex litteris*, 15. *cap. Presbyterum*, 7. *c. Ioannes Sacerdos*, 23. *& cap. finali de homicidio, cap. si duo*, 50. *distinct. Panorm. Couarr. Specul. locis supracitatis.* Fortuitos enim casus nullum hominum consilium præuidere potest. *dictis cap. Ioannes, & cap. final. vbi glossa in verbo, preuideri non possunt; de homicid. l. 2. §. si eo tempore, ff. de administrat. rerum ad ciuit. pertin.* & ideò nemini imputandi sunt. *l. Iulianus*, 6. *ff. qui, & à quibus manumissi lib. non fiant.* Nemo enim diuinare tenetur. *l. si putator*, 31. *ff. ad legem Aquil. l. si fideiussor*, 29. *§. si cum debitor. ff. mandati.* Nisi culpa præcesserit ob non adhibitas diligentias. *c. Ioannes*, 23. *cap. exhibita*, 22. *de homicid. & Doctores communiter tenent.*

Fortuiti casus nemini imputãdi sũt.

Notandum tertiò, *ex Clem. si furiosus*, quod furiosi, quamdiu furunt, infantes, & dormientes, si aliquem occidant, non contrahunt irregularitatem;

tem; Idemque *Couarruu. in 3. parte relect. in initio, num. 4. de homicid.* affirmandum censet de ebrio, quia ebrius æquiparatur furioso. *cap. venter, 35. distinct. c. maiores, 3. §. verum, de Baptismo*.

Et hoc cōmuniter sentiunt DD. cum hac tamen limitatione, nisi se inebriauerit hac intentione, aut nisi solitus esset in ebrietate similia perpetrare, & non præcauit remouendo à se arma.

Idemque affirmant de dormiente, qui est solitus in somnis arma capere, & percutere, nisi præcaueat in vigilia: vel qui hac intentione dormiuit, vt postea in somnis inimicum occidere posset: hi enim sunt irregulares. *Couarruu. loco citat. Cardinal. & Anchar. in prædicta Clement. furiosus*.

Irregularitas patris, quādo extēdatur ad filios,

Irregularitas ista homicidij extenditur ad filios, & nepotes ex linea masculina eorum, qui hostiliter insequuntur, vel occidunt Cardinales Romanæ Ecclesiæ, vel eorum persequutionem, vel necem consulunt, adiuuant, vel fauēt. *cap. felicis, 5. de pœnis in 6.* Hi enim filij, & nepotes remanent ipso iure priuati beneficijs, dignitatibus, etiam Pontificijs, si has forsan obtinent, & ad beneficia, & dignitates quascumque, & ad ordines clericales, nec non ad honores, & secularia officia perpetuo inhabiles.

Idem est de insequentibus, vel occidentibus Rectores, & Officiales Prouinciæ Marchię à Sede Apostolica constitutos, eorumque filijs, & nepotibus. *Extrau. dierum, &c. Ioannis xxij. de pœnis.*

Hæresis facit irregulares.

Crimen hæresis inducit irregularitatem: hæretici enim in exteriorem hæresim lapsi, hoc est in exteriorem actum, quo indicent intellectualem hæresis prauitatē, etiamsi postea resipiscant ab hæresi, & conuertantur, sunt irregulares. *cap. 1. & cap. si quis omnes 1. quæst. 7. cap. ipsa pietas, 23. quæst. 4. §. si inquiunt. c. 2. §. hæretici, & cap. statutum, 15. de hæretic. in 6. cap. 1. cum sequent. & cap. vt constitueretur, 50. distinct. cap. saluberrimum, 1. quęst. 7. Nauarr. cap. 27. de censur. Ecclesiasticis, num. 205. vers. 3. dico.*

Etiam filios, & nepotes.

Et insuper filij, & nepotes heretici prædefuncti communicant cum patris irregularitate, nam inhabiles remanent ad ordines, & beneficia. *dictis cap. 2. §. hæretici, & cap. statutum, vbi glossa in verbo, primum, & secundum gradum.*

Matris verò solum filios tantum.

Matris verò in hæresi prædefunctæ filij tantum, ad ordines,

dines, & beneficia remanent inhabiles. *dictis c. 2. & c. Statutum, vbi glossa in verbo, primum, & secundum.*

Fautores, & c hæreticorum.

Ac præterea hæreticorum credentes, fautores, receptatores, & defensores, eorumque descendentes vsque ad secundum gradum inclusiuè in linea masculina, in linea verò fœminea non excedit primum gradum. *d. cap. Statutum, & c. 2. vbi glossa.*

Credētes hæreticorum qui sint.

Credentes hæreticorum sunt, qui implicitè, dicto, vel facto ostendunt se credere, quod hæretici cogniti vt hæretici, credunt, licet dicti credentes illorum errorem expressè, & explicitè non habeant, vt benè notat *Archid. in cap. quicumque, 2. de hæret. in 6. Syluest. in verb. hæresis, 1. num. 10.*

Idem est de Iudæis.

Immò idem dicendum de Iudæis, qui post receptum Baptismum redeunt ad Iudaismum; & si in eo moriantur, eorum descendentes in linea masculina vsque ad secūdum gradum inclusiuè, in linea verò fœminea non excedit primum gradum. *cap. contra Christianos, 13. vbi glossa, de hæreticis in 6.*

Receptatores qui sint.

Receptatores hæreticorum sunt illi, qui hæreticos scienter recipiunt ad eos occultandos in proprijs domibus, vel alijs locis, ne in manus Curiæ veniant, & puniantur, in causa hæresis tantum. *Archid. loco sopracitato. Siluester loco citat. Tolet. in summ. lib. 1. cap. 19. num. 6.* Receptator enim ille dicitur, qui reum latenter recipit, & celat, vt conseruatus manus Iudicis euadat. *l. 1. & 2. ff. de officio præsidis.*

Fautores.

Fautores hæreticorum illi dicuntur, qui scienter verbis, litteris, aut factis fauent in ordine ad hæresim, illos laudando, alimoniam, pecuniam, arma, quibus fugiant, prēstando. Necnon etiam illi fautores hæreticorum dicuntur, qui cum teneantur ex officio illos punire, & cōtra eos procedere, iuxta *cap. ad abolendam, 9. de hæreticis*, non puniunt, nec contra eos procedunt. *cap. qui potest, 23. quæstione 4. cap. error, 83. distinct. vbi glossa in verbo, cum possis, cap. qui vitijs, 23. quæst. 5. Archidiac. & alij locis citatis.*

Ac etiam illi dicuntur fautores hæreticorum, qui cum sint familiares Sancti Officij, & ex iuramento teneātur hæreticos denuntiare, illos non denuntiant, neque indicant. *Syluest. & Tol. loco cit.*

Defensores qui sint.

Defensores demum hæreticorum sunt, qui scienter resistendo

sistendo, illos viribus, aut potentia, defendunt ne veniant in manus iudicum puniendi, examinãdi pro crimine hæresis. *c.1. & c. si fortè*, 21. *q.* 5. *Archid.*, *& alij locis præcit.*

Defensores hæreticorum sunt etiam qui in iudicio de hæresi illos iniustè defendunt patrocinando. *glos. in Clem. 1. in verbo, defensauerit, propè finem, de pœnis. Syluest. loc. cit. Cardinalis in Clement. 1. de pœnis. Tolet. loc. cit. num. 7. & alij.* Quales sunt Aduocati, Procuratores, & Notarij.

Aduerte differentiã quæ est inter hæreticos, eorũ credentes, fautores, receptatores, defensores, & eorum descendentes, quo ad incursum irregularitatis. Nam hæretici, eorumque credentes, fautores, receptatores, & defensores, eo ipso quod tales sunt, priuati remanent beneficijs Ecclesiasticis iam obtentis, & obtinendis, & ministerio ordinum susceptorum, ac facultate alios suscipiendi. Descendentes verò non remanent priuati beneficijs, quæ ante suorum patrum, & auorum, hęresim canonicè obtinuerũt, *cap. satis peruersum, vbi glossa 56. dist. quam sequitur Panor. in cap. vergentis, num. 4. de hæreticis.*

Nec priuantur ministerio ordinum, quos similiter ante suorum patrum, & auorum delictum aliàs canononicè susceperunt. *d. cap. satis peruersum, vbi glossa.* Nam iure suo nemo priuandus est absque culpa sua. *l. crimen*, 26. *ff. de pœnis, l. sancimus*, 22. *C. de pœnis. cap. non debet*, 22. *de regul. iur. in 6. cap. 2. de his quæ fiunt à maiori parte capit. & c. 2. de constit.*

Ius acquisitũ difficilius tollitur.

Et hoc eo magis attendendum est, quia sumus in casu, in quo agitur de iure acquisito, quod est fortius iure acquirendo. *l. finali, ff. de pactis, l. si ita scriptum, 46. §. 1. ff. de legatis 2. & l. id quod nostrum, ff. de regul. iuris. cap. inuentum, 16. quæst. 7.* Et cùm difficilius tollatur ius acquisitum, quam impediatur ius acquirendum. *Alexander consil. 196. incipit visis, num. 5. lib. 7. Card. Tuschus, to. 3. litt. F. concl. 12. n. 7.*

Ideò descendentes hæreticorum, nisi exprefsè habeatur quod remaneant exercitio susceptorum ordinum, & beneficijs aliàs canonicè obtentis ante eorum ascendentium delictum priuati, possunt in susceptis ordinibus ministrare, & beneficia obtenta licitè retinere, & solum remanebunt inhabiles ad ordines suscipiendos, & beneficia obtinenda.

Ex crimine circa reiteratio-

Reiterans se iter baptismum est irregularis.

nem Baptiſmi contrahitur irregularitas ab eo qui ſcienter bis illum recipit. *cap. eos quos de conſecrat. diſtinct.* 4. *c. confirmandum, diſtinct.* 50. *c. qui in quolibet,* 1. *quæſt.* 7. *vbi gloſ. in princip. Couarr. in* 1. *parte relect. Clement. ſi furioſus. n.* 8. *de homicid. Panorm. in cap.* 2. *num.* 2. *de apoſtat. & reiter. bapt. Goffred. in ſumm. tit. de Sacrament. non reiter. n.* 6.

Ignorantia non excuſat.

Eâdemque irregularitatem contrahit ille, qui ex ignorantia iuris bis baptizatur. *c. quibus, vbi gloſſa de conſecrat. diſtinct.* 4. *Couarruu. loco citat. num.* 8.

Ignorantia verò facti excuſat ab hac irregularitate, dummodo tamen non ſit ſupina, & craſſa, quia non præſumitur reiteratum, quod neſcitur eſſe factum. *cap. veniens,* 3. *de Presbyt. non baptizato. cap. ſolemnitates.* 16. *de conſecrat. diſt.* 1. *& c. ſi nulla,* 113. *de conſecrat. diſt.* 4.

Non præſumitur reiteratū, quod neſcitur factum.

Rebaptizans verò nō incurrit irregularitatem, niſi actus iſte reiterationis baptiſmi ſit publicus, hoc eſt, niſi publice ſciatur illum reiteraſſe baptiſmum, vt bene colligitur ex *cap. ex litterarum,* 2. *vbi gloſſa de apoſtat. & reiter. bapt.* Textus enim ibi apertè dicit, quod, ſi Acolyti adminiſtratio facta rebaptizanti iam baptizatum, ſit publica, non poſſit ad ſuperiores ordines promoueri; ſi verò ſit occulta, promoueri poterit: & mentio nulla fit de diſpenſatione. Et ideò, cum ex hoc textu argumentemur, quod multo magis rebaptizans ſit irregularis, ſi Acolytus ob adminiſtrationem dumtaxat illi factam punitur pœna irregularitatis, ad ſummum poterit à fortiori extendi argumentatio eodem modo, quo textus diſponit de Acolyto, & intelligetur extendi ad rebaptizantem: videlicet ſi actus reiterationis huiuſmodi ſit publicus, rebaptizans etiam contrahat irregularitatem, ſicut Acolytus; & hoc ratione publicitatis tam enormis delicti; quo iniuria irrogatur Sacramento. *Tolet. in ſumma, lib.* 1. *cap.* 70. *num.* 3. *Summa Angelica in verbo, irregularitas,* 1. *num.* 24.

Rebaptizans, quando ſit irregularis.

Et ea potiſſimum ratione dicendum eſt rebaptizantem non eſſe irregularem, quando reiteratio baptiſmi eſt occulta, quia nullibi in iure hoc exprimitur; & ideò nulla eſt inducenda noua irregularitas, quæ non ſit in iure expreſſa. *cap. is qui,* 18. *de ſentent. excommun. in* 6. *Archid. in cap. omnes,* 17. *quæſt.* 4. *num.* 2. *Couarruu. in* 1. *parte relect. Clem. ſi furioſus de homicidio, nū.* 3.

Textus qui allegantur in con-

contrarium, nihil probát quoad irregularitatem, quia loquuntur tantum de prohibitione reiterationis huiusmodi, & ne verbum quidem faciunt de irregularitate, vt videre est *c.1.dist.68.& cap. dictum, de consecr. dist.1.*

Eodem die minores, & Subdiaconatus ordines nō possunt suscipi

Ex crimine circa ordinum susceptionem, & administrationem, pluribus modis contrahitur irregularitas. Primò cum quis eodem die suscipit minores ordines, & Subdiaconatum. *c. 2. de eo qui furtiuè ordines suscepit, vbi glos. in verb. de nostra licentia, & Panorm. n.1. Tolet. in summ. lib.1. c.71. n.1.*

Neque duo ordines sacri.

Secundò aliqui existimant irregularē esse eum, qui duos ordines sacros eadem die suscipit, *ex c. finali. vbi glos. verb. ordines, de eo, qui furtiuè ordines suscep. Concil. Trid. cap. 13. sess. 23. de reformat. & Panor. d.c.2.n.5. Suarez autem tom.5. disput. 31. sect.1.n.41.* excludit irregularitatem, & iudicat suspensum ipso facto.

Dies fictitius quid sit.

Aduertēdum est hic, quod pro vno eodemque die intelligitur tam dies verè, & realiter, & independenter à quolibet alio extrinseco, vnus, quàm dies fictitius, qui licet cōstet ex duobus diebus realiter distinctis, attamen ex fictione canonica præsumuntur vnus ob continuationem ieiunij, quæ illos facit vnum; vt cum quis ieiunat ieiunio naturali per duos dies cōtinuos, *c. litteras, vbi glos. in verb. fictione, & ibi Panorm. num. 2. de tempor. ordin.*

Excommunicatus prohibetur ordines suscipere.

Tertiò, cum quis maiori excommunicatione ligatus, vel interdictus scienter recipit ordines. *c.1. de eo qui furtiuè ordines suscepit. c. cum illorum 32. de sent. excomm. Nauar. c.27. nu.241. & alij. Siluest. in sum. verb. irregularitas, nu.4. Tolet. in sum. lib. 1. c.71. n.1. Tabien. in sum. in verb. irregularitas, 4. n.6.*

Ordinatus ab Episcopo qui renunciauit dignitati, est irregularis.

Quarto, cum quis suscipit siue scienter, siue ignoranter ordines maiores ab Episc. qui renunciauit loco, & dignitati. *c.1. de ordinatis ab Episc. qui renun. Episc. vbi glos. in verbo ignorantia, & Panorm. num.3.* qui dicit hoc fieri in odium, & opprobrium conferentis. *c. neminem, 70. dist. in fine*; & ideò etiam ab ignorantibus contrahitur. *Goffred. eod. tit. num.1. Tolet. loco cit. num.3. & alij.*

Ordinatus ab excommunicato est irregularis.

Quinto, cum quis ignoranter, vel scienter recipit ordines ab Episcopo publicè excommunicato excommunicatione maiori. *c. finali de ordin. ab Episcopo qui renunciauit Episcop. vbi Panorm. nu.6. Goffred. eod. tit. in fine. Tolet. loco cit. num.4.*

sacris, nam Minorum officia ex consuetudine, etiam à laicis exercentur. Si autem ex consuetudine exerceantur ab ordinatis tantum, hoc casu etiam qui solemniter exerceret actum istorum, ac si illis initiatus fuisset, irregularitatem contraheret. *Syluester in summ. verb. irregularitas, num.14. Tabien. in verb. irregularitas, 4. in principio.*

Religiosi non possunt docere neque discere leges Ciuiles, & Medicinā extra claustra.

Ex crimine in scientia discenda, vel docenda contrahitur irregularitas à religiosis professis, qui legibus Ciuilibus, ac Medicinæ egressi de claustris suis student, vel eas docent, si intra duos menses ab egressu non redierint ad claustra. *cap. non magnopere, 3. vbi glos. in verb. misericordia, & Panorm. num. 8. & cap. super specula, 10. vbi glos. in verb. hoc extendi, quam sequitur Panorm. in eod. cap. ne clerici, vel monachi secul. negot. se immisc. nu. 2. Tolet. lib. 1. in sum. cap. 73.*

Nota cum *Panorm. in dict. cap. super specula, nu. 13. cum sequen.* ad hoc, vt incurratur ista pœna; necesse esse, vt religiosus egrediatur è claustris cum hoc fine, vt studeat his scientijs, vel doceat illas; nā si intrà sui monasterij claustra studeat illis, vel legat, non incurrit in huiusmodi pœnam.

Extenditur ad Archipresbyteros.

Hanc eandem irregularitatem contrahunt Archipresbyteri, Archidiaconi, Præpositi, Plebani, Cantores, & omnes alij Clerici personatum habentes, necnon Presbyteri, nisi intra duos menses à die, quo incœperint discere, vel docere publicè leges Ciuiles, vel Medicinā, destiterint, *d. cap. super specula, ne clerici, vel monachi, vbi Panorm. num. 12. sequens glossam illius in verbo, hoc extendi. Tol. loco citato.* Quam tamen pœnam clerici seculares non contrahunt; quando in proprijs domibus suis student huiusmodi scientijs. *Panorm. loc. cit.*

Notorietas criminis inducit irregularitatem.

Ex criminis notorietate insurgit irregularitas. *cap. omnes vero, c. illi qui, & cap. infames, 6. quæst. 1. vbi glossa. cap. laici, 33. distinct. & c. qui in aliquo dist. 51.*

Sed aduertendum est, quod non cuiuslibet criminis notorietas inducit irregularitatem, sed eorum dumtaxat, quæ faciunt delinquentem infamem, tam secundum canonicas sanctiones, quàm secundum leges ciuiles. *dict. cap. omnes; cum alijs præcitatis. cap. omnipotens Deus, 4. vbi glos. de accusat. cap. infamibus, 87. vbi glos. de regul. iuris in 6. cap. testes, 2. q. 7. cap. qui in aliquo, distinct. 51.*

In-

Innocent. in cap. qualiter, & quando, 24. de accusation. Decius in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, 10. num. 106. de constit. Panorm. in cap. testimonium, 54. num. 6. de testibus, & in cap. ex tenore, 4. num. 3. de temp. ordinan.

Infamia quid sit. Infamia est *læsæ dignitatis status, legibus, & moribus reprobatus*. ita *Bartol. in l. 1. nu. 1. ff. de his qui notantur infamia.*

Dicitur *læsæ dignitatis status*, quia per infamiam minuitur status infamati. *l. cognitionum, 5. §. minuitur, vbi glos. ff. de varijs, & extraordin. cognition. Bart. loco citato, & in l. ex ea causa, 9. ff. de postulando, num. 1.*

Infamia triplex. Triplex est infamia: alia iuris, quæ dicitur ciuilis: alia canonica, & alia facti. *Bald. in cap. testimonium 54. n. 2. de testib. ibidem Panorm.*

Infamia iuris. Infamia iuris est illa, quæ irrogatur per legitimam tam ciuilem, quàm criminalem sententiam, vel ipso facto in casibus, in quibus iure cauetur dumtaxat, *vt cap. infames, vbi glos. in verb. porrò, 3. quæst. 7. Panorm. In d. cap. testimonium, num. 6. de testibus. Decius in cap. at si clerici, 4. num. 176. de iudicijs. Bald. in cap. reprehensibilis, 26. num. 1. de appellat.*

Infamia canonica. Infamia canonica est illa, quæ causatur ex quolibet peccato mortali. *dict. cap. infames, 6. quæst. 1. vbi glos. Panorm. loco citato in d. c. testimonium.*

Sed aduerte, ad istam infamiam causandam duo requiri: Primò, quod peccatum sit ex grauioribus: Secundò, quod sit cum perseuerantia, non autem momentaneum, vt benè aduertit *Panorm. in d. c. testimonium, num. 3.* nam qui per pœnitentiam semper resurgit, non amittit nomen Iusti. *cap. septies, de pœniten. dist. 3.*

Infamia facti. Infamia facti, quæ potius dicitur infamatio, vt benè aduertit *Panorm. loco supra cit. num. 6.* est illa, quæ immediate causatur ab aliquo facto, videlicet ab aliquo crimine, quod est proxima causa infamiæ; vel mediante alio actu, ex genere pœnæ, videlicet publicæ pœnitentiæ: vt puta, quia aliquis fuit carceratus ob suspicionem furti, vel propter crimen repulsus à testimonio, *dict. cap. testimonium, de testibus:* vel quia per turpia verba fuit institutus hæres, videlicet, Te filium meum proditorem nequam, & huiusmodi, &c. instituo hæredem; vel per similia correptus, reprehensus, *&c. l. ea, quæ pater, 23. & l. in*

l. interloquutio, 19. *vbi glossa in verbo, reformat, & in l. nullam*, 14. *in ver. infamiam*, C. *ex quibus causis irrogatur infamia. glossa in l. ictus fustiũ* 22. *ff. his qui not. infam. Bal. in c. reprehensibilis*, 26. *de appell.*

Nota quod regulariter infames secundum leges, sunt etiam infames secundum canones. *cap. omnes vero*. 6. q. 1. *Panor. in d. cap. testimonium, num. 6. Decius in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ*, 10. *nu.* 106. *de constit.*

Pro pleniori intelligentia vide, quæ in principio secundæ Partis dixi, dum egi de Famoso.

Nota etiam ex *Baldo in d. cap. testimonium, num. 4. de testibus*, infamiam facti non posse esse occultam, quia ista infamia non est aliud, quam vitæ sordes, & vilitas diuulgata apud bonos, & graues, & multitudinem hominum: & ideo crimen occultum nõ infamat, nisi publicetur. *Factum occultum non infamat.*

Infamia vero iuris potest esse occulta, quando de iure cauetur, quod non requiratur sententia, sed eo ipso quis sit infamis.

Quæ autem sint ista crimina, textus in *d. cap. infames* enumerat: videlicet *Apostasia à fide*, prout dixi quando egi de irregularitate, quę prouenit ab hæresi. *Crimina, quæ infamant.*

Simonia tam in ordinibus, quam in beneficijs. *cap. præter hoc*, §. *verum præcepta, vbi glossa in verbo, officium, dist.* 32. *cap. erga Simoniacos, cap. eos, cap. cito turpem*, §. *quia ergo, c. quicunque, cap. qui studet, cap. qui per pecunias cap. sanctorum Patrum*, 1. *quæst.* 1. *cap. per tuas nobis*, 37. *& cap. penult. de simonia*. *Simonia.*

Sodomia, id est peccatum contra naturam. *cap. clerici*, 4. *de excessib. Prælatorum. authen. vt non luxur. contra natur.* *Sodomia.*

Hostilis persecutio, percussio, captura Cardinalium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. *c. fœlicis*, 5. *de pœnis in* 6. Et hæc infamia, & irregularitas extẽditur ad consultores, fautores, & ad filios, & nepotes per rectam lineam descendẽtes. *dict. cap. fœlicis*, §. *quod si quis, vt supra diximus*. *Persequutio Cardinaliũ.*

Crimen læsæ Maiestatis. *d. c. fœlicis*. *Læsa Maiestas.*

Crimen vsuræ. *c.* 1. *& cap. quia*, 14. *de vsuris, cap. infames*, §. *porro*, 3. *q.* 7. *Vsura.*

Duellum: Pius Quartus *per suam Bullam editam de Anno* 1560. *quæ incipit, Ea, quæ a prædecessoribus nostris. Clemẽs Octauus per bullam suam editam de Anno* 1592. *quæ incipit, Illius vites, & alij Pontifices*. *Duellum.*

Pugna publica cum feris, sed mercenaria, non autem causa exercendæ virtutis inita. *Pugna mercenaria cum feris.*

ta, *l. athletas*, 4. *ff. de his qui notantur infamia*, *l.* 1. §. *bestias*, *ff. de postulando*.

Histriones mercenarii. Histriones mercenarii. *cap. cum decorem*, 12. *vbi Inn. & Panor. n.* 2. *de vita, & honest. cleric. cap.* 1. 4. *quæst.* 1. *l.* 2. §. *fin. ff. de his qui not. infam.*

Actuale matrimonium cũ duabus. Matrimonium actuale cum duabus. *l. quid ergo*, 13. *ff. de his qui notantur infamia l. eum qui*, 18. *C. ad l. Iul. de adulter. cap. nuper.* 4. *de bigamis*.

Lenocinium. Lenocinium, & prostitutio propriæ filiæ, aut neptis. *l.* 1. *ff. de his qui not. infamia, & d. l. athletas*, §. *ait prætor.*

Matrimoniũ cum meretrice. Matrimonium cum meretrice, vel repudiata. *cap. si quis viduam dist.* 34.

Periurium. Periurium notorium. *cap. finali de tempor. ordin. l. si quis maior*, 41. *vbi glossa ver. infamia*, *C. de transact. Glossa in l. Lucius.* 21. quam *ibi Bart. n.* 2. sequitur, *ff. de his qui notantur infam. & Panor. in d. cap. testimonium*, *num.* 7. *in fine de testibus*, distinguunt, quando deieratur contra iuramentum factum de futuro illi, cum quo contractum fuit; hoc enim casu deierans fit infamis: quando vero deieratur super re præterita, requiritur sententia, nam ante huiusmodi sententiam deierans non fit infamis. Iurans autem sibi ipsi, aut Deo, non fit infamis, si deierat. Sed hæc distinctio parum suffragatur, quia periurium quando est notorium, semper infamat. *d. cap. finali.*

Raptus mulierum. Raptus inuitarum mulierum. *Concil. Trid c.* 6. *sess.* 24. *de reformat.* Dixi *inuitarum*, quia quando mulier assentitur, & volens rapitur, non est proprie raptus. *cap. cum causa*, 6. *de raptoribus*, vt in principio præcedentis secundæ Partis declarauimus.

Adulterium. Adulterium Sacerdotis, vel Clerici notorium. *cap. fin. de temp. ordin.*

Et hæc sufficiant de irregularitatibus, quæ proueniunt ex crimine. Modo videamus de irregularitatibus, quæ proueniunt ex defectu.

Defectus natalium. Primus defectus est natalium, qui prouenit ex illegitimo, & damnato coitu. *cap.* 1. *& cap. litteras*, 14. *& cap. finali*, *vbi glossa in ver. defectu natalium*, *de fil. presbyterorum*. *cap.* 1. *de filijs presbyt. in* 6. *c. consuluit*, 5. *de seru. non ordin. c.* 1. *dist.* 56. *cap. nisi cum pridem*, 10. §. *personæ verò*, *de renunciation. vbi Panorm. cap. accedens*, 14. *de purgat. canon.* Et hæc irregularitas triplicem ob causam est inducta: primo ob dignitatem, & excellentiam status clericalis, quæ turpibus, & infamibus committi non debet. *cap. inter dilectos*, 11. *de excessibus prælatorum*. *l. neque famosis*, 2. *C. de dignitat. lib.* 12. *l. vnica*, *C. de*

de infamibus, lib. 10. glos. in c. finali, verbo, defectu. de filij presbyter in 6. Goffred. in sum. tit. de filijs presbyterorum, nu. 1. Secundo ob detestationem criminis paterni, quod plerumque detestamur in filijs, & punitur temporaliter. *cap. vergentis*, 10. *de hæretic. in fine, vbi glossa. cap. cum multæ*, 15. *quæst.* 8. *cap. litteras*, 14. *& cap. cum decorem*, 15. *de filijs presbyterorum. glos. & Goffred. loc. cit.* Tertio ob probabile periculum quòd filij non sint futuri imitatores paternæ incontinentiæ, cum sæpe soleat filius esse similis patri. *c. si quis cum* 6. *q.* 1. *cap. si gens dist.* 56. *glossa, & Goffred. loc. cit. Panor. in d. cap. litteras, num.* 2. *de fil. presbyter.*

Crimen paternum in filiis detestatur.

Nec obstant *cap. nullius, & cap. quis locus* 1. *quæst.* 4. vbi dicitur, *quod nullius crimen maculat innocentem; si enim macularet, nullus innocentiæ locus remaneret.* Non obstant dico, quia præsupponendum est cum *glossa in principio* 1. *quæst.* 4. *in verbo, de quarta*, Triplicem esse pœnam, videlicet æternam, corporalem, & spiritualem. Pœna æterna némo punitur pro alio; & de hac pœna loquũtur præcitati textus, prout expresse habetur ex sequenti *cap. tam itaque, ead. prima q.* 4. *Anima* enim, *quæ peccauerit, ipsa morietur.*

Triplex pœnarum genus

Corporalis pœna est duplex: quędam est circa corpus ipsum, & hac sepe punitur vnus pro alio. *cap. Ecclesia*, §. *item peccato, & cap. turbatur nauicula*, 1. *quæst.* 4. Altera pœna corporalis, est circa statum rei, vt est seruitus, & infamia; & hac sæpe punitur vnus pro alio. *cap. cum multæ*, 15. *quæst.* 8.

Corporalis pœna est duplex

Pœna spiritualis est quadruplex, videlicet, Excommunicatio, qua nemo punitur pro alio. *cap. si habes*, 24. *quæst.* 3. Interdictum, & hoc punitur vnus pro alio. *cap. non est vobis*, 11. *de spons.* Remotio ab oblatione, & hac similiter vnus punitur pro alio. *cap. miror*, 17. *q.* 4. Exclusio ab ordinibus, & hac punitur vnus pro alio. *cap. si cuius, dist.* 34. *& toto tit. de fil. presbyterorum, cap. fœlicis*, 5. *de pœnis in* 6. *extrauagan. dierum, Ioannis xxij. vbi glossa in verbo, filij, de pœnis, quam diligenter lege.*

Pœna spiritualis est quadruplex.

Immunis tamen est ab huiusmodi irregularitatis pœna, ille, qui etiamsi nascatur ex soluto, & soluta, nihilominus per subsequens matrimonium inter suos genitores insimul legitime contractum reputatur per iuris fictionem legitimus. *cap.* 1. *& cap. tanta*, 6. *qui filij sint legitimi, vbi glossa in verbo, legitimi, & ibi Panorm. num.* 1. *& num.* 7. *glossa in cap. inno-*

innotuit. 20. *in verbo, coniugata, de electione*.

Gaudent eodem beneficio illi, qui concepti, & nati sunt in figura matrimonij legitimè contracti, licet postea nullum, & inualidum declaratum fuerit per sententiam Iudicis. *c. cum inter*, 2. *vbi gloss. in verbo, concepti, & Panor. num.* 1. *qui filij sint legitimi*.

Litis pendentia non suspẽdit actus matrimoniales.

Etiamsi concipiantur lite pendente, quia lis pendens non suspendit exercitium matrimoniale. *cap.* 2. *vt lite pendente*.

Etiamsi alter coniugum ab initio in mala fide fuerit. *cap. ex tenore*, 14. *vbi Panor. n.* 1. *qui filij sint legitimi. Goffred. in sum. num.* 11. *eod. tit.*

Regularis professio tollit irregularitatẽ.

Idem dicendum de illegitimo, si ingrediatur Religionẽ; per professionem enim regularem tollitur ista irregularitas, & propterea potest promoueri ad omnes ordines, sed solum remanet inhabilis ad officia, & dignitates. *c.* 1. *vbi Pan. num.* 2. *de fil. presbyterorum*.

Quod tamen beneficium iuris extra Religionis ingressum, & professionem, non cõpetit nato ex adulterio, licet postea inter adulteros legitimum sequatur matrimonium. *d. cap. tanta*. Vide quæ supra in secunda huius Praxis parte diximus in formula, neutro machinante de contrahendo, in clausula, *prolem, &c.*

Nati ex legitimo matrimonio quãdo sint irregulares.

Huiusmodi irregularitatem contrahunt illi, qui nati sunt ex legitimo matrimonio, sed eius executione suspensa per votũ solemne; vt cum ambo coniuges profiteantur in aliqua Religione, vel alter eorum sit Sacerdos de alterius coniugis consensu, quæ propterea emisit votum Castitatis, & nihilominus postea ex fragilitate iterum ad carnale cõmercium redierunt, & prolem inde susceperunt. *cap. litteras*, 14. *vbi Panor. n.* 2. *de fil. presb. Goffred. in sum. eod. tit. nu.* 2. *& alij*.

Expositi an sint irregulares.

Expositi an incurrant huiusmodi irregularitatem? Probabiliter aliqui credunt incurrere, quia filiorum expositio, vt plurimum fit ad occultandos illegitimos concubitus, & ad euitanda scandala, quæ inde sequutura essent; his enim cessantibus, non solent etiam pauperrimi suos contemnere filios, & periculo mortis exponere, parentes enim plus diligunt filios, quam se ipsos. *l. isti quidem*, 8. *§. fin. vbi glos. in verbo, magis, ff. de eo quod metus causa*.

Parentes plus filios quam se diligunt.

Argumẽtum a communiter accidentibus probat.

Fundãtur autẽ, quia argumentum a cõmuniter accidentibus validũ est, nisi contrarium probetur. *l. certi condi. tio*, 9. *§. si nummos, ff. si cert. pet. l. ideo quia*, 27. *vbi glos. ff de leg.* Et a communiter accidẽtibus sequitur presumptio veritatis.

c. 1.

c. 1. de cleric. non residen. l. certè, 6. §. fin. ff. de precario, l. 2. §. merito ait, ff. ne quid in loco publico. Bart. in d. l. certi condictio, §. si nummos, nu. 2. ff. si certum petatur, & ibi Dec. nu. 4. Sed probabilius censeo cum *Anan. in c. 1. de infant. expositis. & Felin. in c. cum deputati*, 16. *num.* 10. *de iudic. & alijs*, expositos præsumendos legitimos, quando eorum origo ignoratur. Hos enim si Ius Ciuile præsumit in dubio liberos, & non seruos, *l. fin. C. de infant. expos.* cur nos non debemus reputare legitimos? & eo magis cũ nullibi in iure reperiatur expressa huiusmodi irregularitas, & ideo non est inducenda à nobis. *c. is qui*, 18. *de senten. excommun. in 6.* Ad argumenta in contrarium allata respondeo negando huiusmodi expositiones fieri ad occultandos nefarios concubitus; Nam parentum inopia ac impotentia alendi filium, vt plurimum efficiunt, vt exponantur, & sic cõsulatur eorum vitæ.

Secundus defectus inducẽs irregularitatem, est libertatis defectus, seu vt alij dicunt, originis defectus, seu impedimentum conditionis; seruus enim quamdiu manet in seruitute, ordinari non debet. *c. 1. vbi Panorm. & c. consuluit*, 5. *de seruis non ordin. cap. nullus dist.* 54. *Goffred. in sum. nu.* 1. *eod. tit.*

Et hoc ob duplicem caussam; Primò, ob seruilem vilitatem; Secundò ob clericalẽ honorẽ. *c. admittuntur. dist.* 54 Et si promouetur ad minores ordines, sciente, & contradicente domino: deponitur, & restituitur domino. *cap. 2. vbi Panorm. de seru. non ordin.* Secus dicendum est, si ordinatur sciente, & non contradicente domino: præsumitur enim libertate donatus, & bene ordinatus. *c. si seruus sciẽte, dist* 54. *Panorm. loco citato. Goffred. in sum. de seru. non ordin. n.* 2.

Si verò ordinatur ignorante domino, & Episcopo, seu præsentatore sciente, ordinatus præsumitur factus liber, & ordinator, seu præsentator tenentur domino dare duos seruos æque bonos. *Glossa in c. 2. in verb. deponatur, de seruis non ord. quam ibi sequuntur Panorm. & Goffred. loc. citat.* Sed istis non habentibus vnde soluant, ordinatus ad minores deponitur, & restituitur domino. *Panorm. & Goffred. loc. cit.*

Idem dicendum de seruis ordinatis ad sacros Subdiaconatus, & Diaconatus ordines, nisi habeant modũ subrogandi

di sui vicarium dominis. *cap. miramur*, 7. *vbi gloss. in verb. mentio*, *de seruis non ordin. cap. ex antiquis*, 54. *distinct. Panorm. Goffred. loc. citat.*

Seruus factus Sacerdos eo ipso est liber.

Secus est, quãdo fit Sacerdos; quia statim cõsequitur libertatem, sed multatur in amissione peculij *d.c. ex antiquis*. & si non habet peculium, seruiet domino in diuinis officijs *c. frequens, dist.* 54. *Panorm. & Goffred. locis cit.*

Dominus infra annũ potest repetere seruum ordinatum.

Quando seruus ordinatur ignorante domino, dominus potest infra annum à die sciẽtiæ repetere suum seruum ab Ecclesia; quo elapso non amplius habet ius repetendi, & seruus remanet in libertate. *cap. si seruus sciẽte, distinct.* 54. *Panormit. & Goffred. loc. cit. & alij;*

Filius ex matre libera & patre seruo natus est liber.

Aduertendum hic est, filiũ natum ex patre seruo, & libera matre, non esse seruum, sed liberum, quia partus sequitur conditionem matris. *cap. fin. vbi gloss. & Panorm. de seruis non ordinan. l. partum*, 7. *C. de rei vend. gloss. in cap. liberi, in verbo, deteriorem partem*, 32. *q.* 4. Immò sufficit eum in momento fuisse in libero ventre, vt liber nascatur. *l. & seruo. rũ*, 5. *§. ingenui. l. Arethusa*, 15. *ff. de statu hom.* In honoribus verò, & muneribus sequitur conditionem patris. *l. liberos*, 10. *ff. de senatoribus*, *l. exemplo*, 36. *C. de decur. lib.* 10. *l.* 2. *§. in auo*, *ff. de decurionibus. l. moris*, 9. *§. parentes quoque*, *ff. de pœnis*, & ideò non contrahit huiusmodi irregularitatẽ, & potest promoueri, *d. c. final. de seru. non ordin. Panorm. & Goffr. loc. cit.*

Obligatus ad ratiocinia nõ potest promoueri.

Tertius defectus inducens irregularitatem, ne quis promoueri possit, est obligatio ad ratiocinia. *c. vnico, de oblig. ad ratiocinia, vbi gloss. & Panor. num.* 1. *& Goffred. eod. tit. num.* 2. *c. Magnus Episcopus, dist.* 54. *Hostien. in sum. eod. tit.*

Ratiocinia autem sunt rationum redditiones, ad quas quis obligatur ex administratione rei publicæ, vel priuatę. *Panor. Goffred. & Host. locis citatis.*

Ratiocinia publica sunt illa, quibus obligantur officiales curiæ, ex administratione aliqua ad rem publicam pertinẽte. *l. officiales.* 4. *C. de Episc. & cleric.* Ratiocinia verò priuata sunt illa, quibus aliquis obligatur ex administratione rerum particularium personarum. *c. peruenit, cum sequent.* 21. *q.* 3.

Obligatus ergo ad publica ratiocinia, non potest promoueri, etiam post depositum officium, nisi postquam ratio-

nem

nem reddiderit. *d.l. Officiales, C. de Episcopis, & cleric. authen. de sanct. Episc. §. sed neque Curialem. cap. praeterea dist.* 51. *glossa, Panorm. & alij supracit. in locis supracit.* Obligati enim Reipublicæ ex administratione, arceantur ab honoribus. *l. rescripto, 6. §. debitores, ff. de mun. & hon.* Obligati vero ad ratiocinia priuata, si administratio est de bonis non miserabilium personarum, non possunt promoueri nisi deposito officio; & si contra eos sit mota lis de dolo, debet prius expectari illius decisio. *cap. illud dist.* 23. *cap. tantis, dist.* 81. *glossa, & alij supra cit.*

Clericus suscipere potest curam miserabilium personarum.

Si autem est administratio de bonis miserabilium personarum, etiam non deposito officio promoueri possunt. *cap. peruenit, 21. quaest.* 3. quilibet enim Clericus, miserabilium personarum curam suscipere potest. *cap.* 1. *ne Clerici, vel Monac.* Dummodo non sit manifestum, quod commiserint dolum, vel contra eos quęstio de dolo mota sit: tales enim Episcopus ex officio debet repellere, sicut cæteros criminosos. *c. alieni, 2. q. 7. c. infames, 6. quaest. 1. glos. Panor. et alij supra cit. in locis supracit.*

Aduertendum tamen est, quod aliqui Reipublicę Officiales, licet deponant officium, attamen promoueri nequeunt, quales sunt milites, exequutores, apparitores, & alij, qui sæua, turpia, vel inhonesta exercuerũt. *c.* 1. *cum sequen. dist.* 51. Vel qui in causa sanguinis ministerium suum præstarunt. *d. cap.* 1. *prout latius dixi, quando egi de irregularitate ex homicidio.* Secus autem dicendum est de illis Officialibus, qui impenderunt suum officiũ in causis ciuilibus, vel pecuniarijs. *Hostiens. loco cit. n.* 5. *& Goffred. loco cit. & DD. comm.*

Curiales cur repellantur a Clericatu.

Aduerte secundo *cum Hostiens. in sum. §. finali de obligat. ad ratiocinia, & Goffredo loco cit.* hoc impedimentum esse in Curialibus introductum, tres ob causas. Primo, quia quidam eorũ sunt personæ humiles, & frequenter contrahunt irregularitatem ex suo officio. Secũdo, quia Ecclesia multa incommoda, & molestias patitur quando contingit istos reuocari. *c. praeterea dist.* 51. Tertio quia præsumitur contra eos, quod non transeant ad clericatum voto Religionis, sed ad fugienda ratiocinia dominorum suorum. *c.* 1. *dist.* 53. *vbi glossa in verbo, Curiales.*

Corporis vitium excludit a clericatu.

Quartus defectus inducens irregularitatem, est corporis vitium, *vt toto titulo de corpo. vitiatis ordin. vel non ordin. & tit. de cler. aegrotan. ministr.*

Corpore vitiatus ille dicitur, qui est mutilatus, vel debi-

Quis dicatur corpore vitiatus.

litatus, vel deformis. Mutilatus autem est, qui membro caret. *Hostiens. & Goffred. in sum. de corpore vitiatis, num. 1.* Debilitatus appellatur ille, qui membrum habet, sed inefficax ad operandum, vt oculum cæcum, manum aridam, crus confractum, &c. *Hostien. in summ. loc. cit. d. nu. 1 Goffred. in summ. eod. tit. & Franciscus Leo in suo Thesauro fori Ecclesiastici parte 3. cap. 9. n. 7. cum sequent.*

Quæ mutilatio inducat irregularitatē.

Multipliciter potest quis mutilari: in membro magno, vel paruo, in membro apparente, & patente, & in membro non apparente, & occulto.

Membrum dupliciter potest denominari magnum: vel a quantitate, vt manus, pes, brachium, &c. vel a decore, & qualitate, vt lingua, oculus, nasus, &c. *Goffred. & Hostien. locis citatis.*

Quæ deformitas faciat irregularem.

Deformis est ille, qui notabilem diminutionem, vel excessiuitatem patitur in mēbris, vt gibbosus, claudus, habens maculam in oculo, &c. *Panor. in c. cum de tua, 2. & in c. final. prope finem, de corpor. vitiat.*

Patiens ergo defectum notabilem in magnis, & integris membris, est irregularis, & non potest promoueri; & si iam est Sacerdos, & contrahit huiusmodi defectum, in cæteris officiis toleratur, preterquam in Altaris ministerio. *c. presbyterum, 2. de Cler. ægrot. ministr. Hostiens. in summa de corpor. vitiat. n. 3.* Patiens autem corporis defectum in paruis membris, sine propria culpa, dummodo non sit notabilis deformitas, & impotentia ad frangendum, potest promoueri. *d. cap. presbyterum. Hostiens. loco cit. Butrius loco supra cit. nu. 3. & 7.* Qui enim caret vngula pollicis, vel indicis, potest promoueri, quia propter huiusmodi carentiam non efficitur debilis in vsu dictorum digitorum. *cap. fin. vbi Panor. de corp. vitiat. Tolet. in sum. lib. 1. c. 63. n. 2.* Nam defectus membri, vel eius augmentum, non consideratur nisi in quantum illius vsum impedit. *l. idem Ofilius, 10. ff. de ædilit. edicto;* Et in quantum deformitatem generat. Et ideo deformitas in mēbris apparentibus, & debilitas in membris apparentibus, & nō apparentibus, causant irregularitatē. *Hostien. loc. cit. n. 4.*

Debilitas quando inducat irregularitatem.

Quando autem dubitatur, an debilitas, vel deformitas sit talis, vt inducat irregularitatem, tunc relinquitur arbitrio Ordinarij determinanda. *Innoc. in c. 1. de corp. vitiat. Hostien. loco cit. Goffred. in sum. eod. tit. n. 6. Nauarr. in manuali c. 27. n. 200. vers. quis autem.*

Quando enim est modica debilitas, vel deformitas, nullam.

Modica debilitas, vel deformitas non facit irregularem.

lam parit irregularitatem. *cap. cum de tua, 2. de corp. vitiatis. Panor. in d. cap. finali vbi etiam Butr. n. 3. & 7. & DD. communiter*. Modica enim ex se non habentur in consideratione. *glos. in cap. exposuisti, 6. verbo, enormi, de corpore vitiat.* vt est carentia vnguIæ in pollice, & similia: dummodo tamen non reddat impotentem ad frangendam Eucharistiam. *cap. finali de corpore vitiat.*

Hic nota cum *Panor. in c. 2. num. 2. de cler. ægrot. ministr.* bonam regulam ad cognoscendum, an, & quando, clerico infirmo, vel debilitato est interdicendum Sacerdotale Officium: nimirum quando adest quælibet causa, quæ eum reddat debilem, vel deformem ad exercẽdum illud officium.

Dixi superius, patientem defectum in paruis membris, sine propria culpa, non esse irregularem: nam si adest culpa, vel quia sponte id fecerit, siue alius sua culpa, vt quia iussit, aut dando operam rei illicitæ id casu contigit, vel in pœnam alicuius delicti, aut a suis inimicis fuerit abscissum; tali casu oritur ex modico defectu ista irregularitas. *cap. 1. de corpor. vitiat. cap. qui partem, 55. dist. Panorm. in cap. fin. nu. 1. de corp. vitiat. Hostiens. in summ. eadem titulo.*

Quod adeo verum est, vt etiam si ob aliquem bonum finem videatur aliquis in se sæuire, attamen irregularitatem contrahat. *c. maritum, & c. cõmuniter, 33. dist.* Exemplũ habetur in eo, qui sibi amputauit virilia, vt esset castus. *c. si quis absciderit, et c. si quis à medicis, dist. 55. c. significauit 4. vbi Panor. nu. 1. de corp. vitiat. & Hostien. loc. cit. Goffred. in summ. eodem tit. nu.* 8. Nemini enim licet sæuire in corpus suum, cum nemo sit dominus membrorum suorum. *l. liber homo, 13. ff. ad legem Aquil.*

Ad hunc defectum reducitur morbus, qui abominationẽ in populo pariat, qualis est lepra, scabies, & similia, &c. Patiens enim aliquam ex huiusmodi infirmitatibus, non solũ non potest promoueri ad ordines, sed promotus remouetur ab eorum exercitio. *cap. de rectoribus, 3. vbi Panor. n. 1. c. tuanos, 4. vbi idem Panor. de cleric. ægr. ministr.*

Lepra, scabies &c. inducunt irregularitatem.

Idem dicendum de eo, qui epilepsia, seu morbo caduco laborat frequenter, cum spuma, & clamore. *c. nuper. c. in tuis litteris, vbi glos. in verbo, quod autem in fine, 7. quæst. 2. cap. maritum. cap. communiter. dist. 33.*

Morbus caducus quomodo, & quando inducat irregularitatem.

Si autem sunt promoti ad sacros ordines, & per annum passi non fuerint talem morbum, in totum præsumuntur

liberati, ac propterea admittuntur ad suorum ordinum exercitium. *d. cap. communiter vbi glos. dist.* 33. Dixi, per annum, quia quando dubitatur an vnquam tali morbo laborauerit, sufficit probatio triginta dierum. *d. cap. nuper*, *vbi glos. in verbo*, *triginta*, *& in d. cap. communiter, in verbo, de ijs.* Si vero de raro laboret, & sine clamore, & spuma, tunc permittendus est celebrare cum coadiutore, qui suppleat sacrificium, si fortè ille defecerit. *cap. illud* 7. *quæst.* 1. *glossa in dict. cap. communiter*, *in verb. de ijs*, *& in cap. in tuis litteris*, 7. *quæst.* 2.

Quod dixi de epileptico, dicendum est etiam de energumeno, furioso, & amente; hi enim non possunt promoueri ad ordines. *d. cap. maritum*, *cap. Clerici*, *& cap. vsque adeo dist.* 33.

Si vero post promotionem inciderunt in huiusmodi desolationem, non possunt admitti ad ministerium Altaris, nisi per annum liberati inueniantur ab huiusmodi incursibus. *dicto cap. communiter, vbi glossa in verbo*, *de ijs*. Vel de raro, & sine clamore, & spuma huius molestias passi sint, & sic poterunt admitti cum assistentia coadiutoris, vt supra diximus.

Furiosos appello illos, qui aliquando insaniuerunt. *d. c. maritum*.

Quintus defectus inducens irregularitatem, est defectus animæ, id est defectus ad animæ perfectionem consistens, qualis est defectus scientiæ, & fidei. *Defectus animæ.*

Quod defectus scientiæ causet istam irregularitatem, patet ex *cap. illiteratos*. 36. *dist. & cap. qui in aliquo dist.* 51. Hoc tamen intelligendum est de penitus illiteratis, nam non est necesse vt promouendus habeat omnimodam scientiæ perfectionem, sed sufficit vt habeat mediocrem, & eam, quam requirit ordo, ad quem promouendus est, vt notat *glossa in d. cap. illiteratos*, *in verb. illiteratos*, *& Concilium Trid. sess.* 22. *cap.* 2. *& sess.* 23. *cap.* 4. *&* 11. *&* 13. *cum sequen.* Ad primam enim tonsuram requiritur legendi peritia: ad minores ordines linguæ Latinę intelligentia: ad sacros Subdiaconatus, & Diaconatus ordines peritia eorum, quæ ad illorum exercitium spectant: ad Presbyteratum sciẽtia Sacramentorum, & articulorũ fidei, vt populum docere, & Sacramenta illi ministrare possit. *Illiterati quando sint irregulares.*

Quod absolutus defectus fidei inducat irregularitatẽ, iam probaui supra, dum egi de irregularitate ex delicto; cum non sit defectus, sed delictum, &

cri-

crimen; & de huiusmodi defectu hoc loco non agimus, sed solum agimus de defectu illo fidei, qui est in Neophito, id est de recenter, & in adulta ætate baptizato, & hic inducit irregularitatem. *cap. qui in aliquo, 51. dist. c. quoniam, 48. dist.*

Bigamus.

Sextus defectus inducens irregularitatem est Bigamia, quæ oritur ex Sacramenti Matrimonij defectu; hoc est ex multiplicitate nuptiarum carnali copula consummatarum. *c. aperiant, 31. q. 1. c. acutius, c. deinde ponitur, 26. dist. c. debitum, 5. §. fin. & c. fin. de bigamis vbi Panor. Hostien. & Goffred. in sum. de bigam. n. 1. Tolet. in sum. eod. tit. num. 1. Specul. lib. 1. partic. 1. n. 6. de dispensat.*

Sacramenti defectus quãdo sit.

Defectus autem in Sacramẽto est, cum Sacramenti significatio integra non reperitur, prout in bigamia, quę impedit, immo tollit integram Sacramenti Matrimonij significationem: Sacramentum enim Matrimonij significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam, quæ est vnius ad vnam. *d. c. debitũ.*

Duplex Sacramẽtum in matrimonio.

Nota cum *Goffred. loc. cit. n. 2. & Hostien. in summ. de bigam. nu. 6.* duplex Sacramentum in matrimonio attendi, propter duplicem coniunctionem. Prima est coniunctio animorum. *cap. sufficiat, 27. q. 2. d. c. debitum*; & hæc significat coniunctionem fidelis animæ cum Deo, quæ dissoluitur per peccatum mortale; & illa ante carnalem copulam dissoluitur per ingressum Religionis. *cap. verum, 2. & c. ex publico, 7. de conuers. coniug. gloss. in c. acutius in verbo, de Sacramẽto, 26. dist.* Secũda coniunctio est corporum. *c. Agathosa, 27. q. 1. d. c. debitum*. Et hæc significat coniunctionẽ Christi, & Ecclesiæ; vel Deitatis, & Humanitatis. *glos. loco cit.*

Hoc matrimonium Christi, & Ecclesiæ, fuit initiatum in Prophetis, & Patriarchis, ratum in natiuitate, quando suscepit carnem humanam, consummatum in cruce; vel ratum in cruce, & consummabitur in cœlesti Patria.

Bigamia quare inducat irregularitatẽ.

Cùm ergo coniunctio, tam Christi cum Ecclesia, quam Deitatis cum Humanitate, sit vnica, & pluralitatem excludat; ideo bigamus, qui ad secundas nuptias transiuit, recessit ab ista vnitate, & ob talem voluntariam sui diuisionẽ excluditur ab omnibus ordinibus quatuor ob causas: Primo ob Sacramenti defectum. *c. debitum, de bigamis*. Secundo ob prærogatiuam ordinis. *c. vna, 26. dist.* quæ imperfectionem excludit. Tertio ob præsumptionem incontinentiæ; presumitur enim incontinens, qui mortua vxore transiuit ad aliam. *c. proposuisti, 82. dist.*

Quarto, quia non poterit alijs suadere Castitatem, & Viduitatem, cum ipse coniugia frequentauerit. *d.c.vna, 26.dist.*

Quę causę ab omnibus DD. communiter recipiuntur, & allegantur à *Panor. in rubr. de bigamis. Specul. lib. 1. partic. 1. num. 4. de dispensat. Goffred. in sum. de bigam. num. 2.*

Bigamia species. Tres sunt bigamiæ species, vera, similitudinaria, & interpretatiua. *glos. in c. super eo, 2. in verbo, in bigamis, de bigam. Panorm. in d.c. super eo, num. 8. Goffred. loco cit. nu. 1. Specul. loc. cit. Syluest. in summa, verbo bigamia, num. 3. in fine.*

Vera. Bigamia vera est illa, quæ oritur ex duobus matrimonijs successiuè, & canonicè ab vna eademque persona contractis, & consummatis. *c. deinde, & c. qui sine crimine, 26. dist. c. aperiant, 31. q. 1. Panor. in d. cap. super eo, n. 8. in fine Goffred. loc. cit. n. 1. Specul. loco cit. Hostiens. in summ. eod. tit. num. 2. Syluest. loco cit.*

Similitudinaria. Similitudinaria insurgit ex matrimonio contracto de facto post solemne votum Castitatis a Subdiacono, Diacono, vel Presbytero, vel a Religioso professo post emissam professionem: isti enim per votum solemne Castitatis, & per emissam regularem professionem, spirituale matrimonium cum Deo contraxerunt, & propterea si attentet aliud matrimonium cum muliere celebrare, contrahunt ex ista duplicitate nuptiarum bigamiam. *Specul. Sylu. Goffred. locis supra cit.*

Interpretatiua. Interpretatiua demum, quantum ad legem promotionis, est illa, quæ insurgit ex matrimonio contracto, & consummato cum vidua, & corrupta; vel cum corrupta tantum. *c. 1. & c. de bigamis, 3. eod. tit. c. debitum, 5. & c. fin. de bigam. c. curandum est, & cap. si quis Viduam, 34. dist. c. qui in aliquo, 51. dist. c. nemo, vbi glos. 32. dist. c. maritum, 33. dist.* Vel ex duobus matrimonijs, vno de iure, & altero de facto, & inualide cõtractis, & consummatis. *c. nuper, 4. vbi Panorm. n. 4. de bigam. Specul. Goffred. locis supra citatis.*

Et hoc adeo esse verum affirmat *Panor. in d.c. super eo, nu. 8.* vt etiamsi vir ignoret suã vxorem non esse virginem, sed corruptam, & ita bona fide existimans illam virginem carnaliter cognoscat, attamen irregularitatem contrahat, quia lex promotionis factum considerat.

Limitatur. Hoc tamen limita, quando vxor fuerit ante matrimoniũ deflorata ab eodem suo marito: tali enim casu caro non est diuisa, sed adhuc remanet vna, sunt enim duo in carne vna: & propterea nulla ex dicta

præ-

præcedenti defloratione insurgit bigamia, & consequenter neque irregularitas, *arg. d. cap. debitum, vbi Panor. num. 2. de bigam. glos. in cap. clerici, verbo, contraxerunt, de cleric. coniug. in 6.* & ratio est in promptu, quia matrimonium retrotrahitur ad præcedentem deflorationem. *cap. tanta, 6. qui filij sint legitimi.*

Bigamia ex duobus matrimoniis nul liter contractis.

Siue ex duobus matrimonijs de facto, & nulliter contractis, sed consummatis: lex enim quoad incursum istius bigamiæ non respicit nullitatem facti, sed affectum intentionis cum opere subsequuto. *d. c. nuper in fine, & c. fin. de bigam.*

Ad hanc etiam interpretatiuam bigamiam reducitur illa, quam contrahit, qui duxit vxorem virginem, sed post adulterium ab ea perpetratum, illam siue adulterij huiusmodi conscius, siue inscius non dimittit, sed retinet, & iterum carnaliter cognoscit. *c. si cuius vbi Archid. & c. si laici, vbi glossa, 34. dist. Panor. in d. c. super eo, num. 8. de bigamis Goffred. loc. cit. n. 8. Turrecrem. in c. si quis viduam, dist. 34.* diuidit enim carnem suam sicut quando contrahit cum corrupta. *gl. in c. 2. verbo, bigamis de bigamis.* Lex enim promotionis solummodo respicit factũ, non autem errorem, & alia extrinseca ipsius facti. *c. vltimo, §. vlt. 15. q. 1.* & non agitur de vitio ordinandi, sed de Sacramenti defectu. *Panor. loc. cit.*

Lex promotionis, quæ respiciat.

Hic nota quod ad incurrendam bigamiam duo necessario requiruntur: contractus videlicet matrimonij de iure, vel de facto, & copula; si alterum desit, non contrahitur ista bigamia. *cap. quia, 6. vbi Panor. n. 1. & cap. a nobis, 7. vbi idem Panor. nu. 1. & cap. debitum, 5. vbi idem Panor. nu. 1. de bigamis. Goffred. loco cit.* Et hanc ob causam qui plures habet concubinas, non contrahit vllam bigamiam, & per consequens neque irregularitatem, *d. cap. quia circa, vbi Panorm. num. 1. de bigamis.*

Ad bigamiã contrahendã duo requiruntur.

Et hæc satis sit præmisisse pro intelligentia terminorum huius Tertiæ nostræ Partis.



FORMVLA ABSOLVTIONIS.

Pro Laico, qui manus violentas *Iniecit in Clericum, seu Presbyterum.*

Quando aliquis Clerici Percussor ad Vrbem pro absolutione obtinenda personaliter accedere nequit, & ad Maiorem Pœnitentiarium recursum habet, & causa non accedendi ad Vrbem legitima reputatur; in hunc modum Litteræ absolutionis expediuntur, si percussio est occulta.

FR. Antonius Barberinus, &c. Discreto viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligendo, salutem in Domino. Ex parte latoris præsentium nobis oblata petitio continebat: Quod ipse aliàs iracundia percitus Sacerdotem fuste percussit, & idcirco in excommunicationem incidit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, lator prædictus de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, & ad Vrbem certis ex causis pro absolutione desuper obtinenda personaliter accedere nequeat; pro suæ continentiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui. Quare supplicauit humiliter, vt sibi super his de opportuno remedio prouidere dignaremur. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini Papæ curam gerimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, authoritate Apostolica specialiter nobis concessa, discretioni tuæ committimus, quatenus si est ita, di-

ctum

ctum latorem, audita prius ipsius sacramentali Confessione, postquam dicto Sacerdoti, si nondū satisfecit, satisfecerit, vel per eum nō steterit quominus arbitrio tuo satisfaciat cōpetententer, caute tamen, ne se prodat, ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrit, absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta: Iniuncta inde ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, & alijs, quæ fuerint de iure iniungenda in foro conscientiæ, & in actu sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, neque vllo alio modo, Ita quod huiusmodi absolutio in foro iudiciario nullatenus suffragetur. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub Sigillo officij Pœnitentiariæ, tertio Idus Iunij, Pontificatus Domini Vrbani Papæ Octaui, Anno Decimo.

Fr. Antonius Barberinus, &c. Ne tempus frustra conteramus in replicandis, & repetendis ijs, quę in alijs duabus præcedentibus Partibus abundātius explicauimus occasione aliarum formularum, cum quibus hæc formula, quam præ manibus habemus explicandam, multa in communione habet; ideò ea solum hic attingam, quæ propria huius nostræ formulæ sunt.

Sacerdotem, &c. Si percussus esset posteà repertus clericus minorum ordinum, vel in Subdiaconatus, vel Diaconatus tantum ordine constitutus, nunquid ob falsam huiusmodi expressionem gratia vitiaretur? Credo quod non; nam cui conceditur maius, videlicet absolutio pro percussione Sacerdotis, multo magis videtur concedi, quod minus est, videlicet absolutio propter percussionem Clerici, vel Subdiaconi, &c. arg. *l. filiusfamil. §. fin. ff. de donat. l. Marcellus,* 15. *ff. de donat. causa mortis. l. non debet,* 22. *ff. de reg. iur. cap. ex parte,* 27. *de decimis.*

Maior difficultas esset, si loco sacerdotis percussi, exposuisset clericum percussum, cum qualitas personæ lęsæ videatur notabiliter immutata, & eo maximè, quia omnis sacerdos est clericus. *c. tua,* 3. *de clericis peregrinis. c. clericos.* 4. *de offic. Vicarij*; sed non omnis clericus est sacerdos. Nihilominus hoc non obstante existimo non vitiari, si percussus est

Nomine clerici veniunt simplices sacerdotes.

est simplex sacerdos, gratiam: cū per istam qualitatem suppressam, non remoueatur huiusmodi percussio à qualitate mediocris percussionis: & insuper eadem est censura pro vtroque; immò censura ista respicit clericatum simpliciter, & non sacerdotium: nam *in c. si quis suadente*, 17. *q.* 4. *& in toto tit. de senten. excommun.* semper nominantur clerici, & non sacerdotes, dū agitur de huiusmodi censura: immò *in rubr. c. perpendimus*, 23. *de sent. excomm.* quando agitur de interfectore sacerdotis sæuis enormitatibus se immiscentis, percusus, & interfectus sacerdos non appellatur Sacerdos, sed Clericus: ideò cum S. Canones nullam differentiā faciant quoad istā cēsuræ incursionem inter sacerdotem, & clericum, neque nos debemus facere.

Dixi, simplices sacerdotes: nam si essent in dignitate constituti, non credo absolutionem suffragaturam sub narratiua quòd clericum percusserit, vt optimè meo iudicio colligitur ex *c. cum illorum*, 32. *§. qui si claustrales, de sentent. excommun.* vbi ad religionis fauorem conceditur Prælatis regularibus facultas absoluēdi ab huiusmodi censura laicos à seculo fugientes, & monachalem habitum suscipientes, qui postea confessi sunt se ante huiusmodi habitus susceptionem manus violentas in clericos iniecisse; nisi violentia huiusmodi facta fuerit Episcopis, seu Abbatibus, aut similibus personis. Hinc ergo sequitur, quod quando in facultate absoluendi nō exprimitur ista qualitas, censetur percussio simplicis clerici, seu sacerdotis, & non clerici constituti in dignitate.

Sacerdotes in dignitate cōstituti, nō veniunt sub nomine clerici in odiosis.

Ad Vrbem, &c. Quando percussio est enormis, absolutio spectat ad solum Papam. *c. si vero*, 4. *vbi Panorm. nu.* 2. *c. peruenit*. 17. *vbi idē Panorm. de sent. excom. & DD. cōmunit.*

Percussio enormis dicitur non solum quando est cum effusione sanguinis causata ex vulnere, vel cum mutilatione membri; verum etiam quando percussio fit in publico, videlicet in platea, in theatro, in Ecclesia, &c. *instit. de iniur. §. atrox. Panorm. in d. c. cum illorum, nu.* 9. *de sent. excomm.* Vel percutitur persona qualificata, vt Episcopus, Abbas, &c. *cap. cum illorum supracit. vbi Panorm. num.* 9. Idem dicendum de percussione mediocri. *c. porrò*, 7. *de sent. excom.* Ab excommunicatione enim pro leui percussione, quæ fit ligno, manu, pugno, & similibus, quæ non faciunt

Percussio enormis.

ciunt vulnus, potest absoluere Episcopus. *d. cap. peruenit. vbi Panor. n. 2. & c. si vero, num. 3. de sen. excomm.*

Causæ quæ excusant à personali accessu ad Vrbē

Certis ex causis, &c. Non quælibet causa excusat percussorem clerici à personali accessu ad Vrbem pro absolutione obtinenda à Sede Apostolica; sed causa tantum legitima, & canonica. Quænā sint istæ causæ, breuiter attingam.

Puerilitas.

Primò, ætas excusat, id est puerilis infra pubertatem. *c. 1. c. quamuis, 58. vbi glos. in verbo, puerilis, & c. final. de sen. excom. glos. in c. si quis suadente, verb. violentas, 17. q. 4. Panorm. in d. c. 1. num. 1. Goffr. in summ. de senten. excomm. num. 5.*

Senectus.

Ætas senilis adeò grauis, vt non sit capax laboris veniendi ad Vrbem. *c. quod de his. 26. & c. ea noscitur, 13. de sen. excomm. Goffred. loco citat. Panorm. in d. c. ea noscitur in princip.*

Sexus.

Secundò excusat sexus ab obligatione veniendi ad Vrbē & ideò mulieres excusantur, non tenentur enim accedere ad Vrbem, siue sint iuuenes, siue senes, siue diuites, & sui iuris sint, siue pauperes, quia mulierum itineratio semper est periculosa. *cap. mulieres, 6. vbi Io. Andr. n. 1. de senten. excom. & d. c. ea noscitur, de sent. excom. vbi Panor. n. 1. Goffred. loco cit.*

Conditio status

Tertiò conditio, & qualitas status percussoris: nam serui, qui non sunt sui iuris, non tenentur accedere, quando eorum dominus non fuit in culpa, & graue damnum passurus sit ex absentia serui, vel seruus id fecerit in fraudem domini sui. *c. relatum, 37. vbi Panorm. de sent. excommun. in princip.* Idem dicendum de filiofamilias, qui adhuc est sub patria potestate. *Panorm. in d. c. mulieres, num. 5. de sent. excomm. Turrecr. in d. cap. si quis suadente, num. 11. & alij.*

Magnates quando excusantur.

Magna potentia, & delicata cōplexio excusāt Magnates, & Principes ab obligatione accedendi ad Vrbem, quando propter delicatam cōplexionem non possunt laborem itineris ad Vrbem accedēdi sustinere, sed priusquam ab Episcopo, & Ordinario absoluantur, debet eorum qualitas Romano Pontifici intimari, *d. c. mulieres, vbi Panorm. num. 6. Goffred. loco cit.*

Status regularis excusat etiam nouitios.

Item status religiosus excusat ab huiusmodi obligatione *c. monachi, 2. c. canonica, 50. & cap. cum illorum, 32. de senten. excommun.* vbi allegatur pro causa, *ne regularibus materia euagādi subtrahatur. & c. quoniam, §. final. vbi glos. in verb.*

qui

qui simul viuunt, de vita, & honest. cleric. Et hoc intelligit etiam de nouitijs *Io. Andr. in dd. c. monachi, n. 1. & c. cum illorum. n. 9.*

Paupertas.

Quartò. Paupertas, quæ sit adeò grauis, vt impediat accessum ad Vrbem. *d. c. quãuis de sent. excom. glos. in d. cap. ea noscitur, in verb. pauperes, vbi etiam Panorm. n. 5. de sent. excom. Io. Andr. in c. quod de his, n. 4. & in d. c. ea noscitur, n. 5. de sent. excomm.* Ibi enim dicunt pauperem nihil habentem, vnde viuat, nisi ex artificio suo, quod non potest exercere in itinere, excusari ab accessu ad Vrbem. *Turrecrem. in c. si quis suadẽte, n. 10. Anchar. in c. ea noscitur n. 6. de sent. excomm.* Necnon etiam solitum mendicare, & ex mendicitate prospicere sibi, & vxori, ac familiæ, excusari, cùm itinerando non possit prospicere vxori, & familiæ; & ita debere intelligi prædictum *c. quamuis. Goffr. ait in sum. de sent. excom. n. 5.* Secus verò dicendũ est de paupere, qui est solitus mendicare, & non habet familiam, cui prospicere teneatur, & est potẽs ad iter faciendũ, hic enim tenetur accedere, & non excusatur ob paupertatẽ; & in hoc sensu intelligitur prędictum *capitulum ea noscitur. Ioan. Andr. & Panorm. loc. præcit.*

Infirmitas.

Quintò, infirmitas excusat, *dd. c. ea noscitur. c. quod de his, & cap. quamuis, de sen. excom.* Quod tamen intellige de infirmitate, quæ impediat, vt infirmus non possit subire laborem accedendi ad Vrbẽ, *d. c. quod de his. vbi Io. Andr. n. 3. & Panorm. n. 1.*

Mortis articulis excusat. *cap. si quis suadente, 17. q. 4. cap. non dubium, 5. vbi Panor. num. 1. & d. c. ea noscitur, vbi idem Panorm. num. 2. de sent. excom. c. quod de his, vbi Panorm. in fin. eod. tit. de sent. excom. c. pastoralis. §. præterea, vbi glos. in verb. preterquam de offic. iudic. ordin.*

Articulus mortis quando sit.

Articulus mortis, & periculum mortis, est idem, vt *glos. in cap. pastoralis præcit. in verb. præterquam in mortis articulo.*

Articulus mortis tunc est, quando ex acuta, vel multum graui infirmitate, siue ex obsidione, siue ex bello, siue probabili naufragio, vel ex itinere per loca periculosa. *l. 3. ff. de donat. causa mortis.* vel ex alio periculo probabiliter imminet mors. *Io. Andr. in d. c. quod de his cit. n. 2. vbi etiam Panormit. & glos. in dict. cap. pastoralis, Turrecrem. in dict. cap. si quis suadente, n. 9. & 25.*

Periculum mortis.

Periculum mortis tunc est, quando in eo frequenter homines

mines

mines moriuntur. *Paludanus in 4. dist. 17. q. 2. de confessione quoad eius introductionē, obligationē, &c. vers. tertius casus.*

Inimicitia capitalis. Sextò, inimicitia capitalis excusat ab accessu ad Vrbē. *cap. de cætero 11. vbi Panorm. nu. 1. & c. quamuis, 58. de sent. excom. Goffred. in sum. de sent. excom. n. 5. Felin. in c. accedēs, 4. nu. 4. Vt lite non contestata. Butr. in c. de cætero, 11. n. 2. de sent. excom. Turrecr. loco supra cit. n. 9.*

Quando autem habeat locum ista excusatio inimicitię capitalis, stabitur arbitrio boni viri. l. *continuus, 138. §. cum ita, ff. de verb. obligat. Turrecrem. loco cit. & alij.*

Leuis percussio excusat. Septimò, modica, & leuis iniuria excusat. *c. peruenit, 17. vbi Io. Andr. & Panorm. nu. 2. c. cum illorum, 32. vbi Panor. n. 1. c. canonica, 50. & c. relatum, 37. de sen. excom.*

Officium. Octauo, officium Ostiarij, seù alterius similis muneris excusat, si in eius licito exercitio excedatur modus correctionis. *c. si vero, 3. vbi Panorm. n. 2. de sent. excom.*

Immoderata defensio. Nono, immoderata propulsatio vis sibi per clericum illatæ excusat. *d. c. si vero, §. si vera.*

Dubium. Decimo dubietas causæ, id est, excōmuncationis incursæ, tādē excusat ab accessu ad Vrbem. *c. si vero, 4. in principio. de sent. excomm.*

Et hæc solent esse causæ legitimæ & excusantes ab obligatione accedendi ad Vrbem pro absolutione. Quas causas *Io. Andr. & Panor. in d. c. cum illorum, num. 1.* his versibus comprehendunt memoriæ facilioris causa.

Regula, Mors, Sexus, Hostis, Puer, Officialis,
Deliciosus, Inops, Aeger, Senexque, Sodalis,
Ianitor, Astrictus, Dubius, causæ leuis Ictus
Debilis, absolui sine summa Sede merentur.

Quæ causæ licet omnes excusent à personali accessu ad Vrbem, attamen non omnes excusant, vt per supplicem libellum non reccurratur ad Sedem Apostolicam pro absolutione obtinenda, quando id fieri cōmodè potest. Quādo, & quæ causæ excusent à personali accessu, & à recursu per litteras, non est hic locus explicandi, cum præsupponamus necessitatē recursus huiusmodi. Ideò ad alias nostræ formulæ partes explicandas deueniamus.

Dictum Latorem, &c. Quod de necessitate istius absolutionis præcedere debeat sacra-

sacramentalis Confessio, vide quæ diximus in prima Formula Secundæ Partis huius nostræ Praxis.

Dictio, postquam importat conditionem.

Postquam dicto Sacerdoti, si non dum satisfecit, &c. Cum dictio, *postquam*, importet conditionem, *l. inter illam*, 217 *ff. de verb. signif. Bart. in l. quibus diebus*, 40. §. *Termilius. n.* 7. *ff. de condit. & demonstr.* & actus conditionalis nō possit habere suum effectum, nisi adimpleta conditione. *l. quia autem*, 6. §. *fin. ff. si quis omissa causa testam.* ideò hic nō potest absolui, nisi præstita satisfactione: quæ quidem satisfactio partis læsæ, id est recompensatio illatæ iniuriæ, secundum iustitiæ æqualitatē debet præcedere absolutionem. *c. porrò*, 7. *vbi Panor. num.* 3. *& c. parochianos*, 9. *c. quamuis*, 58 *vbi glos. in verb. satisfaciat. c. ea noscitur*, 13. *vbi idem Panor. nu.* 3. *& in c. ex tenore*, 10. *n.* 1. *de sent. excom. c. cum tu*, 5. *de vsuris.*

Quænam satisfactio præcedere debeat, *Io. And. & Pan.* indicant *in d. c. ea noscitur:* videlicet, refectio expensarum, damnorum circa patrimoniū, vel fructus beneficij ob sui absentiam, & interesse circa medicos, & medicamēta, & circa mercedem licitorum laborū intermissorum, & passorum ex percussione: & non sufficiet flectere genua iniuriato, & petere veniam, sed percutiens prætereà tenetur satisfacere de damno, & de iniuria illatis, quæ æstimabitur secundum quantitatem iniuriæ, & qualitatem personæ iniuriatæ; nam secundùm gradum dignitatis, vitæque honestatem crescit, ac minuitur æstimatio iniuriæ. *institut. de iniurijs*, §. *pœna autem. Anchar. in d. c. ea noscitur, n.* 3. Et ex persona iniuriantis. *Ioan. Andr. in cap. cum illorum*, 32. *num.* 17. *& in cap. quamuis*, 58. *num.* 1. *de sent. excomm.*

Iniuria quomodo mensuranda.

Iniuria etiam compensatur pecunia, *cap. olim*, 7. *vbi Panorm. num.* 3. *de iniuriis. dict.* §. *pœna autem, institut. de iuiurijs. Ioan. Andr. in dict. cap. ea noscitur, num.* 4. *de senten. excommunic. & ibi etiam Ancharan. num.* 3. *Goffred. in summa, de iniurijs, num.* 4.

Si percussus fuit religiosus, pœna huiusmodi applicabitur illius Monasterio. *cap. cum ad monasterium*, 6. *de statu Monach. glos. in d. c. Parochianos, ver. in monachos, de sent. excomun. Dec. in cap. in præsentia*, 8. *num.* 222. *de probat. Butr. in cap. non dubium*, 5. *num.* 7. *de senten. excomm. & in d. c. Parochianos, n.* 6. *& n.* 9.

vbi

vbi etiam Anch. n.4. Et ideò remissio iniuriæ per monachū percussum facta, non suffragatur percussori. *gloss. in dict. c. Parochianos, in verb. in monachos. Decius in d. cap. in præsentia, num. 223. Butr. in dict. cap. non dubium, num. 7. & in dict. c. Parochianos, num. 10.*

Si verò percussus est Clericus secularis, pœna prædicta ipsi Clerico applicatur. *l. item apud Labeonem, 15. §. item si liberum, ff. de iniur. Io. Andr. in d. c. Parochianos, n. 6. Panor. in d. c. olim, 7. n. 3. de iniurijs. Butr. in d. c. Parochianos, n. 1. in fine, vbi etiam Anchar. n. 5. Bart. in l. 1. §. idem ait, ff. de iniurijs:* nisi percussio fuisset facta in contumeliam, & odiū Episcopi, vel Ecclesiæ; hoc enim casu, etiam Episcopo, vel Ecclesiæ præstanda esset satisfactio. *Io. Andr. in d. c. Parochianos, n. 6. & ibi Anchar. num. 5. Butrius in c. contingit, 36. num. 10. de sentent. excommunic.*

Iniuriæ æstimatio facienda de tempore, quo fuit illata.

Iniurię autem ęstimatio fieri debet de tempore, quo illata fuit, non autem ad tempus, quo iudicatur. *l. iniuriarum æstimatio, 21. vbi gloss. ff. de iniur.* Fieri enim potest, vt postea persona læsa fuerit facta vilior, vel honestior.

Dictio, vel, est alternatiua.

Vel per eum nō steterit, &c. Dictio, *vel*, est dictio alternatiua. *l. si ita stipulatus fuero, 12. ff. v erb. oblig. Bart. in l. supra iter, 11. §. officium, n. 3. ff. de aqua pluu. arcen.* & in alternatiuis sufficit vt vna pars sit vera. *regula, in alternatiuis, 70. de regul. iur. in 6.* Siue ponatur in oratione affirmatiua, siue in negatiua, vt bene aduertit *Decius in cap. inter cæteras, 4. num. 26. de rescript.* Et ideò ad hoc, vt hic possit absolui, satis est, vt, vel satisfaciat prius quam absoluatur, vel sit paratus quantum in se est, ad satisfaciēdum cessante impotentia, qua forsan detineatur quominus possit satisfacere; nam ista conditio, quoad effectum obtinēdæ absolutionis, pro adimpleta habetur, si non stat per eum, quominus adimpleatur: quia conditio pro adimpleta habetur, si non stat per eum, qui adimplere tenetur. *regul. cum non stat, 66. de regulis iuris in 6.*

Ista autem impotentia potest ex eo prouenire, quia percussor, vel non est in loco, vbi percussus tunc commoratur; vel est impotens ob infirmitatem, vel ob paupertatem, vel aliam ob causam, ad præstandum debitam satisfactionem percusso. Hoc casu medio iuramento promittat satisfacere, vbi primum poterit. *argum. c. Odoardus, 3. de solut.*

Si

Omissio iuramenti non vitiat absolutionem. Si omittatur iuramenti huiusmodi delatio, adhuc absolutio ab excommunicatione valet, vt bene aduertunt *Panor. & Dec. in cap. quæstioni*, 21. *num*. 5. *de appellat. & glossa in cap. cum desideres*, 15. *in ver. præstitum de sentent. excommunicat. quam sequuntur DD. communiter, & Anton. de Butrio in c. ab excommunicato*, 41. *vers. venio ad secundum, de rescriptis*. Quod tamen intellige de forma absolutionis data à iure, secus si forma sit data ab homine, quæ omnino obseruanda est.

Quominus, &c. Dictio *quominus*, idem importat, ac *vt non. l. 1. C. ne vxor pro marito conueniatur*.

Arbitrio tuo, &c. Olim pœna pro iniuria illata committebatur ex Prætoris lege arbitrio ipsius iniuriati, qui medio iuramento coram Iudice deponebat se tāti iniuriam sibi illatam æstimare, & secundum quod iniuriatus æstimabat, reus condemnabatur. *§. pœna autem, instit. de iniurijs. Bart. in l. iniuriarum*, 21. *n*. 2. *ff. de iniurijs*. *Iniuriæ æstimatio à Iudice facienda.* Sed quia iniurijs affecti aliquando excedebant in æstimandis iniurijs proprijs, ideò pœnæ taxatio relicta fuit arbitrio Iudicis *d. §. pœna autem, instit. de iniur. l. constitutionibus*, 37. *ff. de iniur. Specul. lib*. 4. *partic*. 4. *de iniur. & dam. dato, num*. 10. Qui propterea appellabatur Reparator. *Ita Mysinger in d. §. pœna autem, institut. de iniur.* Eandem ob causam Maior Pœnitentiarius mandat taxari satisfactionem præstandam percusso, secundum quod exequutor huiusmodi litterarum iudicauerit; non autem secundū quod voluerit, vel iudicauerit lator præsentium.

Nec liberatur à tali satisfactione noster lator præsentiū, ex eo, quod percussus ei forsan remiserit iniuriam. Nam vt bene aduertunt *Panor. in c. 1. de iniur. & Bart. in l. non solum* 11. *§. iniuriarum actio, nu*. 3. *ff. de iniur.* Per remissionem iniuriæ præsumitur remissus rancor, id est displicentia illa, propter quam quis desiderat, vel quærit malum suo inimico; non autem satisfactio. *Remissione iniuriæ quid remittatur.* Immo si reo remittantur damna illata, adhuc satisfactio præstanda remanet pro expensis à percusso ratione percussionis factis: nam nomine damnorū non veniunt expensæ. *cap. in nostra*, 8. *vbi Panorm. n*. 1. *de iniurijs*. *Nomine damni non veniunt expensæ.*

Competenter, &c. id est congruè, sufficienter, non autem rigorosè; ad differentiam damnorum, quæ integrali-

Damna sunt integraliter resarcienda.

graliter, & plenarie resarcienda sunt, *c. grauis, 11. de restit. spoliat. c. quamquam, 4. §. fin. de censib. in 6.* & si absolutus cessante impotentia, & impedimento satisfaciedi læso, noluerit satisfacere, reincidit in eandem excommunicationem, *c. eos, 22. §. 1. de sent. excom. in 6. Panor. in c. porro, n. 3. de sent. excom.*

Ab excommunicationis sententia, &c. Quæ habetur in *c. si quis suadente, 17. q. 4.*

Absoluas hac vice, &c. Quia hęc absolutio impertitur in actu Sacramentalis confessionis, nulla adhibetur solemnitas, vel peculiaris actus publicitatis, ne quod est occultum publicetur, & violetur sigillum Confessionis: sed sufficit ordinaria forma Sacramentalis absolutionis, nisi vellet quis superaddere, videlicet, *authoritate mihi specialiter a N. concessa ab excommunicationis sententia, quam ob percussum a te Clericum incurristi, &c.*

Iniuncta inde ei pro modo culpæ, &c. Videlicet Psalmis pœnitentialibus, ieiunio, vel aliquo simile, quod noster exequutor iudicauerit expedire saluti animæ latoris præsentium.

Et alijs, quæ fuerint de iure &c. videlicet, quod promittat se non amplius facturum contra canonem, contra quem faciẽdo incurrit prædictam excommunicationem, & se pariturum mandatis Ecclesiæ. *c. ex tenore, 10. de sent. excomm. vbi Panor. num. 1. c. ad hæc, 12. de sent. excomm.* Quænam sint ista mãdata Ecclesiæ, idem *textus c. ex tenore, & ibi Panor.* declarant esse, quæ Episcopus clerici percussi forsan mandabit, si ad eius notitiam peruenerit huiusmodi delictum. Quodque cum primo poterit, satisfaciat clerico à se percusso, si nondũ satisfecit in eo, in quo tenet, vt superius dixim⁹.

In foro conscientiæ, &c. Intellige prout diximus in prima Formula præcedentis Partis huiusmodi nostrę Prax.

Ita quod in foro iudiciario, &c. Absolutio in foro pęnitẽtiali facta non liberat in foro conscientiæ, *gl. in c. de his, 6. in verb. replicari, vbi Panor. n. 3. de accusat. Dec. in c. 1. nu. 31. de excep.* & ideò si huiusmodi excessus detegatur ac publicus fiat, lator pręsentium nõ debet se publicè gerere pro absoluto, sed eget publica absolutio ne in foro iudiciario, & interim antequam sic absoluatur, non potest publicè participare de bonis fidelium communibus, videlicet publicè conuersari, ingredi Ecclesiã, diuinis officijs interesse, cõmunicare, &c.

Pro Laico, qui Presbyterum percussit, ac propterea ab Ordinario loci fuit publicè declaratus excommunicatus, neque potest venire ab Vrbem; Litteræ absolutionis in hunc modum expediuntur.

VEnerabili in Christo Patri Archiepiscopo N. siue eius Vicario in spiritualibus generali. Fr. Antonius Barberinus, &c. Salutem in Domino. Ex parte Barboni, Viri Castelluzzi ex loco N. Diœcesis N. Latoris præsentium, Nobis oblata petitio continebat, quod ipse aliàs ex ira Presbyterum quendam prædictæ Diœcesis percussit, & vulnerauit, & idcircò à Vobis declaratus fuit excommunicatus. Cũ autẽ sicut eadem petitio subiungebat, Lator præfatus nequeat ad Vrbem pro sua absolutione desuper obtinenda personaliter accedere ob capitales inimicitias, quas habet, idcircò pro suæ conscientiæ quiete cupit à præmissis, de quibus plurimum dolet, per Sedem Apostolicam absolui. Quare supplicauit humiliter, vt sibi super his de opportuno remedio prouidere dignaremur. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini Papæ curam gerimus, circumspectioni vestræ cõmittimus, quatenus, si est ita, dictum Latorem, si sic vobis fuerit visum, postquam d. Presbytero, si nondũ satisfecit, satisfecerit, vel per eũ nõ steterit, quominus arbitrio vestro satisfaciat competenter, ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrit, absoluatis hac vice in forma Ecclesiæ consueta; iniuncta inde ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, & alijs, quæ fuerint de iure iniungenda in foro conscientiæ tantum: Ita tamen, vt si dictus Lator sententiæ, siue ordinationi vestræ super præmissis latæ, ac forsan ferendæ, parere contempserit, in eandem excommunicationis sententiam relabatur eo ipso. Datum Romæ, &c.

Vene-

Venerabili in Christo Patri, &c. Parentibus filij venerationem, & obsequium præcipuè præstare debent. *l. 1. §. si filius, ff. de obsequijs à liberis, & libertis, &c.* Et cũ Episcopi, & Archiepiscopi, &c. sint patres spirituales, *clem. 1 §. nec super hac, de pœnis*, ideò eorum subditi tanquàm filij spirituales debent eos venerari; & hanc ob causam M.P. Episcopos, Archiepiscopos. Primates, & Patriarchas appellat venerabiles in Christo Patres; nisi velimus appellari venerabiles Patres, quia sunt Legati Dei. *c. sicut vir in fine, 7. q. 1.* & repræsentant personam Christi. *c. legimus, 93. dist.*

Archiepiscopo, N. &c. Correctio filiorũ ad propriũ, & non ad alienum spectat Patrem. *c. 1. vbi Panorm. de foro compet. c. sicut alterius, 7. q. 1.*

Proprius verò Episcopus multis modis quis potest dici, vt benè aduertit *Panor. in c. 1. n. 6. & in c. final. nu. 2. de foro competen.* Primò, ratione domicilij. Secundò, ratione beneficij. Tertiò, ratione originis, licet alibi habuerit domiciliũ. Quartò, ratione contractus. Quintò, ratione delicti.

Hic per transennam collige cum *Panorm. in cap. 4. de pœnitentia, & remissione, nu. 5.* quod in foro pœnitentiali nõ sortitur quis forum ex peccato, & delicto commisso intra limites alienæ Parochiæ, vt notabiliter dicit *glos. in c. placuit, il primo, 16. q. 1.* Sicut enim ex actu permisso, & meritorio, non subijcior iurisdictioni alterius in foro pœnitentię. *d. c. 4. de pœnit. & remissione*, multo minus in actu dãnato. In nostro casu Archiepiscopus est Latoris proprius pater duplici ex causa, ex domicilio, & ex delicto, prout ex verbis ipsis diplomatis colligitur.

Siue eius Vicario, &c. Nomine Vicarij generalis, venit etiam officialis generalis; idem enim significant Vicarius, & Officialis. *c. ex frequentibus, 3. vbi glos in verbo, officialium, de instit. c. 2. vbi glos. in verb. officiali, de consuetud. in 6. c. fin. de offic. Vicarij, in 6.*

Non tamen nomine Vicarij generalis quoad effectum, de quo hic agimus, venit Vicarius capitularis, quia Vicarius capitularis non succedit in iurisdictionem delegatam Vicario Episcopi, sicut nec Capitulum à quo dictus Vicarius accipit potestatem, succedit in iurisdictionem delegatam Episcopo. *c. pastoralis, 11. §. praeterea, de offic. iud. ord. Pan. c. cũ olim, 14. n. 2. vbi etiã Fel. de maiorit. & obed. Dec. in* *Vcarius Capitularis non succedit in iurisdictionẽ delegatam.*

c. quoniam Abbas, 14. num. 82. de offic. Iudic. deleg. Rebuf. in praxi benef. de deuolutionibus, nu. 68. Et ideò necesse est expectari electionem noui Archiepiscopi, & deputationem eius Vicarij generalis, qui has litteras delegationis exequatur.

Vicarius generalis est ille, qui vices Episcopi gerit in eodem loco, & Tribunali, & cognoscit omnes causas sicut Episcopus, quia est constitutus ad omnia, quæ sunt iurisdictionis voluntariæ, & contentiosæ. *c. 2. vbi glossa in verbo, officialem, de officio Vicarij in 6. c. Romana Ecclesia, 3. vbi glossa in verbo, generaliter, de appellat. in 6. Rebuffus in praxi beneficiali tit. de Vicarijs Episcoporum, num.* 18. Et ideò Episcopus, & Vicarius faciunt vnum, & idem Tribunal, nec à Vicario generali ad Episcopum appellatur. *c. non putamus, 2. de consuetud. in 6. d. c. Romana Ecclesia.*

Episcopus, & Vicarius idē Tribunal.

Quòd ipse aliàs ex ira, &c. Cum ira sit accensio sanguinis circa cor, propter appetitum vindictæ, idem erit, si lator noster tarda ex vindicta percusserit, & vulnerauerit. Sed non idem erit, si ex vulnere illato sequuta fuerit mutilatio alicuius membri, & de huiusmodi mutilatione non fuerit in litteris facta mentio: nam cum ex mutilatione delictum sit enormius, & atrocius, vt benè notat *Panor. in cap. ad eminentiam, 22. nu. 3. de sent. excomm. Turrecrem. in cap. si quis, 17. q. 4. n. 14.* & nisi fiat specialis mētio de mutilatione, nō intendit Papa suffragari facultatē alicui concessam de absoluendo ab excommunicatione ob manus iniectionē in clericum. *c. cum illorum, 32. §. qui si claustrale, de sent. excommun.* Idcircò, neque latori nostro suffragabitur si sequutā mutilationem tacuerit.

Ad Vrbem ob capitales inimicitias, &c. Idem importāt grauis inimicitia, & capitalis inimicitia. *Bart. in §. inimicitiæ instit. de excus. tutor. Bald. in c. veniens, 16. n. 5. de iureiur.*

Inimicitia est quidam rancor, & indignatio animi propter extrinseca, hoc est propter iniuriam ab alio acceptā. *Anchar. in c. repellantur, 7. n. 4. de accus.* ex quo rancore insurgit appetitus vindictæ.

Inimicitia quid sit.

Inimicitia capitalis oritur, vel ex sequuta, aut minitata morte, aut ex sequuto exilio à patria. *l. licet, 130. vbi Bart. Capolla in principio, ff. de verbor. & rer. signif. Panorm. in d. cap. repellantur, num. 4. de accusat. Bart. in l. non solum, num. 3.*

Inimicitia capitalis vnde oriatur.

num. 3. *& 4. ff. de adimen. legat.*

Oritur etiã inimicitia capitalis ex accusatione capitalis criminis. §. *si vero quis, vbi glos. in verb. de crimine, Auth. de testibus. Panorm, & Bartol. loc. cit.* Necnõ ex lite, & contentione omnium bonorum, vel maioris partis, solet oriri capitalis inimicitia. *cap. accedens*, 4. *vbi Butrius num. 6. vt lite non contest. l. propter litem* 24. *ff. de excusat. tutor. Panor. in cap.* 1. *n.* 3. *de iudicijs. Anch. in dict. cap. repellatur, num.* 3. *de accusat.* Bona enim temporalia sunt vita hominum. *l. aduocati*, 14. *ne aduocat. diuers. iudic. Panorm. in cap. cum oporteat*, 19. *num.* 4. *de accusationibus.*

Bona tẽporalia vita hominis.

Item ex graui infamia per calumniam irrogata, oritur inimicitia capitalis. *Bald. in cap. veniens*, 16. *num.* 5. *de iureiur.* Nam vnusquisque suam bonam famam, & honorem proprium tanti æstimat quanti propriam vitam, & forsan pluris.

Huiusmodi verò inimicitia cum vno ex consanguineis & attinentibus contracta, transit in alios propinquiores in gradu. *l.* 1. *C. si quacunque præditus potest. l.* 1. *C. si rector prouinciæ. Panor. in c. cum P. Mãconella*, 10. *num.* 3. *de accusat. Bald. in cap. ex transmissa, n.* 8. *in fine, de restit. spoliat.*

Inimicitia transit in cõsanguineos.

Cum plures alias ob causas possint oriri inimicitiæ capitales, ideo remittitur arbitrio Iudicis declarare, & interpretare in dubio quænam sit inimicitia capitalis. *Panor. in d. c. cum oporteat, n.* 4. *in fin. de accus.* vbi etiam *Ancha. nu.* 13. *& in d. c. repellantur, n.* 4.

Dixi, *arbitrio Iudicis*, vt sub hoc Iudicis nomine, non solũ comprehendam Episcopos, & Vicarios generales in casibus publicis, verum etiam cõfessarios in casibus occultis, & secretis, cùm isti etiam in foro conscientiæ, & secreto, sint Iudices: vt sufficienter probauimus in principio Primę Partis huius nostræ Praxis, dum egimus, an exequutor literarum Maioris Pœnitentiarij esset merus exequutor.

Iudicum nomine veniũt etiam confessores.

Aduertendum est cum *Pan. in d. c. repellantur, n.* 5. *de accus.* quod ad contrahendas inimicitias non inspicitur iustitia, vel iniustitia causæ; sufficit enim tale quid præcessisse, quod potuerit prouocare animũ alterius ad inimicitiã. *l.* 1. *ff. bis. quib. vt indig. legata auf.*

Quas habet, &c. Etiãsi tẽpore datę huiusmodi litterarũ lator haberet inimicitias capitales, attamen si tempore exequutionis sequuta sit reconciliatio, nõ gaudebit lator beneficio absolutionis demãdatæ,

ſed tenebitur accedere perſonaliter ad Vrbem pro ea obtinenda cùm adhuc re integra ceſſauerit cauſa, propter quã eximebatur ab obligatione veniendi ad Vrbem, quia ceſsãte cauſa ceſſat effectus, iuxta vulgarem regulam. *l. adigere, 6. §. quamuis, ff. de iurepatron. l. ſi pater, 40. ff. de hered. inſt. c. cum ceſſante, 60. de appellat.*

Dubitari poſſet hic, ſi lator præſentiũ litterarum cũ vno tantum contraxiſſet inimicitiam capitalem, & propterea eius vita periclitaretur, ſi veniret ad Vrbem, & non cum pluribus, iuxta narrata in ſupplici libello, an huiuſmodi gratia illi ſuffragaretur. Duplici modo reſponderi poteſt ad eius fauorem. Primò, quòd licet iſte lator immediatè contraxerit inimicitiam cum vnica tantum perſona, attamen præſumitur, quod mediatè etiam contraxerit cum conſanguineis illius, vt ſupra diximus, ac etiam cum illius amicis, quia amamus quod amicus amat, & odio habemus quod ille odit. *d. c. repellũtur, vbi gloſ. de accuſ. c. quatuor, 11. quæſt. 3.*

Secundo reſpondetur, rationẽ finalẽ propter quã M.P. conceſſit huiuſmodi commiſſariam abſolutionem, eſſe periculum imminens vitæ, non autem inimicitiam capitalem ſimpliciter conſideratam, & in ſe ſumptam, adeò vt ſi eſſet inimicitia capitalis abſque vitæ periculo, nullo modo fuiſſet demandata latoris abſolutio, ſed fuiſſet coactus venire perſonaliter ad Vrbẽ. *argum. c. de cætero, 11. de ſent. excom.* vt v.g. ſi capitalis inimicus latoris eſſet in Hiſpania, & lator Neapoli moraretur: hoc enim caſu nullum eſſet periculum vitæ, & ideò inimicitia huiuſmodi non impediret latoris acceſſum ad Vrbem: & propterea parum intereſt an cum vno, vel cum pluribus contraxerit inimicitiam capitalem, dummodo ex dicta inimicitia immineat periculum vitæ, ſi lator veniat ad Vrbem.

Nos igitur circumſpectioni veſtræ, &c. Videlicet diligenti animaduerſioni veſtræ. Cũ iſta abſolutio fiat extra ſacramentalem Confeſſionem, Archiepiſcopus vel eius Vicarius generalis, maiori diligentia animaduertere debẽt vt non ſolum parti læſæ, id eſt priuatæ perſonæ ſatisfiat, verum etiam Populo, qui ex tali perſona læſus fuit, cum ex priuato delicto publicum bonum, & publica Reipublicæ quies lædantur, & propterea Reipublicę expediat ad. *De priuato delicto l aditur publicum bonum.*

ad.

ad conseruandum publicum bonum, & publicam quietem, vt delicta puniantur, & non remaneant impunita. *c. vt famæ, 35. de sentent. excomm. l. si ita vulneratus, 52. ff. ad l. Aquil. Decius in l. nec ex Prætorio, 28. n. 2. ff. de reg. iur.*

Quatenus si est ita, &c. Hoc est, quatenus superius narrata sint vera, & preces veritati nitantur: hæc enim clausula, seu conditio, in omnibus rescriptis, nisi exprimatur, semper subintelligitur. *c. 2. §. verum, de rescript. vbi Panor. & Bald. num. 3.* Quod tamen intellige de rebus substãtialibus; nam si aliquid parui momenti sit variatum, siue quoad seriẽ facti, siue quoad impedimentum allegatum, adhuc gratia erit valida: cum minima non habeantur in consideratione. *l. scio, 4. ff. de integrum restit. & l. 4. ff. de ædilit. edict.*

Clausula quatenus si est ita, sub intelligitur in omnibus rescriptis.

Secus est quãdo allego percussionem fuisse mediocrem, & tamen erat enormis: tali enim casu existimo gratiam esse nullam, & inualidam, vt superius probaui.

Quãdo verò allegatur percussio enormis, & tamen reperitur mediocris, non est dubitandi locus, quin gratia sit valida; nam minus semper inest in eo, quod plus est. *l. in eo, 111 ff. de reg. iur.* & cui conceditur quod maius est, & minus cõcedi videtur. *l. filius fam. 7. §. fin. ff. de donat. & l. Marcellus, 15. ff. de donat. caus. mortis. l. non debet. 22. ff. de regul. iuris. c. ex parte, 27. de decimis.*

Minus in maiori inest.

Dictum Latorem, si sic vobis visum fuerit, &c. Hæc clausula importat arbitrium boni viri, & non propriam, & nudã voluntatem. *l. fideicõmissa, 11. §. sic fideicõmissum, ff. de legat. 3. l. Thais, 41. §. furore, ff. de fideicommis. libert. cap. 2. vbi glos. in verbo, visum fuerit, de corpor. vitiat. ordin. Panor. in c. significauit, 3. n. 4. de pœn. & remiss. & in cap. ne innitaris, 5. n. 1. de constit. Bart. in l. si sic, 13. ff. de legat. 1. Bald. in l. fin. §. 1. C. commun. de legat. Imol. in Clement. sæpè, 2. de verbor. signific. Innocent. in c. cum inferior. 16. de maiorit. & obed.*

Et ideo si Archiepiscopus Neapolitanus, vel eius Vicarius generalis, deposito boni viri arbitrio, latorẽ nimis grauaret, lator non tenetur illi obedire, & licitè recurret ad Cõgregationem Episcoporũ, vel immediate ad Sedẽ Apostolicam, pro liberatione ab illicito grauamine, & pro reductione ad arbitrium boni viri, *c. Quintauallis, 23. vbi communiter DD. de iureiur. & Panor. etiam in d. c. ne innitaris.*

Postquam dicto Presbytero, &c. Abundè de ista clausula dixi in precedenti formula, & ideò nihil superaddendum existimo.

Absoluatis hac vice, &c. Cum delictum sit publicum, & declaratio publica, necesse etiam est, vt absolutio publicè fiat: & propterea lator iuxtà formam præscriptam in Rituali Romano, coram Notario, & duobus saltem testibus absoluendus est ab Archiepiscopo, seu eius Vicario generali: qui sedens, præmissis psalmo *Miserere*, & orationibus consuetis, latorem genua flectentē leui verberatione percutiet in humero, vsque ad camisciam exclusiuè denudato; postea surgens, & aperto capite dicat *Kyrie eleison, &c.* prout in Rituali. Quibus completis sedens, & cooperto capite dicat. *Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & Nos auctoritate ipsius, & Sanctissimi Domini Papæ nobis commissa, absoluimus te ab excommunicationis sententia, quam ex eo, quod Presbyterum percusseris, & vulneraueris, incurristi, & incurrisse declaratus es; & restituimus te communioni, & vnitati fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Forma absolutionis.

Si hæc forma fuerit omissa, absolutio erit nulla. *Io. Andr. Innoc. Felin. Butrius in c. cum desideres, 15. de sentent. excommunic.* Ratio est, quia forma præscripta ad vnguem obseruanda est, & si deficiat, actus corruit. *l. cum hi 8. §. si Prætor, ff. de transact. l. non dubiū, 5. C. de legib. l. traditionibus, 20. C. de pactis. c. quæ contra, 64. de reg. iur. in 6. c. cum dilecta, 22. §. fin. de rescript. c. quia propter, 42. §. aliter, de elect. c. 1. de rebus Eccles. non alien. in 6.*

Dubitatur ab aliquibus, an iste possit absolui per Procuratorem, eo quia *Hostien. in sum. de sentent. excommunic.* acerrimè oppugnat, absolui posse per Procuratorem. Sed bona eius venia sequens communiorem sententiam, existimo posse absolui per procuratorem, ac præsertim quando adest iusta causa, vt optimè asserunt *Io. Andr. Felin. Butr. Innoc. in d. c. cum desideres, & Specul. in tit. de Procurat. §. 1. n. 5.* Et hoc quotidie obseruatur in Curia Romana, prout etiam prædicti omnes Doctores asserunt; dummodo habeat Procurator speciale mandatū ad petendam absolutionem: & insuper idem Procurator poterit etiā prestare iuramētum, licet de hoc nō fiat in eius mā. datò procuræ specialis mētio, vt prædicti DD. admittunt.

Absolutio ab excommunicatione per procuratorem obtineri potest.

In-

Iniuncta, &c. Quænam sit ista pœnitētia salutaris, relinquitur arbitrio Ordinarij, qui considerato statu, & qualitate personæ, poterit publicē imponere pœnitētiam postea priuatè peragendam, quæ cōferat ad salutem animæ. Dixi, *priuatè peragendam*, ad differentiam solemnis pœnitentiæ, quæ præscribitur in *c. in capite, dist.* 50. Abstinerem ab imponenda pœnitentia pecuniaria, cum iam, vt præsupponitur, fuerit satisfactum parti læsæ, & Ecclesiæ, necnon suæ condemnationi: imponerem libenter aliquod ieiunium corporis afflictiuum, & aliquot preces diuersis tēporibus occultè recitandas: hoc enim modo vulnus sanatur, & consolidatur, alijs verò pœnitentijs potius refricatur; & Ordinarius liberatur à suspicione auaritiæ.

Et alijs, &c. Prout in præcedenti formula.

In foro conscientiæ tantum, &c. Id est, quoad censuram tantum, quæ priuat vsu rerum spiritualium, & mediāte foro propriæ cōscientiæ stimulat, & punit animum excommunicati. Per absolutionem in hoc foro obtētam, excōmunicatus liberatur ab huiusmodi stimulis, & pacificus bonorum spiritualium vsus ei restituitur.

Ita tamen, vt, &c. Hæ dictiones, cum inducant modum, & moderationem dispositioni, cui adijciuntur, aggrauantem, & onerantem in tempus dispositionis perfectæ, cū, in quem dispositio confertur, vt bene aduertit, & notat *Bar. in l. quibus diebus*, 40. §. *fin. n.* 1. *& sequent. ff. de condit. & demonstrat.* Ideò hic noster Orator sic absolutus oneratur per istas dictiones, vt omninò pareat sententiæ latæ, & ferendæ per Ordinarium contra ipsum, & si parere contempserit, relabatur in eandem excommunicationem.

Dictio, Ita tamen, est modificatiua.

Parere contempserit, &c. Contemnere dicitur ille, qui cessante impedimento non adimplet, quod adimplere tenetur. *cap. eos qui*, 22. *vbi Io. Andr. de sent. excommunic. in* 6. *c. Metropolitanum*, 2. *q.* 7. *c. quis dicat, dist.* 10.

Contemptus quando sit.

Dubitari potest, quomodo sit intelligēda ista cessatio impedimenti; & an statim eo cessato parendum sit, ne dicatur aliàs contemnere. Quoad primum, dico cessationem huiusmodi sumēdam esse prout est talis remotio impedimenti, & difficultatis, vt obligatus ad parendum, commode parere possit;

Impedimentū quando cessare dicatur.

possit: quod manifestè colligitur ex *d.c.eos qui, vbi Io. Andr. nu.2. explicat*, verbum istud, *cessante*, debere intelligi iusta cessante causa: quod idem est ac dicere, legitimo, hoc est à iure approbato, impedimento cessante.

Quodnam sit istud legitimum impedimentum, iam supra probaui: & insuper addo, huiusmodi impedimẽtum debere esse tale, vt incommoditatem afferat alicuius momenti, alias si sit leue, pro nihilo habetur. Et hinc colligitur responsio ad secundam difficultatem, id est, quod absolutus non tenetur parere sententiæ Ordinarij, statim cessato principali impedimento, sed prætereà debet habere commoditatem parendi, *l*vt dicitur *in d.c.eos qui, & in . continuus, 137. §.cum ita, ff. de verb.oblig.* Hæc autem commoditas duplici ex capite colligitur: Primo ex dignitate salua: secundò ex incommodo excluso. Commodè enim id fieri dicitur, quod salua dignitate, & sine incommodo promittentis fieri potest. *l. nepos Proculo, 125. ff. de verb.signif.*

Commodè quando fieri aliquid dicatur.

Dignitas personæ non est salua, sed læditur, quando iubetur fieri, vel compellitur, quod contra iustitiam est: & ideò si Ordinarius iussisset viro nobili faciendum quod est hominis plebeij; vel homini libero, quod spectat ad seruũ, Vir nobilis, & liber non tenẽtur parere, quia esset præceptum iniustum, & iniusto præcepto etiam Summi Põtificis non est parendum, vt per *Innocent. in c.inquisitioni, 44. de sent.excommun. quem sequuntur Panor. in c. significauit, 6. de offic.Ordin. Decius in c.nam concupiscentiam, 4. n.14. de constit. & alij.* Ergo multo minus est parendum præcepto iniusto Iudicis inferioris, quales sunt Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, &c.

Iniusto præcepto non est parendum.

Idem dicendum est, si plus iusto quis grauaretur. *cap. ad hæc, 20. vbi gloss. in verbo, appellant, de appellat.* Nec obstat iuramentum generaliter præstitum de parendo sentẽtiæ, & ordinationi Ordinarij: quia in iuramento generali sẽper subintelligitur conditio, si fieri potest, & non obuiet iuri. *c. ad nostram noueris, 21. de iureiur.* & mandatum sit licitum. *c. Quintauallis, 23. c. quẽadmodum, 25. de iureiur.* Ad quem autẽ debeat appellari, indubitabile est: Vel ad Archiepiscopum. *c. per tuas, 40. de sent.excommun.* vel ad Congregationem super consultationibus Episcoporũ: vel simpliciter ad Sedem Apostolicam, vt supra diximus.

In iuramento de parendo subintelligitur conditio, si fieri potest.

Obligatio semel extincta nõ reuiuiscit.

In eandem, &c. Non reuiuiscit prima excommunicatio, à qua absolutus fuit, cũ obligatio semel extincta non reuiuiscat. *l. qui res, 98. §. areã, ff. de solut. l. si vnus, 28. §. sed si stipulatus, ff. de pact. l. Meuius, 68. §. duobus, ff. de legat. 2.* Sed est noua excõmunicatio à iure prolata, propter illius contemptum, vt bene aduertit *Panor. in c. de cætero, 11. in fin. de sent. excomm.* Et probatur *ex c. eos qui, 22. eod. tit. de sent. excomm. in 6.* vbi *cum glossa in verbo, decernimus*, notatur *quod textus dicit: Decernimus, quod qui contemnunt parere, reincidant in eandem excommunicationem.* Et ideo nouam inducit censuram; si enim voluisset primam censuram reuiuiscere, loco verbi, *decernimus*, posuisset, *declaramus*, quod de sui natura nihil noui importat. *l. heredes palam, 21. §. sed si quid, ff. de test am. l. adeo, 7. §. cum quis vers. videtur, ff. de acquir. rerum dominio. Clement. 1. de verborum signif.* Effectus enim declarationis est, verbum obscurum clariùs explicare *Dec. in l. edita, 3. n. 24. C. de edendo.*

Dicitur *in eandem*, quia est eiusdẽ speciei cum prima, sicut illa est maior, ita & hæc eiusdem qualitatis; sicut illius absolutio erat reseruata Sedi Apostolicæ, & per speciale mandatum M. P. delegata Ordinario, ita & huius est reseruata eidem Sedi Apostolicæ, licet probabiliter videatur reseruata Ordinario. Primo, quando excommunicatio est maior, & Pontifex eam sibi nõn reseruat, nullus citra Episcopum, & proprium Sacerdotem regulariter absoluit. *c. nuper, 29. vbi Panor. n. 7. de sent. excommunic. glos. in c. 2. in ver. reseruantur, de pœnit. & remiss. in 6. & cõmuniter DD.* Secundò, quia per non paritionem sententiæ, & ordinationis, illuditur Ordinarij delegata iurisdictio: Ideò vt illius indemnitati consulatur, eidem absolutio reseruatur. Demum potest dici eadem cum prima excommunicatione, ex iuris fictione, quod fingit eandem esse cum prima. *arg. d. l. qui res suas, §. aream, ff. de solution.* & sic primam impropriè reuiuiscere. *Bald. in c. quæstioni, 21. num. 1. de appellat.*

Eo ipso, &c. Id est, absque vlla declaratione reincidit in dictam excommunicationem, vt in principio huius tertiæ Partis ostendimus.

Pro

Pro Laico, qui quendam Clericum vulnerauit, & idcircò ab Ordinario loci declaratus fuit publicè excõmunicatus: sed quia ad Vrbem, neque ad suum Ordinarium personaliter accedere tuto valet, petit à quocunque Confessario per eum eligẽdo absolui. Litteræ absolutionis in hunc modum conficiuntur.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quod ipse aliàs vulnerauit quendam Clericum sibi infensum, & idcircò declaratus fuit publicè excommunicatus à suo Ordinario: Cùm autem lator prædictus de præmissis plurimum doleat, & neque ad Vrbem, neque ad suum Ordinarium personaliter accedere tuto valeat, pro sua conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui. Quare, &c. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ, &c. discretioni tuæ committimus: Quatenus, si est ita, dictum latorẽ, audita prius eius sacramentali Cõfessione, postquam dicto Clerico, si nondum satisfecit, satisfecerit, vel per eum non steterit, quominus arbitrio tuo satisfaciat competenter, ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrit, absoluas hac vice, &c. iniuncta, &c. Quodque quam primũ poterit ad Vrbem veniat, & alijs, &c. in foro conscientiæ, &c. Ita quod in foro iudiciario nullatenus suffragetur, & si delictum latoris in loco, vbi ipse commoratur, notum sit, non habeat se publicè pro absoluto: necnon si sententię, siue ordinationi Ordinarij super præmissis forsan latæ, seu ferendæ, parere, & ad vrbem, vt præfertur, venire contempserit, in dictam excommunicationis sententiam eo ipso relabatur: & ita illum moneas, nullis super his adhibitis testibus, &c. Quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ laniare, tenearis. Datum, &c.

Omissis omibus, quæ hæc formula habet cõmunia cum præcedentibus alijs formulis, breuiter attingam, quæ illius sunt propria.

Vul-

Vulnus quid sit.

Vulnerauit, &c. Vulnus dicitur, quando fit scissura, seu separatio in corpore. *l. si seruus seruum*, 27. §. *rupisse*, *ff. ad leg. Aquil. Bart. in l. prætor edixit*, 7. §. *rem atrociorem*, n. 1. *ff. de iniurijs*. Etiam tumefactio dicitur vulnus, quando eius causa est facta scissura. *Bart. loco cit. num.* 2.

Tutus accessus quando non sit.

Neque ad Vrbem, &c. *tuto valeat*, &c. Tuto accedere quis nequit, quo, vel inimicorum potentia, vel Curiæ persequutio timetur. *Clem. Pastoralis*, 2. §. *nos quoque de sent. & re iudic. & Clem.* 1. *de foro comp.* Tunc probabiliter timetur potentia inimicorum, quando sunt vindicatiui, quando denegant pacem, & irati se vindicant, vel armati incedũt, insidias parant, aduersarium obseruant, vel dederunt in mandatis eius necem, & similia, &c. Curia etiam timetur quando ad eius forum est deducta criminis perpetrati querela, vel aduersarij sunt instigatores pro iuridica vindicta sumenda; vel in contumacia est prolata sententia condemnatoria cum graui pœna, videlicet mortis, exilij, triremium, vel similium grauium mulctarum.

Potentia inimicorum, & Curia quando præsumuntur timeri.

Aduerte quod inimicorum nomine hic non solum intelliguntur illi, qui occasione huiusmodi criminis cum latore nostro inimicitias contraxerunt, verum etiã quilibet alius eius grauis inimicus ob quãlibet aliam causam; sufficit enim verificari, quod non sit tutus accessus.

Huiusmodi autem verificatio, cum simus in foro Pœnitentiali, est desumenda ex priuatis rationibus, quas lator ipse offeret, atque allegabit, & confessor maturo iudicio, & prudentia ponderabit, vt alias ostendi in secũda Parte huius nostræ Praxis, in explicatione primæ formulæ, in responsione ad tertiam, & vltimam difficultatem: standum est enim in hoc foro pœnitentis dicto. *cap. significasti*, 18. §. *& quidem*, *de homicidio*.

Quodque quamprimum poterit, &c. Subintelligitur post cessatum impedimentum, periculum vitæ, vel carceris, veniat ad Vrbem, quamprimum poterit, *glos. in Clem.* 1. *in verbo, quam citius*, *de pœnis*. Et cum dictio, *quamprimum*, in re graui importet dilationem trium mensium, in re autem non graui duorum mensium, *arg. l. in fraudem*, 45. §. *fiscalibus debitoribus*, *ff. de iure fisci*. *glos. in l.* 2. *in verbo quam primum*, *ff. de administr. rerum ad ciuit. pert. Gratus de diction.*

Dictio, quamprimum, ad quod tempus extendatur.

diction. dict. 195. propterea lator præsentium, si est ordinariæ conditionis, intra duos mẽses, nisi aliud ei obstet impedimentum, scilicet paupertatis, infirmitatis, prout supra diximus in prima formula huius Partis, dum egimus de legitimis impedimentis, tenetur ad Vrbem accedere: sufficit enim illi huiusmodi dilatio ad præparanda, quę itineri necessaria sunt. Si vero sit nobilioris ordinis, credo illi suffragari beneficium trium mensium ad commode se præparandum pro iter faciendo.

Cessante enim impedimento semper aliquod modicum tempus præsumitur concessum ad implendum id, quod quis tenetur. *l. ab hostibus*, 15. *§. fin. ff. ex quib. caus. maiores* 25. *annis in integrum restituantur Io. Andr. in cap. de cætero* 11. *de sent. excom. Panorm. in Clem.* 1. *nu.* 28. *de pœnis. glos. in Clem.* 1. *in verbo, quam citius, de pœnis.*

Ad Vrbem veniat, &c. Qui tenetur ad Vrbem venire non satisfacit suæ obligationi, si solummodo visitet Romanã Ecclesiam, id est, limina Apostolorum; sed debet se præsentare personaliter D. Papæ, id est Maiori Pœnitentiario, qui eius vices in hac parte gerit, vel eius D. Regenti, & ab eo accipere non nouam absolutionem, sed mandatum Apostolicum pro satisfactione. *Io. Andr. in d. cap. de cætero, nu.* 2. *de sent. excomm. Panor. in cap. quod de his*, 26. *prope finem de sentent. excomm. Syluest. in sum. in verbo absolutio*, 4. *n.* 7.

Et si delictum latoris in loco, &c. Id est, notorium sit, siue notorietate facti, siue notorietate iuris. Quid autem sit notorium facti, & notorium iuris, vide, quæ abundantius in principio secundæ Partis huius nostræ Praxis explicuimus, dum de publico, notorio, & occulto egimus.

Non habeat se publice, &c. Id est, publice non intersit publicis officijs, abstineat a publicis functionibus, a publicis conuersationibus: poterit tamen in loco priuato Missæ Sacrificio interesse, communicare, & de alijs Sacramentis Ecclesiæ participare, cùm illis iam restitutus fuerit per huiusmodi secretam absolutionem.

Reliquæ huius formulæ partes intelligendæ sunt prout in præcedentibus diximus.

AB-

ABSOLVTIO A PRESBYTERICIDIO.

Pro Laico, qui Presbyterum interfecit, Litteræ in hanc formam expediuntur.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quod ipse aliàs iniurijs lacessitus a quodam Presbytero illum occidit, excommunicationis sententiam propterea incurrendo. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, dictus lator de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, & propter graues inimicitias, quas habet, nequeat ad Vrbem pro absolutione desuper obtinenda personaliter accedere, pro sua conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui. Quare, &c. dictum latorem, audita prius ipsius Sacramentali Confessione, postquam Ecclesiæ, si qua dictus Presbyter intitulatus erat, vel pro illa Ordinario loci, ac etiam hæredibus dicti Presbyteri, si nondum satisfecit, satisfecerit; vel per eum non steterit, quominus arbitrio tuo satisfaciat competenter; ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrit, absoluas hac vice, &c. iniuncta inde ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, quam discretio tua ita moderetur, vt illi prosit ad salutem. Hoc autem in foro conscientiæ, & in actu Sacramentalis Confessionis tantum: ita, vt in foro iudiciario nullatenus suffragetur, sed nec aliqua ratione absolutio huiusmodi prosit, quominus si lator aliquod feudum, seu iuspatronatus ab Ecclesia, in qua dictus presbyter forsan intitulatus erat, obtinet, ipse, eiusque hæredes, perpetuo sint illis priuati: & ne minus vindictæ, quam excessus memoria prorogetur, ipse, eiusque liberi, propter

hoc

hoc inhabiles censeantur ad beneficia Ecclesiastica obtinenda, nisi cum illis super hoc fuerit misericorditer dispensatum. Ceterum, si delictum sit publicum, vel detegatur, eidem latori mandes sub debito prestiti iuramenti, vt tum primum tuto poterit, per quinque Ecclesias illius loci, vbi tantum facinus perpetrauit, si tot ibi fuerint, nudus, discalceatus (femoralibus duntaxat retentis) virgam in manibus, & corrigiam circa collum deferendo incedat, suum publicè fatendo reatum, & ante fores dictarum Ecclesiarum a Presbyteris earundem Psalmum pænitentialem canentibus, se faciat verberari, dum maior ibi ad Diuina conuenerit Populi multitudo. Qua si facere, ac sententia, siue ordinationi Ordinarij super præmissis forsan ferenda parere contempserit, in dictam excommunicationis sententiam eo ipso relabatur. Dat. &c.

Omissis de more clausulis a me sæpius explicatis, deueniamus ad propria.

Intitulatio Ecclesia dat plenum ius in titulato. *Postquam Ecclesia, si qua, &c.* Intitulatur Ecclesia alicui, quando ei conscribitur, & iure assignatur, vt in illa præesse possit. *c. dudum, 54. de electione, vbi glos. in verbo, intitulatam. cap. sanctorum dist. 70. Rebuf. in sua praxi beneficiali in tit. de rescript. ad benefic. vacan. num. 3.*

Et per talem conscriptionem, & assignationem, qui intitulatur, acquirit tale ius in illo beneficio, vt possit denominari, & conscribi sub titulo illius Ecclesiæ, vt v. g. Parochus Sanctæ Agnetis, &c. adeo, vt illud beneficium, & illa Ecclesia dicantur sua. *cap. pro illorum, 22. & cap. preterea, 14. de præben. cap. audita, 4. de restit. spoliat.*

Et tale ius in illa acquirit, vt fructus dictæ Ecclesiæ recipiat, administret, & in suos vsus conuertat, *cap. de his, 4. de Eccles. ædifican. c. concesso, 12. q. 2.* Et quamuis non sit dominus, quia illius bona alienare nequit, *c. 2. de donationibus*; attamē in illa Ecclesia ius plenū dicitur habere ratione tituli, quia omnia in illa facere ei est licitum, sicut qui quasi proprietatem haberet. *dicto cap. dudum. Vide Rebuffum in sua*

sua praxi benef.in tit. de rescr. ad beneficia vacātia, n.2.& 3.

Ex quibus primo colligitur, cuinam Ecclesiæ sit satisfaciendū pro Presbyteri nece: videlicet illi, quam Presbyter in titulū obtinet, scilicet, in qua vel dignitatem, vel Canonicatum, vel quæuis alia beneficia Ecclesiastica habet.

Secundò colligitur, Ecclesiæ, in qua Presbyter occisus forsan coadiutoriā obtinebat, non esse satisfaciendum, quia coadiutor nō habet actualem titulū, sed solū spem ad illū, & titulus adhuc remanet apud coadiutum. *c. ex parte tua, 5. de cler. ægrot. vel debilit.*

Coadiutoria dat solum spē ad titulum.

Tertiò, nec multo minus Ecclesiæ receptitię, in qua solūmodo erat dictus Presbyter adscriptus, cum per talem adscriptionem nullum acquirat titulum in ea adscriptus.

Quartò, nec Ecclesiæ, quam fortè in commendā simpliciter acceperat, cum eius titulū nō habeat, sed illius solūmodo custodiam, & administrationē. *c. nemo, 15. vbi glos. in princ. de elect. lib. 6. vide Rebuff. in sua praxi benefic. tit. de commenda.* Sumus enim in materia odiosa, & ideò extendenda sunt ad expressa tantum, quia odia sūt restringenda. *c. odia, 15. de reg. iur. in 6. c. renouantes, dist. 22. l. cum quidam, 19. ff. de lib. & posthum.*

Commenda respicit solum custodiam, & administrationem.

Dixi, *in commendam simpliciter*, quia secus est dicendum de Cōmendis, quæ fiunt hisce nostris temporibus: cōmendæ enim vniuntur cum ipsismet titulis, ac propterea Abbates regulares, qui pręsunt Monasterijs, quæ dantur alijs in Cōmendam, habēt nudum regimen dictorum Monasteriorū, quoad Monachos, pro quo exercēdo cohonestātur aliquo titulo Abbatiæ in partibus infidelium existente, prout videre est in Abbatibus regularibus Monasteriorū Sublacensis, & Montis Regalis, & similium: & huiusmodi Commendatarij, cum sint perpetui, habentur pro veris titularibus.

Commendæ vniūtur cum titulis Monasteriorum.

Quæ tamen intellige quoad satisfactionē faciēdam vigore huius nostrę clausulæ *tantum;* si enim cōcurrat alia causa, ob quam pręsumatur huiusmodi Ecclesias fuisse læsas, etiā istis est satisfaciendum, prout diximus in explicatione primæ formulæ huius nostræ tertiæ Partis, dum de satisfactione egimus: quod totum arbitrio prudentis nostri huius Cōfessarij exequutoris relinquitur.

Vel pro ea Ordinario loci, &c. Ordinarij locorū sunt Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, vnusquisq; in suis Diœcesibus. *c. 1. & c. licet, 12. de officio ordinarij.* nec

non Cardinales in Ecclesijs suorum titulorum hic Romæ: *c.querelam*, 24. *de elect. cap.bis quæ*, 11. *de maiorit.& obed. vbi Felin.n.*1. Sunt etiã Abbates, Archipresbyteri, Præpositi, Archidiaconi, qui habent iurisdictionẽ quasi Episcopalẽ, & propterea istorum terræ, & loca dicũtur nullius Diœcesis.

Episcopi sunt caput Cleri. Et quia Patriarchæ, Primates, & Episcopi, & alij prædicti Abbates, &c. sunt caput sui Cleri. *c. postulastis*, 15. *vbi glos. in verb. sed vt canonicus, de conceß. præbend. cap. à collatione*, 11. *de appell. in 6. c. nulla, dist.* 93. *glos. in Clem. vt hi, qui*, 2. *de ætate, & qualit. ordinan.* Et in Ecclesijs sibi subiectis plenam potestatem habent. *cap. sic quidam cum sequen.* 10. *q.* 1. *Panor. in c.* 1. *de reb. Eccles. alienan. &c.* Ideò illis pro suis Ecclesijs læsis, & offensis satisfaciendum est.

Hic insurgit difficultas: Si Ecclesia, cuius beneficiatus fuit occisus, esset exempta ab iurisdictione Archiepiscopi, Patriarchæ, Primatis, vel Episcopi, & immediate subiecta D. Papæ, an sit pro dicta Ecclesia læsa satisfaciendum ipsi D. Papę, an vero satis sit satisfacere Ordinario, in cuius Diœcesi dicta Ecclesia sita est.

D. Papa est Ordinarius Ordinariorũ. Ista difficultas facile diluitur, si dicamus quòd pro Ordinario loci intelligatur D. Papa, qui est Ordinarius Ordinariorũ, omnium Ecclesiasticorum, & Ecclesiarum. *c. per tuas*, 40. *de sent. excom. c.* 1. *de officio legati. c. cuncta per mundum*, *& c. per principalem*, 9. *q.* 3. & propterea si D. Papę satisfiat, satisfactio est legitima, & canonica.

Idem dicendum est, si in dicta Ecclesia adhuc remaneat Prælatus, vt v.g. Abbas, Archidiaconus, Prępositus, vel Archipresbyter, habentes iurisdictionem quasi Episcopalẽ; vel si fuerit occisus vnus ex prędictis Ordinarijs, & adhuc remaneant, vel Canonici, vel alij beneficiati constituentes Capitulũ, ad quos Pręlati prędefuncti deuoluatur iurisdictio ordinaria: istis enim, vel Vicario capitulari, aut demũ futuro successori Pręlati occisi loco Ecclesiæ læsę satisfieri legitime potest.

Difficultas autẽ huiusmodi magis vrget, quãdo in Ecclesia exẽpta vnicus est beneficiatus, & hic fuit occisus: an pro dicta Ecclesia sit satisfaciendũ Ordinario loci, in cuius territorio sita est. Prima facie videtur quod nõ: quia Ordninarius loci nullũ ius in ea habet, nec ad eum illius regimen spectat; & ideò idẽ est illi satisfacere, quàm cuilibet alii Ordinario de mundo, cum eadẽ sit ratio in vtrisque, quoad Ecclesiam

læsam,

læsam: sed hoc asserere videtur omninò ridiculum: ergo nec Ordinario loci est satisfaciendum.

Contrariũ tamen est dicendum; quia ratione delicti perpetrati in suo territorio est Iudex cõpetens in causa principali Presbytericidij. *c. placuit, 6. q. 3. & c. 1. 3. q. 6. C. vbi de crimine agi oportet, auth. qua in Prouincia.* & *Gregorius XIV. in sua Constitutione edita de anno 1591. quæ incip. Cum aliàs nonnulli, §. 4.* cognitionẽ delictorum commissorum in locis exẽptis concedit Episcopo viciniori. Ergo etiam accessorij, quod est satisfactio. *c. ad abolendam, 9. §. præsenti de hæretic.* Et hoc cõfirmatur ex ipsismet verbis litterarum M. P. in his enim legitur, *vel pro ea Ordinario loci*, non autem legitur *Ordinario Ecclesiæ*.

Ad rationem in contrariũ adductam respondetur, Ordinarium loci habere ius cognoscendi istam causam Presbytericidij pro dicta Ecclesia exempta, ratione delicti perpetrati in suo territorio.

Maior difficultas esset, quãdo Presbytericidiũ est perpetratũ in eodẽ loco exẽpto, v. g. in eadem Ecclesia, Cœmeterio, vel alio in mẽbro prædictæ Ecclesiæ, quæ gaudent etiam eodem exẽptionis priuilegio, ac ipsa Ecclesia. *c. necessaria, 12. q. 1. c. difiniuit, 17. q. 4. c. 1. de immun. Eccles. in 6.* & in dicta Ecclesia non est Capitulũ, neque alius, ad quos sit deuoluta ordinaria iurisdictio, cum in *c. 1. de priuil. in 6.* expressè habeatur, delicta in locis exẽptis commissa non subiacere iurisdictioni Ordinariorum.

Sed existimo satisfieri huiusmodi difficultati, si dicamus nomine Ordinarij hoc loco venire Legatos de Latere, vel Nuncios Apostolicos, in quorum Prouincia, vel Regno existit prędicta Ecclesia exẽpta; quia Legati de Latere, & Nũtij in suis Prouincijs sunt Ordinarij, & ordinariã habent de iure cõmuni iurisdictionẽ. *c. 1. de officio Legati, vbi Panor. n. 3. & c. legatos, 2. vbi glos. in verb. reputantes, de offic. legati in 6. Dec. in c. sua nobis, 9. n. 20. de confir. vtili, vel inutili, & in c. cũ te, 18. n. 3. de offic. delegati. Spec. loc. infra cit.* Et per *Concil. Trid. in c. 20. §. legati sess. 24. de reform.* solũ iurisdictio Legatorũ moderata fuit quoad illos, qui alios habeant ꝓprios Ordinarios, & non sint immediatè subiecti Sedi Apost. vt ex ipsismet verbis intẽtio Cõcilij apertè colligitur, quia ipsi vices D. Papę gerũt in suis Prouincijs. *d. c. 1. vbi Panor. Spec. in lib. 1. partic. 1. de dispens. §. consequẽter, n. 1.* Et possunt omnia prẽter specialiter excepta.

Legati de Latere, & Nuntii sunt Ordinarii Iudices in suis Prouinciis.

c.quod translationem,4.de offic. legati.

In hoc sensu intelligũtur textus in *c.si Abbatem,36.de elect. in 6. & in c.2.de offic. leg. in 6.* & alij similes, qui videtur obstare nostrę sententię, & pręcipuè *Panor.in d.c.quod translationem, n.10.*

Ac etiam hæredibus, &c. Hic nomine hæredum veniũt omnes hæredes siue sãguinis, siue bonorum, siue sui, siue extranei sint *l.hæredis appellatione,170.& l.sciendum,70.ff.de verb.signif. Panor.in c. in quibusdam,12.n.3.de pœnis.Dec.in c.in præsentia,8.n.144.de probationibus.Bar. in l.Gallus,29. §.etiamsi parente, n.4. ff.de lib. & posthum.*

Quia hæres vniuersalis cẽsetur eadẽ persona cũ defuncto testatore.*l.si eum,34.ff.de fideiuss. & mandat. l.1. & l.fin.ff. de fideiuss.& nominat.l.si intra legitimã,2.C.de temp.restit. in integr.Dec.in c.quia,11. de iud. n.22.Bar. in auth.super hãc de iureiur. a moriente præst.nu.1. & in §.si generaliter,n.3.instit. de legat. & in instit. de hæred. instit.n.1.* Eiq;debẽtur omnia iura,& actiones,quę competebãt testatori defuncto.*l.hęredẽ, 60.ff.de reg.iur. Bart. in d. §.si generaliter. Dec. in l.1. nu.96. C.qui admit. ad bonorũ possess.*

Hæres vniuersalis est eadẽ persona cum testatore.

Et ideò cum testatori ratione iniuriæ acceptæ debeatur satisfactio, & ei præstari amplius nequeat, suo debetur hęredi: sed Ecclesię, primo proeius Presbytero interfecto, cõpositio debetur pecuniaria arbitrio Ordinarij, quę in eiusdẽ vtilitatẽ erogetur. *c. Presbyteri interfecti,2. de pœn.* Si tamẽ interfector est diues: si verò sit pauper, & ob paupertatẽ non valeat se pecunia componere, inseruiat, quando tute poterit, Ecclesię in aliquo officio seruili; v.g. pulsando campanas, verrendo Ecclesiam,&c. quia qui non habet in ære debet luere in corpore. *l.1.§.generaliter, ff.de pœnis; vbi Bart.l.fin.ff.de in ius vocãdo,c.finem litibus,5.§.finali,de dolo,& contumacia,c.fraternitas,12.q.2.c.si res,14.q.6.*

Qui nõ habet in ære luat in corpore.

Si nondum satisfecit, &c. Vide quæ pro elucidatione huius satisfactionis in prima huius tertię Partis formula diximus.

Iniuncta, &c. Primo imponi debet aliquod ieiunium; hęc enim pœnitẽtia est a iure approbata.*c.licet,6.vbi Panor. de pœnitentijs, & remiss.c.2. de homic.volunt. c.accusasti,8. de accusat.* nec non aliquę preces secundum capacitatem delinquentis. *c. Deus qui Ecclesiam,8. de pœnit. & remiss.*

&

& aliqua peregrinatio. *Panor. in c. qui Presbyterum*, 2. *de pœnit. & remiss.* Ac etiam eleemosynę pro Missis celebrandis pro anima Presbyteri occisi, *vt in supradicto c. Presbyteri interfecti, de pœnis*, & alię similes pœnitentię, quas exequutoris prudentia expedire viderit delinquentis saluti. *d. c. Deus qui, & c. mensuram de pœnit. dist.* 1.

Quas ita moderetur, &c. Verbum istud *moderetur* importat diminutionem rigorosæ pœnitẽtię, quã aliàs noster Presbytericida mereretur. *cap. transmissæ*, 33. *de verb. signif. vbi Panorm. nu.* 1. *& in c. Deus qui*, 8. *num.* 3. *de pœnit. & remiss.* quæ tamen moderatio facienda est arbitrio prudentis viri, *d. c. Deus qui*, quoad qualitatem, ac etiam quoad durationem: alias enim occidens Presbyterum duodecim annorum spatio pœnitere deberet, *c.* 2. *de pœnit. & remiss.*

Quod vt melius noster exequutor peragere valeat, perpendet violentiam illatam, præcedentis rixæ occasionẽ; an ex subito iracundiæ impetu, vel potius ex industria, præmeditatis insidijs, & machinationibus huiusmodi scelus sit perpetratũ. *c. sicut dignũ*, 6. *de homicid. volunt.* grauius enim punitur homicidium voluntariũ. *c.* 1. *eod. tit.* Et mitius toleratur casuale. *cap. ad audientiam*, 12. *& c. tua nos*, 19. *de homicid.*

Sed nec aliqua, &c. Occisor Presbyteri, Prelati, seu Clerici beneficiati alicuius Ecclesiæ, si obtinet iuspatronatus, vel feudum à prędicta Ecclesia, remanent, & ipse, & eius hæredes illis perpetuo priuati. *c. ad aures*, 10. *& c. in quibusdam*, 12. *vbi Panor. de pœnis. Host. in sum. tit. de pœnis, n.* 8. *propè finem, & alij.* *Presbytericida priuatur feudis, &c.*

Et ne minus vindictæ, &c. Cum pari passu procedere debeant culpa, & pœna. *c. tanta*, 28. *de excessib. Prælat.* Nec in memoria quoad posteros inæqualitatem inter se admittant. *d. c. in quibusdam*; ideò, & iste homicida priuatus remanet beneficijs, si quæ obtinebat, & ad illa, & alia in futurum obtinenda perpetuo inhabilis fit. *d. c. in quibusdam, vbi DD. supracit. Nauar. consil.* 28. *de pœnit. & remiss. nu. fin.* Nec non eius liberi, id est, filij, nepotes, & alij descendentes vsque ad quartam generationem, incapaces habentur ad beneficia Ecclesiastica obtinenda, absque speciali Sedis Apostolicæ dispensatione. *d. c. in quibusdam, vbi Panor. & alij.*

Appellatione liberorum nõ

ſolum veniunt filij, verum etiã nepotes, & pronepotes. *l. liberorum, 220. ff. de verb. ſignific. l. officiales, 4. C. de Epiſc. & Cler. l. vlt. C. de legit. hæred. l. cum acutiſſimi, 30. C. de fideicom. l. generaliter, 6. §. cum autem. C. de inſtit. & ſubſt. d. c. in quibuſdã. Dec. con. 222. n. 4. gloſ. in Clem. vnica in verb. liberi, de Baptiſ.*

Pœna criminoſi comprehendens poſteros non extẽditur ad lineam fœmininam.

Hæc tamen pœna non cõprehendit deſcẽdentes ex linea fœminina: quia quando imponitur pœna poſteris alicuius criminoſi, non extenditur ad poſteros lineæ fœmininæ. *c. 2. vbicũque, 4. & c. felicis, 5. de pœnis in 6.* Filij enim ſequuntur familiam, & agnationẽ patris, & non matris. *Inſtit. de legit. agnatorũ tut. §. 1. l. cum legitimæ, 19. ff. de ſtatu homin. l. priuilegio, 27. & l. cum adoptiuum, 4. C. de decur. lib. 10. l. 1. §. qui ex duobus, ff. ad municip. & de incolis, c. ex litteris, 2. vbi gloſ. & DD. de conuerſ. infidel. gloſ. in d. c. vbicunque in verbo, maſculinum, de pœnis in 6.*

Et propterea, ſicut de iure communi non participant aliquid de honoribus, & dignitatibus familiæ maternæ. *l. eos, 22. & l. exemplo, 36. C. de decur. lib. 10.* niſi ex ſpeciali priuilegio eis concedatur. *d. l. 1. ff. ad muncip.* multo minus debent participare de pœnis, quæ ſunt odioſæ, ſtrictioris iuris, & interpretationis.

Ceterum ſi delictum ſit publicum, vel detegatur, &c. Idem important iſtæ duæ cõditiones, *ſi ſit publicum*, vel *detegatur*; requiritur enim ad hoc, vt noſter orator infraſcriptam publicam pœnitentiam adimplere teneatur, vt delictum iam ſit publicum, vel tractu temporis fiat publicũ, hoc enim importat hoc loco illud verbũ, *detegatur*, & nulla alia differentia eſt inter illa verba, *ſit publicum*, vel *detegatur*, niſi temporis, videlicet præſentis, & futuri, quoad qualitatem, idem in vtroque à M. P. deſideratur, id eſt publicitas. Quænã ſit iſta publicitas, vide quæ aliàs de ea in hac Praxi ſtatim poſt primam partem abundantius diximus, videlicet, quod habeat notitiã maioris partis viciniæ, & ſi vni, vel alteri, aut quinque perſonis notificetur delictum, nõ propterea dicitur publicũ, & lator tenetur ad pœnitentiam huiuſmodi adimplendam.

Per quinque Eccleſias, &c. Si in loco delicti plures ſint Eccleſiæ, deputatio quinque Eccleſiarũ inuiſendarũ procul dubio facienda eſt ab Ordinario, cuius iuriſdictio læſa, & cuius populo ſcandalum datũ fuit; vt iſtius malitia nõ inueniat ſucceſſorẽ, & punitæ trãſgreſſionis exemplum retrahat

alios

alios ab huiusmodi excessibus in futurum. *cap. vnico de schismat. in 6.*

Nudus, &c. Id est, omnibus externis tegumentis spoliatus. *c. vt cognouerũt, de pœnit. dist.* 2. præter fœmoralia.

Incedat, &c. Hinc colligitur nostrũ latorem non satisfacturum præcepto M. P. si in itinere ad prædictas Ecclesias incedat coopertus aliquo pallio, seu sacco, illudque deponat quando peruenit ad fores Ecclesiæ; sed debet incedere nudus etiam in ipso itinere. Verbum enim *incedo* importat motũ de loco ad locum, & nomẽ istud adiectiuũ, *nudus*, coniunctum verbo, *incedere*, importat nuditatem, nõ solum in foribus Ecclesiarum, verum etiam in ipso itinere, & motu ad dictas fores.

Ante fores dictarum Ecclesiarum, &c. Non credo necesse esse, vt Lator in omnibus, & singulis Ecclesiæ portis se exponat, sed solum in primaria cuiusque Ecclesiæ, per quam populus ingredi solet: & ab hac functione omninò excluderem quasdam collaterales, & secretas portulas ad maius cõmodũ Cleri apertas.

Suũ publicè fatendo, &c. Ex his verbis colligitur, quod iste noster Lator debeat non solum prædictis pœnitentiæ signis, se peccatorem exhibere, verum etiam voce exprimere suum peccatum in specie. Reatus enim significat statum & conditionem reorum; quod vt à populo sine vlla trepidatione sciatur, ideò mãdat M. P. delinquentis proprio ore illud manifestandum, cùm propria reorum confessio inducat notorietatem delicti. *cap. vestra. 7. vbi Panorm. de cohabit. cleric. & mulier. cap. 2. de confessis, & DD. cõmuniter.* *Confessio delicti per reũ facta inducit notorietatem.*

A presbyteris earundẽ, &c. Nomine presbyterorum, veniunt omnes clerici; tam in minoribus, quàm in sacris ordinibus constituti; quia in nece presbyteri totus clerus offensus fuit: & ideò iste homicida omnibus clericis se verberandum subijcere debet.

Earundem, &c. Et sic excluditur presbyter aduentitius, & extraneus, ac propterea noster hic Lator legitime se subtraheret ab istius verberatione.

Psalmum Pœnitentiale, &c. Id est, *Miserere mei Deus*, qui solet ab Ecclesia recitari in excommunicatorum publica absolutione: sed existimo posse Psalmum va-

riari ad libitum cum alio ex Septem Psalmis Pœnitentialibus, quia hi omnes solent ab Ecclesia recitari, quando peccatores ad pœnitentiam recipiuntur. *cap. in capite dist.* 50. & eo magis, quia hic Lator non absoluitur, sed solum punitur, cum iam absolutus fuerit.

Dum maior ibi, &c. Id est, in Missarum solemnijs, quo tempore solet esse maior populi ad Ecclesiam concursus. Dubitari hic potest, in quibus diebus sit peragenda hæc publica pœnitentia, an in diebus solemnioribus, vel in quibusuis diebus festiuis, an potius in quolibet die non festiuo, & feriato. Causam dubitandi præbet *dict. cap. felicis, §. cum autem, de pœnis in 6.* vbi similis pœnitentia imponitur capienti, persequenti, aut occidenti aliquem S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, & præscribitur, quod hæc pœnitentia peragatur diebus Dominicis, & solemnibus. Ergo videntur, dies proprij huius pœnitentiæ esse dies Dominici, & solemnes, non autem feriati; ergo aliquo ex prædictis diebus peragenda est. Nihilominus existimo etiam quolibet die feriato, pœnitentiam huiusmodi peragi posse, si sic Ordinario loci visum fuerit: & ad hoc credendum adducor. Primò, quia cum hæc temporis determinatio, & diei limitatio, non fiat à M. P. nec nos facere debemus.

Pœnitentia publica quibus diebus peragẽda sit.

Secundò, cum Latoris nostri delictum differat à delicto prædicti capituli *felicis*, saltem in qualitatibus extrinsecis, videlicet, hic noster Lator læsit, & occidit presbyterum inferioris ordinis, & illud *c. felicis*, loquatur de persecutione, captura, & nece Cardinalis qui est superioris ordinis: ideò si pro vtroque delicto imponitur eadem pœnitẽtia, & aliàs pœna debeat commensurari culpæ. *cap. quæsiuit, 2. §. fin. de his, quæ fiunt à maiori parte cap. & d. c. felicis, §. illud in fin. & cap. non offeramus, 24. q. 1. Dec. in l. quod à quoquam, 47. ff. de reg. iur. num. 3.* Necesse est, vt quoad nostrum Latorẽ pœnitentia minuatur in circumstantijs extrinsecis, videlicet temporis, & diei; aliàs pœna non commensuraretur delicto, vt per se patet: maior enim iniuria est, quæ fit vni Cardinali, quam Presbytero beneficiato, vel Prelato inferioris ordinis. Et sic euacuatur dicta ratio dubitandi.

Dubitari insuper potest, an vno eodemque die, & hora visitatio istarum Ecclesiarum fieri debeat, an potius interpolatis

latis diuersisq; diebus, & interpolatis diuersisq; horis. Breuiter respondemus: cum hæc pœnitentia sit pars satisfactionis Clero Ecclesiarum loci delicti prȩstādæ, & satisfactio arbitrio Ordinarij danda sit, vt supra diximus; ideò dies & hora visitandi prædictas Ecclesias, etiam prȩscribenda sunt ab eodem Ordinario.

Dictio, quæ est relatiua ad præcedentia.

Quæ si facere, &c. Dictio, *quæ* est relatiua ad præcedentia. *Castren. cons.* 383. *num.* 5. *ttm.* 1. *Rip. in l. re coniuncti*, 87. *num.* 33. *ff. de legat.* 3. *Surd. cons.* 353. *n.* 22. *lib.* 3. *Bart. in l. qui tibi*, 2. *num.* 2. *ff. de auro, & argen. leg. & in l. Stichum* 6. *in princ. ff. de legat.* 1. videlicet ad satisfactionem, & publicæ pœnitentiȩ adimplementum, ac Ordinarij sententiæ paritionem: hæc enim requirunt operationem Latoris, vt demonstrant subsequentia verba, *facere*, & *parere*: & cum hȩc dictio, *quæ*, sit coniuncta verbo futuri temporis, *contempserit* importat conditionem. *dict. l. Stichum, vbi Bartol. num.* 1. *ff. de leg.* 1. & propterea, si prædicta Lator non adimplet, in eandem excommunicationem relabitur ipso facto, absque alia declaratione. *cap. eos qui*, 22. *de senten. excommunic. in* 6.

Aduertendum hic censeo, si Lator aliquid omittat ex forma sibi præscripta in publica pœnitentia prædicta peragenda, absolutionem non suffragari, quin relabatur in dictam excommunicationem; ad validitatem enim actuum forma præscripta ad vnguem seruanda est, alias actus corruunt: *l. cum hi*, 18. *§. si prætor. ff. de transact. l. non dubiū*, 5. *C. de legib.*

Forma præscripta seruāda est ad validitatem actus inducendam.

Et si actus corruit non seruata forma, idem est, ac si non esset factus: & propterea sicut pœnitentia ex contemptu non peracta, facit Latorem reincidere in eandem excommunicationem, idem etiam faciet pœnitentia non peracta secundum formam præscriptam.

Contempserit, &c. Vide præcedentem formulā in eodem verbo, *parere contēpserit*.



COM-

COMMVTATIO
POENITENTIÆ PVBLICÆ.

Pro Laico, qui Presbyterum interfecit, & deinde absolutus fuit cum hoc inter alia, vt pœnitentiam publicam faceret; quam non valens adimplere, cupit illam in secretam commutari; Litteræ in hanc formam extenduntur.

FR. Antonius Barberinus, &c. Pro parte viri Laici nobis oblata petitio continebat, quod ipse aliàs, cum Presbyterum quendam beneficiatum interfecisset, obtinuit à Sede Apostolica absolutionem desuper oportunam, cum hoc inter alia, vt cum primum tuto poßet per quinque Ecclesias illius loci, vbi tantum facinus perpetrauit, si tot ibi fuerint, nudus, discalceatus, fœmoralibus dumtaxat retentis, virgam in manibus, & corrigiam circa collum deferendo incedat, suum publicè fatendo reatum, & ante fores dictarum Ecclesiarum à Presbyteris earumdem se faciat verberari, dum maior ibi ad diuina conuenit populi multitudo. Cum autem, &c. sicut eadem petitio subiungebat, dictus Lator pænitentiam huiusmodi nonnullas ob causas adimplere nequeat, pro sua conscientiæ quiete cupit illam sibi per Sedem Apostolicam in alia poenitentiæ opera secreta commutari. Quare, &c. quatenus si est ita, &c. eidem Latori, audita prius eius sacramentali Confessione, dictam publicam pænitentiam, saluis tamen alioqui cæteris omnibus, quæ illi in absolutione prædicta iniuncta fuerunt, in alia pænitentiæ opera secreta arbitrio tuo facienda commutes in foro conscientiæ, &c. & non aliter, &c. Datum, &c.

Viri

Viri laici, *&c.* Clerico in sacris Ordinibus constituto pęnitentia huiusmodi publica non imponitur. *cap. alienum*, *dist.50. et cap. presbyter dist. 82. Turrecrem. in cap. confirmandum*, *num. 1. dist. 50.*

Et hoc propter scandalum vitandum, ne scilicet scandalizaretur subditi, si tales deberent eis ministrare, & sic eos contemnerent, & officium eorum. *d. cap. presbyter*: nec non ob reuerentiam Ordinis sacri: *S. Thomas in 4. distin. 14. q. 1. art. 5. in fine in respon. ad secundum. Turrecr. loco cit.*

Nonnullas ob causas, *&c.* Causæ istæ debent esse multũ rationabiles, & magni momenti, vt possint præualere satisfactioni, quam populus, & Clerus accepturi sunt ex ista publica pœnitentia; nec non etiam præualere debent publicæ vtilitati, quam ex incusso inde terrore, efferata impiorum hominum audacia reportatura esset.

In alia pœnitentiæ opera secreta, *&c.* Videlicet ieiunia, preces, eleemosynas, peregrinationes, aliaque corporis afflictiua, quæ licet habeant actum externum, attamen, cum soleant etiam fieri ex deuotione, & pietate, ideo vocari possunt secreta, quoad causam, propter quam fiunt. Et hoc sufficit quoad secretum istius commutationis.

Commutes, *&c.* Non coniungitur istud verbum *commutes* cum alio verbo *dispensando*, quod solet multum facere huiusmodi verbo *Commutes*, ad suum æqualitatis rigorem deponendum, & ad efficiendum, vt quod grauius, & difficilius est, benigniori, & faciliori legitime cedat, vt diximus in prima Parte huius nostræ Praxis in clausula, *dispensando commutes*. Et propterea exequutor huiusmodi litterarum debet attẽtius animaduertere, in quæ opera cõmutet istam pęnitentiam, an sint illi proportionata; & nisi illi correspondeant in intensione, videlicet in grauitate, saltem correspondeant cum extensione, hoc est cum diuturna duratione: diuturna enim duratio in pęnalibus efficit, vt quod de natura sua est leue, & facile, euadat grauius, & difficilius, gutta enim, vt dici solet, cauat lapidem.

PRO

PRO ABSOLVTO

Qui postquam quendam Clericum percusserat, ad Vrbem pro absolutione desuper obtinenda personaliter accessit, non tamen ab Ordinario iussus, petit ad Ordinarium absolutus mitti; Litteræ sic conficiuntur.

Venerabili in Christo Patri Episcopo N. N. F. Antonius Barberinus &c. Sua nobis Titius Francaporta petitione monstrauit, quòd ipse aliàs quendam N. Clericum Sidonien. Diœcesis vulnerauit, absque tamen periculo vitæ, excommunicationis sententiam propterea incurrendo. Cum autem dictus Titius de præmissis plurimum doleat, & ad Vrbem pro absolutione desuper obtinenda personaliter accesserit, pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolutus ad vos mitti. Quare, &c. dictum latorem ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrit, ad Vos hac vice in forma Ecclesiæ consueta absolutum in foro conscientiæ tantum, mittimus: ita tamen vt sententiæ, siue ordinationi vestræ super præmissis forsan latæ, seu ferendæ, parere omnino debeat: Mandantes vobis, vt inter alia curetis dictum latorem prædicto Presbytero, si nondum satisfecit, satisfacere competenter. Demum latoris culpa diligenter considerata, iniungatis eidem authoritate prædicta pænitentiam salutarem; & si satisfacere, ac sententiæ, siue ordinationi vestræ parere, vt præfertur, contempserit, in eandem excommunicationem eo ipso relabatur. Dat. &c.

Ad Vrbem personaliter accesserit, &c. Debet iste, vt supra diximus, ad Vrbem accedens, primo se præsentare Eminentissimo D. Cardinali Maiori Pęnitentiario, vel Illustrissimo D.S. Pœnitentiariæ officij Regenti, & ab altero eorum absolui, vel secundum consuetum stylum ab eis petere facultatem, vt ab aliquo ex suis minoribus Pœnitentiarijs Basilicarum Sancti Petri, vel Sancti Ioannis, aut Sanctę Mariæ Maioris possit absolui: habitaque huiusmodi facultate, conferat se ad prædictum Minorem Pœnitentiarium, a quo absolutus adeat cum priuata fide suæ absolutionis per dictũ Minorem Pœnitentiarium sibi facta, vnum ex tribus Procuratoribus eiusdem sacræ Pœnitentiariæ officij, & instet pro confectione litterarum in forma Breuis, vt supra Ordinario directarum, quas gratis a dicto procuratore acceptas super sua absolutione tenetur exhibere supra dicto suo Ordinario ad effectum vt infra.

Ab excommunicationis sententia, &c. Per hanc clausulam expresse declaratur, latorem fuisse absolutum a pœna Ecclesiastica per eũ incursa, quia personam Ecclesiasticam percussit, id est ab excommunicatione, non autem ab alijs pœnis, quarum reus est ob hominis percussionem: atque ita in hoc delicto duæ iniuriæ cõsiderantur. Prima, prout est contra legem communem, qua iubetur neminem lædi debere. *l.1. & sequentibus, ff. de iniurijs, cap. finali de iniurijs.* Secunda, prout est contra canonem, *si quis suadente*: & de huius absolutione in pręsentia agitur, prout ista percussio fuit facta Clerico, & contra *can. si quis suadente*: atque ita absolutio intelligitur de pœna spirituali, id est, medicinali, qualis est excommunicatio, quæ est medicina potius, quam pœna, prout in principio huius tertiæ Partis diximus. Remanet ergo intacta alia pœna, quoad ius commune.

Præterea dicitur, *ab excommunicationis sententia*, ne intelligatur absolutus ab obligatione præstandæ satisfactionis & reficiendorum damnorum datorumq; quæ omnia præstare, & reficere tenetur, prout infra declaratur, & superius diximus.

Ad vos, &c. Non vt priuatæ personæ sunt, sed vt publicæ, & iudices Ecclesiastici sunt sui gregis: & ideo vt publici iudices latorem præsentium per Maiorem Pœnitentiarium absolutum recipiant, & admittant, nec cõtra ipsum am-

amplius tenentur in suo Tribunali affigere cedulones, sed forsan affixos remouere debent, cum hanc ob causam ad ipsos per Maiorem Pœnitentiarium missus lator fuerit absolutus; alias frustratoria esset ista missio, nec facienda esset, si solum absolutio præstita in secreto remanere deberet.

Absolutum in foro conscientiæ, &c. Id est, quoad forum spirituale, cuius fori est excommunicatio, vt supra diximus.

Dictio tantum est taxatiua.

Tantum, &c. Dictio, *tantum*, est dictio taxatiua, & restrictiua. *l. ob æs alienum tantum, 12. C. de præd. minorum*: & ideo huiusmodi absolutio in foro conscientiæ, & spirituali, id est quoad excommunicationem, non autem extra illud suffragatur quoad alias pœnas: hæc enim dictio, *tantum*, ponit solummodo quæ affirmat, & cætera omnia excludit. *Bald. in l. ita nobis, 28. C. ad leg. Iul. de adult. Bart. in l. 1. vbi etiam Iason, n. 9. ff. si quis ius dicenti, &c.*

Mandantes vobis, &c. Imponitur Episcopo, & eius Vicario, vt tanquam Iudices publici, & Ordinarij loci, curent priuatam, & publicam satisfactionem; priuatam, quæ præstanda sit Presbytero percusso, vt supra diximus: publicam, quæ danda sit populo ob scandalum acceptum, & ius publicum læsum. Et hæc publica satisfactio præstatur per publicam correctionem, & satisfactionem. *cap. 1. de pœnit. & remiss. vbi Panor. & Doctores cõmuniter*. Ex quibus omnibus colligitur, mitti latorem ad suũ Ordinarium, absolutũ, non vt recipiatur sub secreto sigillo, vt recipiunt confessarij, sed vt in publico habeatur pro absoluto; & ad hunc effectum conficiuntur litteræ testimoniales absolutionis receptæ directæ ad Ordinarium. *Satisfactio publica per publicam correctionem præstatur.*

Et si satisfacere, &c. Hinc aperte colligitur obligatio, quam habet lator postquam fuit per Maiorem Pœnitentiarium absolutus, se præsentandi Ordinario cum litteris receptæ absolutionis: si enim, cum tutò, & commode potest non se præsentat, in eãdem excommunicationem incidit. *cap. eos qui, 22. de sent. excomm. in 6.* quia contemnit parere sententiæ, & ordinationi per Ordinarium latæ, seu ferendæ. Nam ille dicitur cõtemnere, qui cessante impedimento non adimplet, quod adimplere tenetur. *d. cap. eos qui de sent. excomm. in 6.* vt supra diximus. *Contemnere quis dicatur.*

Quod

Quod autem lator teneatur se præsentare suo Ordinario, aperte patet ex ipsismet verbis præsentium litterarum, & ex obligatione sibi imposita per M. Pœnitentiarium, quando fuit absolutus; verum etiam ex ipso delicto, quo illius iurisdictionem læsit, percutiendo eius ouem, vt superius diximus: & ideo ei satisfaciendum.

Litteræ pro remisso Absoluto.

Pro Remisso Absoluto, qui quendam Presbyterum vulnerauit, & idcirco ab Ordinario declaratus fuit excommunicatus, & ab eodem missus ad Vrbem pro absolutione desuper obtinenda, conficiuntur litteræ prout in præcedenti formula: solum loco verbi, *Mittimus*, ponitur aliud verbum, *remittimus*: remittitur enim, qui fuit missus, videlicet retromittitur ad Ordinarium, a quo fuit missus ad Sedem Apostolicam: & præterea omittitur clausula, *in foro conscientiæ tantum*, cuius loco, nihil aliud apponitur, quia eo modo remittitur, quo fuit missus: missus autē fuit simpliciter, & ad eundem remittitur sine vlla taxatione, & restrictiua.

Pro presbytericida remisso absoluto.

Pro Remisso Absoluto, qui Presbyterum interfecit, & propterea declaratus fuit ab Ordinario excommunicatus, & ab eodem missus ad Sedem Apostolicam pro absolutione desuper obtinenda; litteræ cōficiuntur, vt in præcedenti: sed apponitur publica pœnitētia præter alias pœnitentias, quę solent paponi, quando cōficiuntur litteræ pro absoluendo presbytericida, prout superius diximus: & ideo in huiusmodi litterarum declaratione non est necesse hic amplius immorari.



A MA-

A MALA PROMOTIONE ANTE ÆTATEM.

Pro Presbytero, qui existimans habere legitimam ætatem, promotus fuit, & postmodum in Altaris ministerio ministrauit: & licet nuper cognouerit ad ætatem legitimam quatuor menses defuisse, nihilominus ab exequutione Ordinum non abstinuit. Litteræ pro eius absolutione, & dispensatione sic conficiuntur.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quod ipse aliàs existimans se legitimæ ætatis, ad Sacrum Presbyteratus ordinem promoueri se fecit, & in eo ministrauit. Postmodum vero cognoscens sibi quatuor menses ad ætatem legitimam defuisse, nihilominus ab exequutione suorum ordinum minime abstinuit, & idcirco in censuras Ecclesiasticas incidit, & irregularitatem contraxit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, lator prædictus, modò sit legitimæ ætatis, & de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum dolens, suos ordines exercere licite posse desideret; pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. Nos igitur, &c. discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum latorem, audita prius eius Sacramentali Confessione, a quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, iniuncta inde ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, quæ duret per tantum tempus, quantum ei deerat ad ætatem legiti-

giti-

gitimam, cum promotus fuit, & alijs, &c. iniungenda, &c. Ipsoque ab exequutione suorum ordinum suspenso. Demum; dummodo præmissa occulta sint, & lator ætatem legitimam expleuerit, cum eodem, pœnitentia, vel illius parte peracta, & suffragantibus sibi dignis pœnitentiæ fructibus, & meritis, alioque ei canonico non obstante, super irregularitate per eum ex præmissis, quia interim sic ligatus Missas, & alia diuina officia (non tamen in contemptum Clauium) celebrauit, vel aliàs Diuinis se immiscuit, quomodolibet contracta: quodque illa, & alijs præmissis non obstantibus, postquam in huiusmodi suspensione steterit per tempus arbitrio tuo statuendum, in suis ordinibus, etiam in Altaris ministerio ministrare, & sibi ante præmissa canonice collata retinere: & si quæ in futuram, aliàs tamen canonice, conferantur beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, inuicem tamen compatibilia recipere, & similiter retinere licite valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, neque vllo alio modo. Ita quod huiusmodi absolutio, & dispensatio in foro iudiciario nullatenus suffragentur. Datum, &c.

Omissis hic de more illis clausulis explicandis, quæ habentur in communi cum alijs supradictis formulis, ad proprias deueniemus.

Quod ipse alias existimans, &c. Olim susceptis minoribus ordinibus quisque in decimo octauo suę ętatis anno suscipere Subdiaconatū, in vigesimo vero ad Diaconatum, in vigesimo quinto similiter suæ ætatis annis ad Presbyteratū promoueri poterat, per *clem. generalē, 3. de ætate, et qualitate ordinan*. quam tamen Clementinā correxit *Concil. Trid. sess. 24. c. 12. de refor.* vbi decernit, Subdiaconatum in vigesimo secundo, Diaconatū in vigesimo tertio & Presbyteratum in vigesimo quinto ętatis suę annis a Clericis quatuor minorū Ordinū suscipiendos. Si autem quis contra huius determinationem Concilij facere præsumeret, male promoueretur ante legitimam ætatem, prout fecit noster hic lator.

Postmodum cognoscens sibi quatuor, &c. Hęc cognitio facit, vt lator animaduertat pęnā a se incursam ob malam ordinis susceptionem; & admonet ne illum exercere in posterum audeat, quia si secus faciet, non euadet irregularitatem, a qua hactenus bona fides, & ignorentia eū excusārunt. *c. Apostolicæ, 9. de clerico excom. ministr.*

Bona fides excusat ab irregularitate.

Et idcirco in excommunicationem, &c. Qui suscipit ordines ante ætatem legitimā, ipso facto remanet suspēsus ab exequutione illorum, per *Constitutionem Pij II. contra promotum ante legitimam ætatē, quæ incipit. Cum ex sanctorum Ordinum collatione, &c. prout in Bullario fol. 79. sub anno* 1461.

Præterea possunt incurrere etiam excommunicationem, quam solēt fulminare Episcopi aliqui ordinantes contra nō canonice ad ordinationem accedentes. Et ideo hic ad abundantiorem cautelam ponitur in plurali numero, *censuras Ecclesiasticas incurrisse.*

Irregularitatem contraxit, &c. Expresse ponitur in prædicta *Constitutione Pij Secundi*, quod ante legitimam ætatem promotus, si exercet ordinem sic susceptū, vel alios canonice susceptos, irregularitatem contrahat: nam pęna suspensionis nō est solummodo ab ordine male suscepto, verum etiā ab alijs: statuit enim ibi Pius Secundus, quod omnes, & singuli, qui absque dispensatione canonica, aut legitima licentia, *siue extra tempora a iure statuta, siue ante ætatem legitimam, &c.* ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoueri, a suorum ordinum exequutione ipso iure suspensi sint, & huiusmodi suspensione durante si in eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrāt.

Dictum latorem, audita prius, &c. Quod exequutio huiusmodi litterarum faciēda sit in actu Sacramentalis Confessionis, iam alibi diximus, & ideo hic nihil addendū cēseo.

A quibusuis, &c. Hæc dictio, *quibusuis*, est dictio vniuersalis omnia includens, & nihil excludens. *arg. l. a Procuratore, 13. C. mand. & c. solitæ, 6. de maior. & obed.* & ideo per hāc dictionem conceditur cōfessario facultas absoluendi latorem præsentium a quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis per eum occasione huius malæ promotionis incursis, siue sint à iure, siue ab homine.

Dictio, quibusuis, est vniuersalis, omnia includens.

Quomodolibet, &c. Hæc dictio idem importat, ac dictio, *quomodocunque, & quocūque*

que

que modo. Paris. cons. 58. nu. 10. vol. 1. & alij. & est similiter dictio vniuersalis comprehendens omnes casus. Ruin. cons. 15. n. 36. col. 1. & alij. Ideoque comprehendit omnem modũ incursionis censurarum, quas Lator ratione huiusmodi illegitimæ promotionis potuerit directè, vel indirectè incurrere, hoc est non solum de iure communi, sed etiam de iure speciali, consuetudine, &c. vt in simili notauit *Gonzal. ad reg. 8. cancell. glos. 29.*

Quomodolibet est dictio vniuersalis compr. hendẽs omnes casus.

Incursis, &c. Id est, hactenus de præterito incursis, nõ autẽ de in futurũ incurrẽdis.

Pœnitentia salutari, &c. Quæ pœnitentia possit imponi, relinquendum est arbitrio confessarij exequutoris huiusmodi litterarum. Consulerem tamen, vt pro pœnitentia imponatur pluries in hebdomada confiteri propria peccata, vt dignius, & sine macula ad altare accedat, ad quod tanta temeritate, & audacia hucusque illaqueatus accessit, cum nemo ab huiusmodi pœnitẽtiæ adimpletione excusare se possit.

Tamdiù duratura, &c. Verba sũt clara, & nõ egẽt explicatione: ad quatnor enim menses durare debet, nec põt cõfessarius tẽpus diminuere.

Ipsoque ab exequutione suorũ ordinũ suspenso, &c. Ne per præcedentem absolutionẽ à censuris censeatur Lator præsentiũ eo ipso restitutus ad ordinũ exequutionẽ, admonetur per præsentẽ clausulam, adhuc firmam remanere suspẽsionem: nisi velimus, quod prima suspẽsio per precedentem absolutionem fuerit relaxata, & noua imposita per cõfessorem. Sed nõ video cur sint multiplicandæ suspensiones sine necessitate: forsan ne si celebret ante tẽpus præscriptum à confessore, dicatur contraxisse irregularitatem? Nihil officit hæc ratio, quia si noster exequutor imponeret nouam suspensionem, imponeret authoritate M. P. & potius nomine Põtificis, & ideò induceret veram, propriamq; suspensionem; & si in tali suspensione celebraret, fieret irregularis Lator præsentium.

Demum, dummodo præmissa occulta, &c. Dictio, *dũmodo* cum adiungatur ei, quod necessariò est implendum, antequam actus perficiatur, importat cõditionẽ, *l. Titius, 41. §. Stichus, ff. de fideicom. libert. Soc. iun. cons. 148. in fin. vol. 1. Mandos. in reg. 31. cãcell. q. 13. n. 8. & alij.* Ideo noster exequutor antequã veniat ad exequu

Dictio, dummodo importat conditionem.

tionem huiusmodi litterarum, perpendere prius debet, an mala latoris promotio sit occulta, nec ne. Quomodo autem debeat esse occulta, vide, quæ de occultis diximus in principio secundæ Partis nostræ huius Praxis. Si nõ est occulta, abstineat ab executione.

Dictio, Et, copulat præcedẽtia cum subsequentibus.

Et lator legitimam expleuerit, &c. Dictio, *Et*, cum sit de natura sua copulatiua, copulat præsentem clausulam cum præcedenti: & sicut verificari prius debet præcedens clausula, ita, & hæc præsens: ac proptereа, nisi lator legitimam compleuerit ætatem, exequutor debet omnino abstinere ab exequutione huiusmodi litterarum, hoc est, a relaxatione suspensionis, & dispensatione super irregularitate.

Insuper exequutor animaduertat, an tempore datæ litterarum prædictarum, lator præsentium esset in legitima ætate constitutus: nam ad validitatem gratiarum requiritur, vt tempore Datæ preces veritati nitantur, aliàs gratia est nulla, & inualida. *c. constitutus*, 19. *de rescrip.* vt aliàs fusius probauimus. Nec sufficit, quod tempore exequutionis sit legitimæ ætatis.

Ablatiuus absolutus importet conditionẽ.

Pœnitentia, vel illius parte, &c. Cum ablatiuus absolutus importet conditionem actus, cui adiungitur. *l. a testatore*, 108. *vbi Bart. n.* 1. *ff. de condit. & demonstr. & in l. quibus diebus*, 40. *§. finali n.* 2. *ff. eodem* & actus conditionalis non valeat nisi existente conditione. *l. si quis sub conditione*, 8. *ff. si quis omissa caus. testam. l. cedere diem*, 213. *ff. de verb. signif. l. si quis fundum*, 37. *ff. de contrahenda emptione*. Ergo non audeat noster exequutor dispensare cum latore præsentiũ antequam partem pœnitentiæ adimpleuerit: quia facultas dispensandi est illi concessa cum hac conditione, videlicet, pœnitẽtia, vel illius parte peracta; & si secus fiat, actus corruit.

Partis appellatione quid veniat.

Partis appellatione videtur in dubio dimidium intelligi. *l. nomen filiarum*, 163. *§ portionis*, *ff. de verb. signif. glos. in l. plane vbi*, 34. *verba pro parte*, *ff. de leg.* 1. *l. etiã*, 50. *ff. de vsufr. Dec. cons.* 69. *quod incipit. Visis duobus*, nisi adijciatur illi particula *aliqua*, vel *quædã*: v.g. si dicatur, aliqua pars, vel quædã pars: hoc enim casu venit minima pars. *glos. in clem.* 1. *ver. aut eorum parte, de foro competenti, Anchar. cons.* 168. *n.* 4. *vers. præterea Curt. sen. cons.* 49. *n.* 96. *& alij*: Et consequutiue post duos menses a die impertitæ absolutionis esse cum latore præsentium dispensandum, cum pœnitentia durare debeat ad quatuor menses.

Et

Et suffragantibus sibi dignis Pœnitentiæ, &c. Qui sint Pœnitentiæ fructus, aperte patet, videlicet, dolor de peccato, eius confessio, & exhibitio satisfactionis.

Fructus pœnitentiæ.

Et meritis, &c. Hoc est, bonis vitæ moribus, & Ecclesiastico conuenientibus: si enim esset lator vitæ dissolutæ, & scandalosæ, & nollet resipiscere, illũ dimittere indispensatũ, etenim similibus personis maior Pœnitentiarius non patrocinatur.

Alioque ei canonico, &c. Si aliquod ex impedimentis per me enumeratis in principio huius tertiæ Partis obstet latori, eo quod aliqua alia irregularitate irretitus sit, vel ex communicatione maiori illaqueatus, remittendus est ad maiorem Pœnitentiarium indispensatus, vt aliud impedimentum declaret. Licet enim vnum impedimentum nõ habeat connexionem cum alio, & possint separatim peti absolutio, & dispensatio, & seorsum absolui & dispẽsari super vnoquoque eorum; attamen quia hæc clausula posita cum ablatiuo absoluto importat cõditionem, vt supra diximus, & facit gratiam Maioris Pœnitẽtiarij conditionalem, ideo ea non existente corruit gratia, & non potest illius vigore cum latore dispensari.

Super irregularitate ex præmissis, quomodolibet contracta, &c. Dictio, *ex*, de sui natura importat causam proximã & immediatam. *l. 1. §. ex incendio, vbi Bart. ff. de incen. ruin. et naufragio. l. ex hoc iure, 5. ff. de iust. & iure, & l. non dubiũ, 5. §. quoad omnes, C. de leg. l. 1. C. si seruus extero. l. ex causa donationis, 25. C. familiæ ercifcundæ. l. eo tempore, 51. §. fin. ff. de de peculio. c. inter dilectos, 6. §. cum igitur, de fide instr. Dec. cons. 539 quod incipit, inclita Ciuitate Ianuæ, n. 7.* & ideo verbum istud, *irregularitate*, non sumitur in tota sua latitudine, prout comprehendit omnes irregularitatũ species, sed restringitur solummodo ad eã, quæ prouenit ex illegitima ordinum administratione paulo ante narrata.

Dictio, ex importat causã propriam, & immediatam

Non tamen in contemptum clauium, &c. Id est, in vilipẽdium clauium, id est, ordinis, & iurisdictionis: ordinis, quia formaliter cõtempsit potestatem, quam Ecclesia sacerdotibus in ordinatione tribuit, atque ita non curauit legitime exercere ordines: Et iurisdictionis, quia minimi fecit iurisdictionem Pontificum, & Cõciliorũ decreta, quæ sub pœna irregularitatis prohibẽt suspẽsis, & excommunicatis ordinũ exequutionẽ. Si hoc animo, &

intẽtione lator noster exercuit ordines, debet indiſpẽſatus dimitti, ob dictionem, *non*, quæ eſt negatiua, & malignantis naturæ, & a ſubiecto tollit omne id, quod negat. *l. ſi filius tuus*, 14. *C. de don.* & ob inmediate ſubſequentem dictionẽ, *tamen*, quæ eſt dictio limitatiua, & reſtrictiua propoſitionis, cui cõnectitur. *l. ita tamen*, 27. *ff. ad Trebell. & l. vbi adhuc*, 29. §. *ita tamen*, *C. de iure dotium*, ac propterea reſtringit, & limitat præmiſſa, ne ſuffragentur latori noſtro, ſi adſit huiuſmodi cõtẽptus, qui a Maiori Pœnitẽtiario omnino excluditur per prę cedentẽ dictionẽ negatiuam.

Dictio, tamẽ, eſt limitatiua.

Poſtquam in huiuſmodi ſuſpenſione, &c. Cũ dictio, *poſtquam* inducat conditionem in ea diſpoſitione, in qua ponitur ſecundum *Bar. in l. quibus diebus*, 40. §. *Termilius*, n. 5. *ff. de cond. et demon.* ideo non prius deueniendum eſt ad diſpẽſandum cum latore præſentium, quã elapſi fuerint duo menſes ad minus ſuſpenſionis huiuſmodi a die præſẽtis abſolutionis impertitæ: conditio enim prius verificari debet, antequã diſpoſitio poſſit habere ſuũ effectum, vt ſuperius diximus, cum iſta dictio, *poſtquam*, excludat omne tempus anterius ſecundum *Pariſ. conſ.* 31. n. 83. *vol.* 1. & reſpiciat ſolum tẽpus poſterius, per *Menoc. cõſ.* 1103. *num.* 4. & *DD. communiter*.

Per tempus arbitrio tuo, &c. Arbitrium noſtri exequutoris nõ eſt liberum ſimpliciter, adeo vt poſſit pręſcribere minus tempus remanendi in ſuſpenſione, quàm duos menſes, ſed ponitur ſolũ in eius libertate, & arbitrio, an ſit relinquendus lator præſentium in ſuſpenſione per quatuor, vel potius per duos mẽſes, & in eius electione iſta duo tẽpora relinquũtur; alias hæc clauſula deſtrueret prædedẽtes, in quibus pręſcribitur pœnitentia quatuor mẽſiũ, & iubetur poſt pęnitentiã, vel illius partem peractã cum latore diſpẽſari: & ſicut legum correctio eſt vitanda, quando inuicem ſuſtineri valeant. *c. cũ expediat*, 29. *de elect. in* 6. *l. ſi quando*, 35. *C. de inoffic. teſt. l. præcipimus*, 32. *in fine C. de appell.* ita, & clauſularum, quando inuicem ſuſtineri, & ſe inuicem interpretari queant, prout eſt in noſtro caſu, in quo ſaluantur, & arbitrium, & Pœnitentiæ duratio præſcripta.

Legum correctio euitãda.

In ſuis ordinibus, &c. Per iſtam clauſulam lator reſtituitur in priſtinũ ſtatum, ac ſi huiuſmodi delictũ non perpetraſſet, nulla apoſita limitatione, ac reſtrictione, quoad habilitatem, & poteſtatem ſuos exercendi ordines, tam priuatim,

quam

quã publice, tã in choro, quam in Altaris solemni ministerio, hoc enim important illa verba, *in suis ordinibus, etiam in altaris ministerio*.

Et sibi ante præmissa canonice, &c. Cùm propter huiusmodi malã promotionem, & ordinum administrationem posset iure priuari beneficijs Ecclesiasticis, quæ aliàs canonicè obtinuerat, prout inter alios expresse decreuit *Pius II. in præcitata sua Constitutione*, licèt loquatur de foro exteriori, & propterea requiratur sententia Iudicis, non autem de foro interiori, & secreto; nihilominus conceditur Latori præsentium, vt beneficia ante prædictos excessus sibi canonicè, id est secundum sacros canones (illud enim dicitur canonicum, quod est à iure canonico comprobatũ. *c. postulastis, 7. de cler. excom. min.*) collata retinere queat pacificè, & absque vllo conscientiæ scrupulo, & animi titubatione.

Canonicum quid sit.

Quæ requirantur ad hoc, vt beneficia intelligantur canonicè collata, breuiter attingã. Primò, vt à legitimo collatore fiat collatio: qui autem sint isti legitimi collatores, facile est assignare.

D. Papa est primarius & vniuersalis dispensator dignitatũ, &c.

Primarius enim, & generalis Ecclesiarum, dignitatum, ac beneficiorum ecclesiasticorum dispensator est Sũmus Pontifex. *c. licet Ecclesiarum, 2. de præbend. & dignit. in 6.* Secundarij sunt Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi. *c. Episcopus, 4. & c. referente, 7. & c. graue nimis, 29. de præb. & dign. c. si tibi, 17 de præb. in 6. c. nullus omnino, 16. q. 7.* Capitula. *c. significatũ est nobis, 11. & c. pro illorum, 22. & d. cap. graue nimis, de præbend. & dignit. c. proposuit, 4. de conceß. præben.* Archidiaconi, *d. c. referente*, & alij iurisdictionẽ quasi Episcopalẽ, vel indulta desuper necessaria habẽtes, vel specialem ecclesiarũ dispositionem obtinentes.

Secundò requiritur vt personæ habili, & capaci conferantur. Personæ autem habiles illæ dicũtur, quæ sunt prędità ætate, moribus, & scientia. *c. cum in cunctis, 7. de electione, vbi glos. in d. cap. graue nimis eod. tit.*

Beneficia personæ habili cõferri debẽt.

Ætas pro simplicibus beneficijs absque residẽtia, olim maior septem annorum; minores enim septem annorum, non debent insigniri clericali tonsura. *cap. fin. de elect. in 6. & c. cum adeò, de rescript.* Hodie vero per *Concil. Trident. sess. 23. cap. 6. de reform.* non confertur beneficium ecclesiasticũ minori quatuordecim annorum. Ad dignitates quascunque curam animarum ha-

Quæ ætas requiratur ad beneficia obtinenda.

 ben-

bentes requiritur saltem ętas 25. annorum. Ad dignitates, & personatus, quibus cura animarum nulla subest, sufficit ætas annorum vigintiduorũ. *d. cap. cum in cunctis, de elect. & Concil. Trident. sess. 24. cap. 22.*

Probitas morum requiritur in beneficiando. Probitas morum: & ideò excluduntur omnes excommunicati. *c. postulastis, 7. de cler. excommun. minist.* & irregulares, veluti illegitimi. *c. 1. & 2. & cap. proposuit, 6. de fil. presbyterorũ. c. innotuit, 20. de electione. c. per venerabilem, 13. qui filij sint legitimi. c. accedens, 14. de purgat. canon.* Corpore vitiati. *cap. qui in aliquo dist. in. 51. cap. 1. in fin. dist. 49. c. 1. dist. 55. c. 2. de clerico ægrot.* Homicidæ. *c. fin. de cler. pugnan. in duello. c. studeat in fin. 50. dist.* & alij irregulares, prout diximus superius, agendo de irregularitatum speciebus.

Et insuper requiritur, vt non habeant alia beneficia, plura enim beneficia sine dispensatione insimul retineri non possunt. *cap. cum teneamur, 6. vbi glos. in verb. commodè. c. quia in tantum, 5. c. ad hæc, 13. de præb. & dignit. Conc. Triden. sess. 7. cap. 2. 4. & 5. de reform.*

Quæ scientia requiratur. Scientia, quæ sit sufficiens pro illo ordine, quem requirit beneficium, vt supra dixi de irregulari, ex defectu scientię.

Modus assequutionis. Demum requiritur modus assequutionis, & impetrationis, qui sit à Sacris canonibus approbatus: & ideò excluditur modus simoniacus. *c. cum essent, 12. c. insinuatum, 13. & c. ex diligenti, 17. de simonia,* vt infra suo loco melius explicabimus: & ob eandem causam excluditur Confidentiarius per Bullas fel. record. Pij IV. quę incipit, *Romanum, in Bullario constitut. 109. &* Pij V. *constit. 87. quæ incipit intolerabilis.*

Et si quæ in futurum alias tamẽ canonicè beneficia, &c. Per hanc clausulam non dispensatur cum Oratore, vt beneficia denuo per eũ obtinenda possit cũ alijs à se obtẽtis, retinere sine speciali dispẽsatione Sedis Apostolicæ, sed solum tollitur eius inhabilitas proueniens ex supra narratis excessibus: & ideò si aliud beneficium obtinet absque expressione obtentorum, & dispensatione speciali ad insimul hęc retinenda, primum beneficium vacat, si secundũ vult retinere. *c. præterea, 14. cap. de multa, 28. de præben. & dignit.*

Inuicem tamen compatibilia, &c. Beneficia incompatibilia ea sunt, quando per vnius

vnius consecutionē alterum vacet, vt sunt duæ Dignitates. *cap. quia nonnulli, 3. de cleric. non residen.* Duo Personatus. *d. cap. multa, de praben.* Duo officia. *c. vnū, 21. q. 1. & c. fin. 20. q. 4.*

Quando primum beneficium per secundi assetionem vacat. Quod tamen intellige, quādo est plenè translatus quis ad secundam dignitatem. Beneficium enim primum tunc vacat per secundi adeptionem, quando beneficiatus est plenè translatus ad secundum. *c. cum in cunctis, 7. de elect. c. cōmissa, 35. de elect. in 6. Panorm. in c. si quis clericorum, 1. nu. 5. de cleric. coniug. & DD. communiter.* Duæ Parochiales Ecclesiæ, & curata beneficia. *cap. quia in tantum, 5. de praben. cap. gratia, 8. de rescriptis, in 6.* Duæ Vicariæ perpetuæ. *clement. vnica de officio Vicarij.* Duo beneficia simplicia sub eodē tecto. *c. litteras, 19. de concess. praben.* Duo beneficia diuersarum Ecclesiarum actualem residentiam requirentia. *c. non potest, 21. de praben. in 6.* Vide alias beneficiorum incompatibilitates apud *Rebuffum in sua Praxi benefic. in tit. de dispensatione ratione ætatis.*

Conferātur importat omnes modos assequendi beneficia. *Conferantur, &c.* Istud verbum cum sit generale, cōprehendit omnes eos modos quibus obtineri possint beneficia Ecclesiastica, siue per collationem, siue per electionem, siue per præsentationem, siue per commendam, prout bene aduertit *Rebuffus in sua Praxi beneficiali, loc. cit.*

Nomin ebeneficiatorum an veniant dignitates. Insurgit dubium, an vigore istius dispensationis, possit Lator noster consequi dignitates Ecclesiasticas, cùm beneficiorū nomine videantur venire etiam dignitatés. *c. tua nobis, 32. de verb. significat.* videlicet Abbatiæ, & Episcopatus. *cap. maioribus, 8. vbi Panorm. num. 2. de praben. & dignitat.*

Hoc tamen non obstante contrarium censeo dicēdum: sumus enim in materia dispēsationis, quæ cum sit dispositio contra ius commune, debet strictè interpretari. *cap. 1. S. ille, de fil. presbyt. in 6. & cap. quæ à iure. 28. de reg. iur. in 6.* & propterea non potest extendi ad non expressa. *cap. non potest, 21. de praben. in 6. & d. c. 1. de filijs presbyt.*

Nec obstat *d. cap. tua, in contrarium allegatum*, immò nostræ sententiæ omnino fauet: Primo, quia in *d. cap. tua*, agitur de priuilegio facto Episcopo pro conseruando suæ dignitatis statu à debitorum grauamine; pro quo conseruando omnia beneficia tam maiora, quàm minora suæ

suæ diœcesis sibi subiecta, ratio exigit, vt suis fructibus cōcurrant: quod non est in casu nostro, in quo dispensatus, quantum in se erat in suis excessibus, nec minimum merebatur beneficium, immò demerebatur. Et magnopere ei indulgetur, dum ad minora beneficia habilitatur.

Secundo respondetur, dictum capitulum restringere allegatam interpretationem: videlicet generali nomine beneficiorum venire dignitates, & maiora beneficia, ad casum tantum *in d. cap.* expressum. hoc enim ponunt illa duo verba, *in hoc casu*.

Nomine beneficiorum non veniũt dignitates. Ratio est, quia cum dignitates sint speciali nota dignæ, vt benè aduertit *glossa in c. 2. verbo, dignitatum, de præben. in 6.* nisi specialiter notentur, exclusa intelliguntur *c. quamuis, 4. §. quamquam, de præb. & dignit. in 6. l. iniuriarũ, 13. §. quæ iure potestatis. ff. de iniur.* & hoc esse secundum stylum Romanæ Curiæ asserit *Rebuff. in sua Prax. benefic. in tit. de dispensat. ratione ætatis, vers. contrarium tamen verius est, & in vers. addendum est,* vbi expressè negat in Bulla dispensationis, ad duo beneficia, posse addi clausulam, etiā si dignitates, nisi in corpore signaturæ fuerit facta mentio de dignitatibus, quia regulariter Papa plus non concedit, quam pars requisierit: & ideo monet in supplicationibus dispensationum exprimendum, vt secum dispensetur ad dignitates etiam in Cathedralibus, & Metropolitanis. Ex quibus collige, vigore præsentis dispensationis Latorem præsentium posse solummodo consequi beneficia simplicia, & curata extra cathedrales Ecclesias existentia, & a dignitatibus seiuncta.

Recipere, & similiter retinere, &c. Id est, collationi ad sui fauorem factæ assentiri, beneficiorum sibi collatorum possessionem capere, & retinere.

Reliquæ clausulæ huius dispensationis formulæ sunt eædem, ac superius in alijs formulis positæ: ideò in eis iterum explicandis non est necesse amplius immorari.



PRO

PRO

Diacono, qui sacros Subdiaconatus, & Diaconatus ordines ante legitimam ætatem suscepit, & in eis ministrauit, & posteà audiuit in Confessione quendam Sacerdotem paratum pro Missa celebranda; cum nullus alius sacerdos adesset; Litteræ absolutionis, & dispensationis conficiuntur, vt infra.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quod ipse aliàs scienter promouere se fecit ante legitimam ætatem ad sacros Subdiaconatus, & Diaconatus ordines, & in eis ministrauit, necnon sacramentalem Confessionem audiuit cuiusdam Sacerdotis celebrare volentis, cum nullus Sacerdos adesset, eique absolutionem impertiuit: propter quæ censuras Ecclesiasticas incurrit, & irregularitatem contraxit. Cùm autem, &c. Lator prædictus modò in legitima ætate constitutus de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum debeat, susceptosque ordines exercere, & ad sacrum Presbyteratum promoueri licitè posse desideret, pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui secumque desuper dispensari. Quare, &c. quatenus si est ita, & in eo quod prædictum Sacerdotem sic absoluere tentauit, lator non fecerit vt hæreticus, dictum Latorem, audita prius eius sacramentali Confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. Iniuncta inde ei pro modo culpæ grauissima pœnitentia salutari, quæ duret per tantum tempus, &c. Reliqua vt in præcedenti formula.

Hæc

Hæc formula parum à præcedenti differt, ideò proprias eius tantum clausulas explanabo.

Sacramentalem Confessionem audiuit, &c. Cum ius ligandi, & absoluēdi à peccatis sit solum concessum ipsis Sacerdotibus. *c. verbum Dei. §. certum est, de pœnitentia, dist. 1. Concil. Trident. sess. 14. c. 6. de reform.* Ideò non sacerdos temere, & nulliter absoluit; vt fecit hic lator, qui est solum Diaconus; & insuper contrahit irregularitatem *c. 1. & 2. vbi Panor. & alij, de clerico non ordin. ministran* nec non incurrit pœnam capitalē per *Constitutionem Clementis Octaui editam anno* 1601. *quę incipit. Etsi alias felicis record. Paulus Papa Quartus, &c.*

Quatenus, &c. non fecerit vt hæreticus, &c. Id est, credens. Verba illa Domini, *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt alligata, & in Cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo: & quorū remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt;* ad omnes Christifideles indifferenter, & promiscue contra institutionē huius Sacramenti ita esse dicta, vt quiuis potestatem habeat remittendi peccata: qui enim hoc credit, credit doctrinam falsam, & à veritate Euangelij penitus alienam, & ideo hæreticam; & propterea est hæreticus, qui eam tenet, & credit. *Concil. Trident. sess. præcitata, can.* 10.

Quatenus non fecerit vt hæreticus, &c. Quia dictio, *quatenus*, est dictio limitatiua. *l. si quis crediderit,* 50. *vbi glos. ff. de pact. c. placet,* 12. *de conuers. coniugat. Decius in l. quatenus,* 25. *in principio, ff. de reg. iuris;* idcircò limitat facultatem per huiusmodi diploma concessam, & restringit ad casum, in quo noster lator non audiuerit Sacramētalem confessionem prędicti Sacerdotis, pertinaciter credens etiam nō Sacerdotibus fuisse concessam à Christo Domino potestatē absoluendi à peccatis.

Quatenus est dictio limitatiua.

Ad hoc autem, vt quis hęreticus dicatur, necesse est, vt pertinaciter, & obstinatè erret in rebus fidei, non autem per simplicitatem, & ignorātiam. *c. dixit Apostolus. c. qui in Ecclesia,* 24. *q.* 3. Ad constituendum enim hæreticum duo cōcurrere necessariò debent: error in intellectu circa res fidei; & pertinàcia voluntatis in huiusmodi errore. *Clem. vnica, §. porro de summ. Trinit. c. damnamus,* 2. *§. si quis igitur, eod. tit. de summ. Trinit. Panor.* in

Hæresis non est sine pertinacia.

in c.1.n.1. de hæreticis. Syluest. verbo hæresis, 1. nu. 1. & 3. & Doctores communiter. Error ad inducendam hæresim non solum est, quando quis firmiter credit contra illud, quod credit Ecclesia, verum etiam, quãdo pertinaciter dubitat de eo, quod Ecclesia determinauit circa res fidei, adeò, vt non sit paratus corrigi ad Ecclesiæ mandatum. *cpa. dubius, 1. & ibi Panorm & DD. de hæreticis, d.c. damnamus in fine de Sum. Trinit.* vbi ideò Ioachim ab hæresis nota excusatur, quia omnia sua scripta commisit corrigenda Sedi Apostolicæ: ergo quãdo non vult se subijcere correctioni Ecclesiæ, est hæreticus: & pertinacia tunc adest, quando quis scienter, & data opera aliquid contra Ecclesiæ determinationem affirmat, & defendit. *c. excellentissimus, 11. quæst. 3. c. fin. §. licet. igitur de pœnis, c. fin. de cler. excomm. ministr. glos. in Clem. vnica in verbo pertinaciter de Sum. Trinit.*

Dubius in fide quando sit hæreticus.

Præterea ad incurrendas pœnas contra hęreticos, &c. requiritur, vt huiusmodi deprauata credulitas, & pertinacia, seu dubium, exprimantur per aliquod signum extrinsecum, & significatiuum sui interni erroris; Ecclesia enim punire non valet ea, quę per externum actum suis Clauibus non subijciuntur. *c. Christiana, 32. q. 5. c. consuluisti, 2. q. 5. c. si omnia, 6. q. 1. & c. erubescant, dist. 32.*

Iniuncta ei pro modo culpę grauissima pœnitētia, &c. Excessus, & temeritas latoris fuerunt grauissimi, ideò grauissimè debent puniri, videlicet ieiunio in pane, & aqua, seu aliqua peregrinatione, aut alijs rebus, quæ sint corporis afflictiuæ; habito tamen respectu ad qualitatem personæ, & cõsiderata pœna capitali, quã per prędictam Clementis Cõstitutionem punitur quicunque ausus fuerit exercere ordinem Presbyteratus non adhuc susceptum.

Reliquæ clausulę, cum nihil speciale habeant, & differens à pręcedenti formula, ideò in illa videndæ sunt.



A MA-

A MALA PROMOTIONE ANTE ÆTATEM,

Et à mala prouisione, ac fructuum perceptione.

Pro Presbytero, &c. qui ad sacrum Subdiaconatus ordinem ante legitimam ætatem promotus, in illo ministrauit, & deindè in ætate legitima constitutus reliquos sacros Diaconatus, & Presbyteratus ordines suscepit, & ante vigesimum quintum suæ ætatis annum, quandam Parochialem Ecclesiam assequutus fuit, ac summam quindecim aureorum percepit: Litteræ vt infra conficiuntur.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs ante ætatem legitimam promoueri se fecit ad sacrum Subdiaconatus ordinem, & illum exercuit: deinde in legitima ætate suscepit reliquos sacros Diaconatus, & Presbyteratus ordines, nec non ante vigesimum quintum ætatis suæ annum quandam Parochialem Ecclesiam assequutus fuit, ex qua summam quindecim aureorum percepit: propter quæ censuras Ecclesiasticas incidit, & irregularitatem contraxit. Cùm autem, &c. dictus lator præsentium de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, suosque ordines exercere, & dictam Ecclesiam Parochialem retinere licitè posse desideret, pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari, ac fructus prædictos sibi condonari. Quare, &c. Quatenus, si est ita, dictum latorem, audita prius eius Sacramentali confessione, à quibuscumque sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas pro-

pt. r

pter præmissa quomodolibet incurrit, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. Iniuncta inde ei pro modo culpæ graui pœnitentia salutari, quæ duret per tantum tempus, quantum ei deerat ad ætatem legitimam, cum promotus fuit: Quodque illis, quibus ipse in concursu per fraudem sic prælatus fuit, satisfaciat, vel cum eis concordet; & alijs, quæ fuerint de iure iniungenda. Demum, dummodo præmissa sint occulta, &c. Prout in præcedēti formula, vsque ad verbū *ministrare*, & deinde subiungitur. *Et si, & postquam prædictis satisfaciat, vel cum eis concordauerit, vt præfertur, dictam Parochialem Ecclesiam retinere licitè valeat, misericorditer dispenses, sibique fructus ex dicta Ecclesia hactenus perceptos gratiosè remittas, & condones in foro conscientiæ, &c. & non aliter, &c. Ita quod huiusmodi absolutio, dispensatio, & condonatio in foro iudiciario nullatenus suffragentur. Datum Romæ, &c.*

Ea tantummodo hic explicabimus, quæ à priori formula dissonant, videlicet ea quæ spectant ad malam assequutionem Parochialis Ecclesiæ, & fructuum perceptionem.

Dictam Ecclesiam retinere, &c. Duo concurrunt in nostro latore præsentium impedimenta, propter quæ nulliter recepit Parochialem Ecclesiam. Primum est irregularitas contracta ex administratione ordinis ante legitimam ætatē suscepti; collatio enim beneficij facta irregulari est ipso iure nulla. *cap. dudum, 22. §. cum autem de electione, c. 2. de cler. pug. in duello in fine, cap. 2. de cler. non ordin. min. Panor. in cap. tanta, 18. de excessibus prælat. Innoc. in c. cum nostris, 6. de concess. præbend. Felin. in c. 2. de rescript. Couar. in c. alma mater, 24. de sentent. excommun. in 6. §. 7. n. 1.* Ratione enim ordinis datur beneficium: ergo irregularis, qui est inhabilis ad ordinem, eiusque vsum, est etiam inhabilis ad beneficium.

Collatio beneficii facta irregulari est nulla.

Alterum impedimentū est defectus ætatis vigintiquinque annorum. *c. cum in cunctis, 7. §. inferiora, de electione. Concil. Trid. sess. 24. c. 12. de reform.* Et super vtroque impedi-

pedimento eget lator præsentium, vt secum dispensetur ad licitè retinendam Ecclesiam Parochialem.

Si, & postquam prædictis satisfecerit, &c. Satisfactio est facienda arbitrio boni viri, & prout de iure tenetur, & pro eo iure, quod dignior præuio examine repertus in concursu habebat ad prędictam Ecclesiam; quod ius multum differt à iure, quod quis habet in re, quando illam actu possidet legitime, & ideò minoris momenti est.

Pro determinanda huiusmodi satisfactione, plura considerare debet noster executor. Primò expensas, quas Parochus tenetur facere pro paramentis, alijsque necessarijs ad Sacramentorū administrationem, nec non pro reparatione ædificij Ecclesię, ac proprię habitationis domus ad illam spectantis, si eas lator fecit. Secūdò mercedem competentem Parochi pro cura animarum, & onere administrandi Sacramenta, quæ ad minus solet esse centum scutorum: & hanc ob causam D. Papa in resignationibus Parochialium cum pensione ad fauorem resignantis, semper mandat apponi clausulā, Dummodo remaneāt centum pro Rectore. Tertiò, an concurrens dignior sit pauper, vel diues: pauper enim pluris æstimat modicam pecunię summam actualiter recipere, quā ius incertum ad rem; & è contra diues. Quartò, quod satisfactio pręstanda est digniori, donec ille aliud non assequatur beneficium Ecclesiasticū, quod sit incompatibile cum Ecclesia Parochiali: videlicet, vel quod beneficium à se impetratum requirat residētiam personalem; vel quod, si sit simplex, sufficiat ad congruā sui sustentationem, & sit ei ab Episcopo, seu alio Ordinario collatum; cum nemo pręter Romanum Pontificem possit eidem personę conferre duo beneficia, quando alterum eorum est sufficiens ad congruā sustentationem. *Concil. Trid. cap. 17. sess. 24. de reform.* Et ideò per assequutionem secūdi beneficij vacat eo ipso primum beneficiū. *Idem Concil. loco cit.* ac propterea cessabit etiam satisfactio pręstanda. Quinto, an in loco ipso dictę Parochialis, vel ei viciniori bus, sint alia beneficia, ad quæ dignior cōcurrere facilius posse speretur, nec ne: Si enim sunt alia beneficia, ratione istius spei minus eius ius lęsū fuisse a nostro latore pręsentiū creditur: secus erit, si præter dictam Parochialem Ecclesiā nullum aliud adsit beneficiū.

Ad D. Papā spectat plura beneficia vni conferre.

In

Satisfactio digniori concurrenti, quæ facienda sit.

In summa existimo ius ad beneficium annui redditus centum scutorum bene compensari, tradendo alij concurrenti digniori scuta quinquaginta pro vna vice. Quia per acceptionem istarū pecuniarum ille acquirit in ipsis certum, & tale ius, quod multum præualet iuri, quod per examen, & concursum obtinuerat ad dictam Parochialem Ecclesiam; non enim per istud ius adeptus fuerat talem certitudinem consequēdi Ecclesiam, vt eam consequi omnino deberet, & ordinarius collator omnino teneretur eam illi conferre; poterat insurgere aliqua saltem apparens ratio, per quam Ordinarius existimaret alteri, quam digniori in concursu reperto, conferendam Parochialem Ecclesiam, & ideo damnum illatum non debet recompensare ex æquo; quia sicut bene notat *D. Thom. secunda secundæ, q.62. art.4. in cor. Minus est habere aliquid virtute, quam actu: qui autem est in via adipiscendi aliquid, habet illud solum secundum virtutem, vel potentiam, & ideo si redderetur, ei vt haberet hoc in actu, restitueretur ei, quod est ablatum, non simplum, sed multiplicatum, quod non est de necessitate restitutionis: tenetur tamen facere aliquam recompensationem, secundum conditionem personarū, & negotiorum.* Ex quibus S.Thomæ verbis optimè colligitur, quod pro læsi iuris ad rem satisfactione, quis non tenetur ad æquale, vel ad medietatem rei, super qua aliū damnificauit, sed ad aliquam minimam dumtaxat illius partem. Hoc enim important illa verba, *multiplicatum*, & *aliquam recompensationem*: si enim quando redditur res, ad quam quis ius secundum virtutem, seu potentiam habebat, præsumitur reddi non simplum, sed multiplicatum, & nihilominus illa res est in se simpla, & non multiplicata: ergo ius ad rem, nullam habet proportionem, & æqualitatem ad totam rem, sed solum ad aliquam minimam eius partem: ergo pro dicti iuris ad rem satisfactione imponenda, debet solum æstimari, & considerari dicta pars rei in qua damnum fuit illatum, & ideo aliqua facienda est recompensatio secundum conditionem personarum, & negotiorum.

Si, & postquam, &c. Ambæ istæ dictiones important ex sua natura conditionem.

Dictio, si, coniuncta futuro tempori importat cōditionem.

Quod dictio, *si*, importet conditionem, quando est coniuncta verbo futuri temporis, prout est in nostro casu, pa-

tet ex *l. 1. vbi Bart. nu. 2. & ex l. quibus diebus, 40. §. quidam Titio, ff. de condit. & demonstr. & ex l. 1. §. si quis, ff. de verb. obligat.*

Quod dictio, *postquam* importet etiam conditionem, constat ex *l. inter illā, 217. vbi gloss. in verb. fari, ff. de verb. signif. Bart. in d. l. quibus diebus. §. Termilius, num. 5. ff. de condit. & demonstr.*

Dictio, *si*, in nostro proposito inducit conditionem in re, quæ fieri debet; dictio vero, *postquam*, inducit conditionem in tempore, quo res facienda est, cum excludat omne tempus anterius; ita *Paris. cons. 31. num. 83. vol. 1.* & sic requirit solummodo tempus posterius. *Menoch. cons. 1103. num. 4.* vt alias diximus, atque ità excludunt omnem tergiuersationem, quæ fingi possit ad effugiendam istam satisfactionem: nec mirum, cum læsio sit occulta, etiam ipsi læso, & propterea læsor nulla actione cogi possit ad præstandam satisfactionem, ideò satisfactio huiusmodi præstāda circumuallatur istis duabus dictionibus conditionē inducentibus: & læsorem cogentibus ad satisfaciendum, si beneficio huius absolutionis, & dispensatione frui velit.

Vel cum eis concordauerit, &c. Lator præsentiū non tenetur se propalare, sed potest per interpositam personam præstare actualem satisfactionem, vt supra diximus; & si hoc non possit, promittat per apocam, etiam ad maiorem cautelam præstando fideiussionem, persoluere eam pecuniarum summam, quam prudens exequutor existimabit persoluendam in manibus ipsiusmet exequutoris; si tamen læsus concurrens velit istius satisfactionis modum admittere; & ideò debet cum eo concordare quoad qualitatem, & modum satisfaciendi, arbitrio tamen prudentis Viri.

Si verò læsus prætendat irrationabilem satisfactionem, existimo huius clausulæ sufficienter satisfieri, si Lator præsentium deponat eam pecuniarum summam in manibus vel nostri exequutoris, vel alterius securæ personæ, ad effectum consignandi prædictę personæ læsæ, quam prudens exequutor, secundum Deum iudicauerit, & depositarius promittat soli personæ læsæ consignare, & nō amplius nostro latori restituere lator vero eam non repetere medio iuramento etiam promittat: sic enim lator adimpleuit totum

tum id, quod Maior Pœnitentiarius per huiusmodi clausulam ab eo requirebat, quia conditio habetur pro adimpleta; cum ille, ad quem spectat adimplere, fecit in se, quod debebat facere. *cap. cum non stat, 66. de regul. iur. in 6.* & ideò potest cum eo dispensari vigore præsentium litterarum.

Dictam Parochialē, &c. Cum Lator possessionem, dictæ Parochialis adeptus fuerit ex prima prouisione, licet inualida, non debet iterum illam capere, postquam vigore nostræ huius dispensationis, cum eo dispensatum fuerit; sed eam solummodo licite continuabit. Primò, quia etiam ex inualido titulo possessio adipiscitur. *l. 1. §. si vir, ff. de acquir. possess.*

Secundò, quia per præsentes litteras conualidatur capta illius possessio, dum latori conceditur, vt eam Parochialē a se possessam retinere licitè possit: retentio enim non datur nisi de re, quam quis actu iam, & naturali possessione possidet. *l. si non sortem, 26. §. si centum, vbi Bart. num. 2. ff. de condit. indeb. l. si necessarias, 8. in princ. ff. de pignoratitia actione. l. seruus, quem, 31. ff. de action. empt. & vend. Rebuff. in prax. benef. tit. de rescripto, etiam, & perinde valere, nu. 52. Bald. in l. fin. C. de commodato.*

Retentio est de re quam quis possidet.

Sibique fructus, &c. Cum ob canonici tituli defectum Lator præsentium litterarum nō fecerit fructus dictæ parochiæ suos, *reg. 1. de regul. iur. in 6.* ac prpтereà teneatur illos restituere; per hanc clausulam remittitur ei obligatio faciendæ restitutionis huiusmodi; necnon gratiosè, hoc est, sine vllo grauamine, ex mera liberalitate ei condonantur fructus sic malè percepti, ac si suos fecisset.



A MALA PROMOTIONE.

Pro Presbytero, qui ad omnes sacros, etiam Presbyteratus Ordines ad titulum ficti, & simulati patrimonij promoueri se fecit, & in eis ministrauit; litteræ, vt infrà confici solent.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Quod ipse aliàs promoueri se fecit ad omnes sacros etiam Presbyteratus ordines ad titulum ficti, & simulati patrimonij, & in eis posteà ministrauit, censuras Ecclesiasticas propterea incurrendo, & irregularitatem contrahendo. Cùm autem, &c. Lator prædictus de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, suosque ordines exercere, & beneficia Ecclesiastica consequi licitè posse desideret pro sua conscientiæ quiete cupit à præmissis per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius ipsius sacramentali Confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. Iniuncta inde ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, & alijs, &c. Iniungenda. Ipsoque ab exequutione suorum ordinum suspenso. Demum, dummodo præmissa occulta sint, cum eodem Latore, pœnitentia, vel illius, &c.* vt in præcedenti formula, vsque ad sequentia verba, *quod illa, & alijs præmissis non obstantibus, quæcunque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, inuicem tamen compatibilia (si quæ sibi alias canonicè conferantur) recipere, & retinere, necnon postquam legitimum titulum, vel cum cōditionibus à Sac. Concil. Trident. requisitis*

tis

tis sufficiens patrimonium habuerit, atque in huiusmodi suspensione steterit per tempus arbitrio tuo statuendum, in suis ordinibus etiam in Altaris ministerio ministrare licitè valeat misericorditer dispenses. Reliqua vt in præcedentibus formulis.

Mendicitas facit clericũ contemptibilẽ

Cum despiciatur sacerdotale officium, quando mendicat infelix clericus in plateis, & ciuili operi emancipatus, publicâ à quolibet deposcit alimoniam. *cap. diaconi sunt, §. nunc autem, 93. distin.* & hoc summopere detestandum: Ideò nemo promoueri potest ad sacros ordines sine titulo sufficienti ad congruam sui sustentationẽ. *cap. Episcopus, 4. & c. tuis, 23. de praben. & cap. si Episcopus, 37. eodem tit. in 6.* Ac propterçà *Sacr. Conc. Trident. sess. 21. cap. 2. de reform.* neminem promoueri posse decreuit ad sacros ordines absq; beneficij Ecclesiastici, quod ad victum honeste sufficiat, legitimo titulo, & eius actuali pacifica possessione, vel absque patrimonio sufficienti ad congruam sui sustentationem, sub pœna suspensionis à susceptorũ ordinum ministerio, ipso facto incurrẽdę, iuxta antiquos canones. *c. neminẽ, & c. sanctorũ canonũ, dist. 70.* quos ibi innouauit; qui secundum communiorem DD. sententiam non sunt reuocati in casu nostro, aliàs fraus, & dolus patrocinarentur sic male promoto; quod nulla iura permittunt. *cap. aduersus, 7. §. fin. de immun. ecclesiastica. cap. intelleximus, 7. de iudicijs. cap. tuæ, 12. de cleric. non residen. cap. ex tenore, 16. de rescript. cap. 2. de dolo. l. itaque fullo, 12. ff. de furtis. l. sancimus, 22. C. de pœnis.*

Promotus sine titulo suspensione punitur.

Fraus nemini debet patrocinari.

Nec suffragatur ex aduerso facta responsio, quod prædicti canones sint reuocati per *cap. cum secundum, 16. de prebend.* Nam talis reuocatio est intelligenda solummodo quoad illos, qui sciente Episcopo ordinati sunt absque titulo: non autem quoad illos, qui malitiose, & decipiendo suos ordinatores, absque titulo promoueri se fecerunt: nam alias sequeretur ordinantes absque sua culpa puniendos esse, cùm probabiliter factis suis diligentijs crediderint ordinato, qui exhibuit se habere sufficiens beneficium, vel patrimonium, iura autem non permittunt innocentem puniri, sed pœnam tenere solos authores,

Iura non permittunt innocentẽ puniri.

Hæc formula parum à præcedenti differt, ideò proprias eius tantum clausulas explanabo.

Sacramentalem Confessionem audiuit, &c. Cum ius ligandi, & absoluẽdi à peccatis sit solum concessum ipsis Sacerdotibus. *c. verbum Dei. §. certum est, de pœnitẽtia, dist. 1. Concil. Trident. sess. 14. c. 6. de reform.* Ideò non sacerdos temere, & nulliter absoluit; vt fecit hic lator, qui est solum Diaconus; & insuper contrahit irregularitatem. *c. 1. & 2. vbi Panor. & alij, de clerico non ordin. ministran* nec non incurrit pœnam capitalẽ *per Constitutionem Clementis Octaui editam anno 1601. quę incipit. Etsi alias felicis record. Paulus Papa Quartus, &c.*

Quatenus, &c. non fecerit vt hæreticus, &c. Id est, credens. Verba illa Domini, *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt alligata, & in Cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo: & quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt;* ad omnes Christifideles indifferenter, & promiscue contra institutionẽ huius Sacramenti ita esse dicta, vt quiuis potestatem habeat remittendi peccata: qui enim hoc credit, credit doctrinam falsam, & à veritate Euangelij penitus alienam, & ideò hæreticam; & propterea est hæreticus, qui eam tenet, & credit. *Concil. Trident. sess. præcitata, can. 10.*

Quatenus non fecerit vt hæreticus, &c. Quia dictio, *quatenus*, est dictio limitatiua. *l. si quis crediderit, 50. vbi glos. ff. de pact. c. placet, 12. de conuers. coniugat. Decius in l. quatenus, 25. in principio, ff. de reg. iuris;* id circò limitat facultatem per huiusmodi diploma concessam, & restringit ad casum, in quo noster lator non audiuerit Sacramẽtalem confessionem prędicti Sacerdotis, pertinaciter credens etiam nõ Sacerdotibus fuisse concessam à Christo Domino potestatẽ absoluendi à peccatis. Quatenus *est dictio limitatiua.*

Ad hoc autem, vt quis hęreticus dicatur, necesse est, vt pertinaciter, & obstinatè erret in rebus fidei, non autem per simplicitatem, & ignorãtiam. *c. dixit Apostolus. c. qui in Ecclesia, 24. q. 3.* Ad constituendum enim hæreticum duo cõcurrere necessariò debent: error in intellectu circa res fidei; & pertinacia voluntatis in huiusmodi errore. *Clem. vnica, §. porro de summ. Trinit. c. damnamus, 2. §. si quis igitur, eod. tit. de summ. Trinit. Panor.* *Hæresis non est sine pertinacia.*

in

in c. 1. n. 1. de hæreticis. Syluest. verbo hæresis, 1. nu. 1. & 3. & Doctores communiter. Error ad inducendam hæresim non solum est, quando quis firmiter credit contra illud, quod credit Ecclesia, verum etiam, quãdo pertinaciter dubitat de eo, quod Ecclesia determinauit circa res fidei, adeò, vt non sit paratus corrigi ad Ecclesiæ mandatum. *cpa. dubius, 1. & ibi Panorm. & DD. de hæreticis, d. c. damnamus in fine de Sum. Trinit.* vbi ideò Ioachim ab hæresis nota excusatur, quia omnia sua scripta commisit corrigenda Sedi Apostolicæ: ergo quãdo non vult se subijcere correctioni Ecclesiæ, est hæreticus: & pertinacia tunc adest, quando quis scienter, & data opera aliquid contra Ecclesiæ determinationem affirmat, & defendit. *c. excellentissimus, 11. quæst. 3. c. fin. §. licet igitur de pœnis, c. fin. de cler. excomm minißtr. glos. in Clem. vnica in verbo pertinaciter de Sum. Trinit.*

Dubius in fide quando sit hæreticus.

Præterea ad incurrendas pœnas contra hęreticos, &c. requiritur, vt huiusmodi deprauata credulitas, & pertinacia, seu dubium, exprimantur per aliquod signum extrinsecum, & significatiuum sui interni erroris; Ecclesia enim punire non valet ea, quę per externum actum suis Clauibus non subijciuntur. *c. Christiana, 32. q. 5. c. consuluisti, 2. q. 5. c. si omnia, 6. q. 1. & c. erubescant, dist. 32.*

Iniuncta ei pro modo culpę grauissima pœnitẽtia, &c. Excessus, & temeritas latoris fuerunt grauissimi, ideò grauissimè debent puniri, videlicet ieiunio in pane, & aqua, seu aliqua peregrinatione, aut alijs rebus, quæ sint corporis afflictiuæ; habito tamen respectu ad qualitatem personæ, & cõsiderata pœna capitali, quã per prędictam Clementis Cõstitutionem punitur quicunque ausus fuerit exercere ordinem Presbyteratus non adhuc susceptum.

Reliquæ clausulę, cum nihil speciale habeant, & differens à pręcedenti formula, ideò in illa videndæ sunt.



A MA-

A MALA PROMOTIONE ANTE ÆTATEM,

Et à mala prouisione, ac fructuum perceptione.

Pro Presbytero, &c. qui ad sacrum Subdiaconatus ordinem ante legitimam ætatem promotus, in illo ministrauit, & deindè in ætate legitima constitutus reliquos sacros Diaconatus, & Presbyteratus ordines suscepit, & ante vigesimum quintum suæ ætatis annum, quandam Parochialem Ecclesiam assequutus fuit, ac summam quindecim aureorum percepit: Litteræ vt infra conficiuntur.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs ante ætatem legitimam promoueri se fecit ad sacrum Subdiaconatus ordinem, & illum exercuit: deinde in legitima ætate suscepit reliquos sacros Diaconatus, & Presbyteratus ordines, nec non ante vigésimum quintum ætatis suæ annum quandam Parochialem Ecclesiam assequutus fuit, ex qua summam quindecim aureorum percepit: propter quæ censuras Ecclesiasticas incidit, & irregularitatem contraxit. Cùm autem, &c. dictus lator præsentium de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, suosque ordines exercere, & dictam Ecclesiam Parochialem retinere licitè posse desideret, pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari, ac fructus prædictos sibi condonari. Quare, &c. Quatenus, si est ita, dictum latorem, audita prius eius Sacramentali confessione, à quibuscuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas pro-

pter

pter præmissa quomodolibet incurrit, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. Iniuncta inde ei pro modo culpæ graui pœnitentia salutari, quæ duret per tantum tempus, quantum ei deerat ad ætatem legitimam, cum promotus fuit: Quodque illis, quibus ipse in concursu per fraudem sic prælatus fuit, satisfaciat, vel cum eis concordet; & alijs, quæ fuerint de iure iniungenda. Demum, dummodo præmissa sint occulta, &c. Prout in præcedēti formula, vsque ad verbū *ministrare*, & deinde subiungitur. *Et si, & postquam prædictis satisfaciat, vel cum eis concordauerit, vt præfertur, dictam Parochialem Ecclesiam retinere licitè valeat, misericorditer dispenses, sibique fructus ex dicta Ecclesia hactenus perceptos gratiosè remittas, & condones in foro conscientiæ, &c. & non aliter, &c. Ita quod huiusmodi absolutio, dispensatio, & condonatio in foro iudiciario nullatenus suffragentur. Datum Romæ, &c.*

Ea tantummodo hic explicabimus, quæ à priori formula dissonant, videlicet ea quæ spectant ad malam assequutionem Parochialis Ecclesiæ, & fructuum perceptionem.

Dictam Ecclesiam retinere, &c. Duo concurrunt in nostro latore præsentium impedimenta, propter quæ nulliter recepit Parochialem Ecclesiam. Primum est irregularitas contracta ex administratione ordinis ante legitimam ætatē suscepti; collatio enim beneficij facta irregulari est ipso iure nulla. *cap. dudum*, 22. §. *cum autem de electione, c.* 2. *de cler. pug. in duello in fine*, *cap.* 2. *de cler. non ordin. min. Panor. in cap. tanta*, 18. *de excessibus prælat. Innoc. in c. cum nostris*, 6. *de concess. prabend. Felin. in c.* 2. *de rescript. Couar. in c. alma mater*, 24. *de sentent. excommun. in* 6. §. 7. *n.* 1. Ratione enim ordinis datur beneficium: ergo irregularis, qui est inhabilis ad ordinem, eiusque vsum, est etiam inhabilis ad beneficium.

Collatio beneficii facta irregulari est nulla.

Alterum impedimentū est defectus ætatis vigintiquinque annorum. *c. cum in cunctis*, 7. §. *inferiora, de electione. Concil. Trid. sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* Et super vtroque impedi-

pedimento eget lator præsentium, vt secum dispensetur ad licitè retinendam Ecclesiam Parochialem.

Si, & postquam prædictis satisfecerit, &c. Satisfactio est facienda arbitrio boni viri, & prout de iure tenetur, & pro eo iure, quod dignior præuio examine repertus in concursu habebat ad prędictam Ecclesiam; quod ius multum differt à iure, quod quis habet in re, quando illam actu possidet legitime, & ideò minoris momenti est.

Pro determinanda huiusmodi satisfactione, plura considerare debet noster executor. Primò expensas, quas Parochus tenetur facere pro paramentis, alijsque necessarijs ad Sacramentorũ administrationem, nec non pro reparatione ædificij Ecclesię, ac propriç habitationis domus ad illam spectantis, si eas lator fecit. Secũdò mercedem competentem Parochi pro cura animarum, & onere administrandi Sacramenta, quæ ad minus solet esse centum scutorum: & hanc ob causam D. Papa in resignationibus Parochialium cum pensione ad fauorem resignantis, semper mandat apponi clausulã, Dummodo remaneāt centum pro Rectore. Tertiò, an concurrens dignior sit pauper, vel diues: pauper enim pluris æstimat modicam pecunię summam actualiter recipere, quã ius incertum ad rem; & è contra diues. Quartò, quod satisfactio pręstanda est digniori, donec ille aliud non assequatur beneficium Ecclesiasticũ, quod sit incompatibile cum Ecclesia Parochiali: videlicet, vel quod beneficium à se impetratum requirat residẽtiam personalem; vel quod, si sit simplex, sufficiat ad congruã sui sustentationem, & sit ei ab Episcopo, seu alio Ordinario collatum; cum nemo pręter Romanum Pontificem possit eidem personę conferre duo beneficia, quando alterum eorum est sufficiens ad congruã sustentationem. *Concil: Trid. cap. 17. sess. 24. de reform.* Et ideò per assequutionem secũdi beneficij vacat eo ipso primum beneficiũ. *Idem Concil. loco cit.* ac propterea cessabit etiam satisfactio pręstanda. Quinto, an in loco ipso dictę Parochialis, vel ei vicinioribus, sint alia beneficia, ad quæ dignior cõcurrere facilius posse speretur, nec ne: Si enim sunt alia beneficia, ratione istius spei minus eius ius lęsũ fuisse a nostro latore pręsentiũ creditur: secus erit, si præter dictam Parochialem Ecclesiã nullum aliud adsit beneficiũ.

Ad D. Papã spectat plura beneficia vni conferre.

In

Satisfactio digniori concurrenti, quæ facienda sit.

In summa existimo ius ad beneficium annui redditus centum scutorum bene compensari, tradendo alij concurrenti digniori scuta quinquaginta pro vna vice. Quia per acceptionem istarũ pecuniarum ille acquirit in ipsis certum, & tale ius, quod multum præualet iuri, quod per examen, & concursum obtinuerat ad dictam Parochialem Ecclesiam; non enim per istud ius adeptus fuerat talem certitudinem consequẽdi Ecclesiam, vt eam consequi omnino deberet, & ordinarius collator omnino teneretur eam illi conferre; poterat insurgere aliqua saltem apparens ratio, per quam Ordinarius existimaret alteri, quam digniori in concursu repetto, conferendam Parochialem Ecclesiam, & ideo damnum illatum non debet recompensare ex æquo; quia sicut bene notat *D. Thom. secunda secundæ, q. 62. art. 4. in cor. Minus est habere aliquid virtute, quam actu: qui autem est in via adipiscendi aliquid, habet illud solum secundum virtutem, vel potentiam, & ideo si redderetur, ei vt haberet hoc in actu, restitueretur ei, quod est ablatum, non simplum, sed multiplicatum, quod non est de necessitate restitutionis: tenetur tamen facere aliquam recompensationem, secundum conditionem personarũ, & negotiorum*. Ex quibus S. Thomæ verbis optimè colligitur, quod pro læsi iuris ad rem satisfactione, quis non tenetur ad æquale, vel ad medietatem rei, super qua aliũ damnificauit, sed ad aliquam minimam dumtaxat illius partem. Hoc enim important illa verba, *multiplicatum*, & *aliquam recompensationem*: si enim quando redditur res, ad quam quis ius secundum virtutem, seu potentiam habebat, præsumitur reddi non simplum, sed multiplicatum, & nihilominus illa res est in se simpla, & non multiplicata: ergo ius ad rem, nullam habet proportionem, & æqualitatem ad totam rem, sed solum ad aliquam minimam eius partem: ergo pro dicti iuris ad rem satisfactione imponenda, debet solum æstimari, & considerari dicta pars rei in qua damnum fuit illatum, & ideo aliqua facienda est recompensatio secundum conditionem personarum, & negotiorum.

Si, & posquam, &c. Ambæ istæ dictiones important ex sua natura conditionem.

Quod dictio, *si*, importet conditionem, quando est coniuncta verbo futuri temporis, prout est in nostro casu, pa-

Dictio, si, coniuncta futuro tempori importat cõditionem.

Ee tet

tet ex *l. 1. vbi Bart. nu. 2.* & ex *l. quibus diebus, 40. §. quidam Titio, ff. de condit. & demonstr.* & ex *l. 1. §. si quis, ff. de verb. obligat.*

Quod dictio, *postquam* importet etiam conditionem, constat ex *l. inter illã, 217. vbi gloss. in verb. fari, ff. de verb. signif. Bart. in d. l. quibus diebus. §. Termilius, num. 5. ff. de condit. & demonstr.*

Dictio, *si*, in nostro proposito inducit conditionem in re, quæ fieri debet; dictio vero, *postquam*, inducit conditionem in tempore, quo res facienda est, cum excludat omne tempus anterius; ita *Paris. cons. 31. num. 83. vol. 1.* & sic requirit solummodo tempus posterius. *Menoch. cons. 1103. num. 4.* vt alias diximus, atque ità excludunt omnem tergiuersationem, quæ fingi possit ad effugiendam istam satisfactionem: nec mirum, cum læsio sit occulta, etiam ipsi læso, & propterea læsor nulla actione cogi possit ad præstandam satisfactionem, ideò satisfactio huiusmodi præstãda circumuallatur istis duabus dictionibus conditionẽ inducentibus; & læsorem cogentibus ad satisfaciendum, si beneficio huius absolutionis, & dispensatione frui velit.

Vel cum eis concordauerit, &c. Lator præsentiũ non tenetur se propalare, sed potest per interpositam personam præstare actualem satisfactionem, vt supra diximus; & si hoc non possit, promittat per apocam, etiam ad maiorem cautelam præstando fideiussionem, persoluere eam pecuniarum summam, quam prudens exequutor existimabit persoluendam in manibus ipsiusmet exequutoris; si tamen læsus concurrens velit istius satisfactionis modum admittere; & ideò debet cum eo concordare quoad qualitatem, & modum satisfaciendi, arbitrio tamen prudentis Viri.

Si verò læsus prætendat irrationabilem satisfactionem, existimo huius clausulæ sufficienter satisfieri, si Lator præsentium deponat eam pecuniarum summam in manibus vel nostri exequutoris, vel alterius securæ personæ, ad effectum consignandi prædictæ personæ læsæ, quam prudens exequutor, secundum Deum iudicauerit, & depositarius promittat soli personæ læsæ consignare, & nõ amplius nostro latori restituere lator vero eam non repetere medio iuramento etiam promittat: sic enim lator adimpleuit totum

tum id, quod Maior Pœnitentiarius per huiusmodi clausulam ab eo requirebat, quia conditio habetur pro adimpleta; cum ille, ad quem spectat adimplere, fecit in se, quod debebat facere. *cap. cum non stat, 66. de regul. iur. in 6.* & ideò potest cum eo dispensari vigore præsentium litterarum.

Dictam Parochialē, &c. Cum Lator possessionem dictæ Parochialis adeptus fuerit ex prima prouisione, licet inualida, non debet iterum illam capere, postquam vigore nostræ huius dispensationis, cum eo dispensatum fuerit; sed eam solummodo licite continuabit. Primò, quia etiam ex inualido titulo possessio adipiscitur. *l. 1. §. si vir, ff. de acquir. possess.*

Secundò, quia per præsentes litteras conualidatur capta illius possessio, dum Latori conceditur, vt eam Parochialē a se possessam retinere licitè possit: retentio enim non datur nisi de re, quam quis actu iam, & naturali possessione possidet. *l. si non sortem, 26. §. si centum, vbi Bart. num. 2. ff. de condit. indeb. l. si necessarias, 8. in princ. ff. de pignoratitia actione. l. seruus, quem, 31. ff. de action. empt. & vend. Rebuff. in prax. benef. tit. de rescripto, etiam, & perinde valere, nu. 52. Bald. in l. fin. C. de commodato.*

Retentio est de re quam quis possidet.

Sibique fructus, &c. Cum ob canonici tituli defectum Lator præsentium litterarum nō fecerit fructus dictæ parochiæ suos, *reg. 1. de regul. iur. in 6.* ac prpterea teneatur illos restituere; per hanc clausulam remittitur ei obligatio faciendæ restitutionis huiusmodi; necnon gratiosè, hoc est, sine vllo grauamine, ex mera liberalitate ei condonantur fructus sic malè percepti, ac si suos fecisset.



tis sufficiens patrimonium habuerit, atque in huiusmodi suspensione steterit per tempus arbitrio tuo statuendum, in suis ordinibus etiam in Altaris ministerio ministrare licitè valeat misericorditer dispenses. Reliqua vt in præcedentibus formulis.

Mendicitas facit clericũ contemptibilẽ.

Cum despiciatur sacerdotale officium, quando mendicat infelix clericus in plateis, & ciuili operi emancipatus, publicã à quolibet deposcit alimoniam. *cap. diaconi sunt, §. nunc autem, 93. distin.* & hoc summopere detestandum: Ideò nemo promoueri potest ad sacros ordines sine titulo sufficienti ad congruam sui sustentationẽ. *cap. Episcopus, 4. & c. tuis, 23. de preben. & cap. si Episcopus, 37. eodem tit. in 6.* Ac propterea *Sacr. Conc. Trident. sess. 21. cap. 2. de reform.* neminem promoueri posse decreuit ad sacros ordines absq; beneficij Ecclesiastici, quod ad victum honeste sufficiat, legitimo titulo, & eius actuali pacifica possessione, vel absque patrimonio sufficienti ad congruam sui sustentationem, sub pœna suspensionis à susceptorũ ordinum ministerio, ipso facto incurrẽdę, iuxta antiquos canones. *c. nemini, & c. sanctorũ canonũ, dist. 70.* quos ibi innouauit; qui secundum communiorem DD. sententiam non sunt reuocati

Promotus sine titulo suspensione punitur.

in casu nostro, aliàs fraus, & dolus patrocinarentur sic male promoto; quod nulla iura permittunt. *cap. aduersus, 7. §. fin. de immun. ecclesiastica. cap. inteleximus, 7. de iudicijs. cap. tuæ, 12. de cleric. non residen. cap. ex tenore, 16. de rescript. cap. 2. de dolo. l. itaque fullo, 12. ff. de furtis. l. sancimus, 22. C. de pœnis.*

Fraus nemini debet patrocinari.

Nec suffragatur ex aduerso facta responsio, quod prædicti canones sint reuocati per *cap. cum secundum, 16. de prebend.* Nam talis reuocatio est intelligenda solummodo quoad illos, qui sciente Episcopo ordinati sunt absque titulo; non autem quoad illos, qui malitiose, & decipiendo suos ordinatores, absque titulo promoueri se fecerunt: nam alias sequeretur ordinantes absque sua culpa puniendos esse, cùm probabiliter factis suis diligentijs crediderint ordinato, qui exhibuit se habere sufficiens beneficium, vel patrimonium, iura autem non permittunt innocentem puniri, sed pœnam tenere solos authores,

Iura non permittunt innocentẽ puniri.

& delinquentes decernunt. *d. l. sancimus. C. de pœnis. l. absentem, ff. eod.* Et nemo pro alieno delicto puniendus est. *c. iam itaque 1. q. 4. c. si habes, 24. q. 3. c. quæris, de consecrat. dist. 4. c. 2. de constitut.*

Itaque a talis suspensionis incursu excusari non debet qui decipiendo suum Episcopum, promoueri se facit ad sacros ordines ad fictum, & simulatum titulum; sicut eum nō excusat Praxis Curiæ Romanæ, quæ magnificienda est

Ipsoq; ab exequutione, etc. Relaxari suspensio nequit, donec Lator assequatur sufficiētem, & legitimum titulum pro congrua sui sustentatione, vt infra dicetur; durante enim causa suspensionis, debet durare & suspensio, *arg. l. semper in ciuitate. 5. §. negotiatores. ff. de iure immunitatis.*

Quæcunque beneficia Ecclesiastica, &c. Etiamsi non relaxetur suspensio quoad ordines exercendos, rehabilitari tamen potest ad beneficia consequenda, vigore præsentis clausulæ. Per hanc enim clausulam M. P. intendit dispo nere Latorem præsentium ad relaxationem suspensionis impetrandam, remouendo illius causā, quæ est defectus tituli: remoueri autē nequit nisi mediante consecutione beneficij, vel patrimonij, prout apertè insinuant sequentis clausulæ verba illa, *Necnon postquam legitimum titulum, &c.*

Patrimonium, &c. Patrimonij appellatione strictè, & in suo primæuo significatu intelligitur res patris, seù hæreditas, quæ a patre prouenit filio. *l. quantitas, 72. & l. in quantitate, 73. ff. ad l. falc. l. cogi, 16. ff. ad trebell. Dec. cōs. 80. num. 3. vers. idem est.*

Extenditur autem, & communiter accipitur, & intelligitur pro omnibus rebus, & bonis, quæ vndecumq; obuenerunt alicui: & sic capitur pro substātiis, & facultatibus illius. *l. munera, 2. & l. quantum, 10. vbi glossa, C. de munerib. patrimon. lib. 10.*

Vel cū conditionibus, &c. Duas conditiones præcipuè requirit *Conc. Triden.* in patrimonio, ad cuius titulum quis promoueri debeat. Primo, vt illud, quod pro patrimonio exhibetur, vere, hoc est, actualiter, & cum pleno iure realiter possideatur a promouendo: dictio enim, *verè*, importat proprietatē, & excludit fictionē, seù interpretationē. *gl. in l. singularia, 15. in verb. non acceperis. ff. si certum petatur, vbi Cagn. n. 140. l. verū, 216. vbi glossa, & Rebuffus in verbo, verum. ff. de verbor. significat.* *Dictio, vere, importat proprietatem & excludit fictionem.*

Et

Verbum, obtinere, importat plenũ ius.

Et verbum, *obtineri*, importat non solum possessionem, verum etiam ius in re plenũ. Ille enim, vt benè aduertit *Archidiac. in c. si gratiose, 5. n. 1. de rescript. in 6.* non dicitur rem obtinere, qui non habet plenum ius in ea, vt probatur ex *d. c. si gratiose.*

Et ideò secundum *Concil. Trident. loco cit.* istius patrimonij prima conditio est, vt à promouendo possideatur, nõ solũ possessione naturali, quæ est in simplici fructuum perceptione. *l. naturaliter, 12. ff. de acquiren. & amittenda poss.* quam habent etiam Colonus, & qui mittitur in possessionem causa rei seruandę. *l. 3. §. creditores, ff. vti possidetis, l. cum legati, 12. ff. quibus ex caus. in poss. eatur,* & qui precario habent. *l. 1. & sequentib. ff. de precario.* Sed necesse est vt pleno iure, & dominio possideatur: hanc enim ob causam appellat patrimonium, quod iure hæreditario, hoc est pleno iure, & dominio possidetur. *l. 1. & l. bona autem, 3. §. hæreditatis autem, & §. bonorum igitur. ff. de bonorũ possess.*

Secunda conditio est, vt sit constitutum in re fructifera, quia satis esse debet ad vitam sustentãdam. *Concil. Trid. loco cit.* Quę autem sint istę res fructiferæ, nemo erit, qui ignoret, si animaduertat, fructus appellatione, nec res ipsas, nec earum pretium venire, sed quod ex eis nascitur, & renascitur. *cap. salubriter, 16. vbi Panorm. in fine de vsuris.* & insimul si consideret fructuum genera: quorum alij sunt naturales, in quorum productione magis natura, quam hominis industria operatur, vt sunt fœnum, glandes, castaneę, poma, ligna, & similia, quibus, prout natura producit, vtimur. *l. 1. ff. de glande legata, l. qui venenum, 236. §. glandis, ff. de verb. significat, l. item si fundi, 10. & l. si fur, 14. cum sequent. ff. de vsufruct. & quemadmodum quis vtatur.*

Fructuum appellatione, quid veniat.

Alij sunt industriales, qui potius ex hominis industria, quam ex ipsa natura proueniunt, & percipiuntur, vt sunt triticum, hordeum, vinum, oleum, & similia; in quorum productione, & vsu industria humana magis operatur. *l. fructus, 45. ff. de vsur. l. & ex aduerso, 36. vbi glos. & DD. ff. de rei vendic.*

Fructus industriales.

Alij sunt ciuiles, eo quod ex sola industria, & negotiatione hominis acquiruntur, & percipiuntur propter rem, vt sunt pensiones domorum, nauium, & similia. *l. si is qui, 11. §. 1. ff. de pignorib, l. arboribus, 13. §. nauis, ff. de vsufr. & quemad. quis.*

Fructus ciuiles.

Quantitas istius patrimonij non taxatur, quia cum illius redditus sufficientes esse debeant ad honestam promouendi sustentationem, & hæc sufficientia regulari debeat ex loco, vbi promouendus inhabitat; & facillimè reperiatur, in vno loco illud esse sufficiens ad honestam sustentationem, quod alibi est insufficiens: ideò hæc taxatio relinquitur arbitrio Ordinarij.

Reliquas præsentis formulę clausulas declara vt in præcedentibus formulis.

P R O

Presbytero, qui omisso clericali charactere, se ad omnes etiam sacros Presbyteratus ordines promoueri fecit, nulla obtenta dispensatione super defectu natalium, quem patitur, & in eis ministrauit: Litteræ vt infra conficiuntur.

Venerabili in Christo Patri, cuicunque Catholico Antistiti gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habenti, in propria Diœcesi residenti, vel in aliena de Diœcesani licentia ordines cõferre valenti, per latorẽ præsentiũ ad infrascripta specialiter eligen. &c. Fr. Antonius Barberinus, &c. Quod ipse, qui defectum natalium patitur, aliàs absque dispensatione, & omisso clericali charactere promoueri se fecit ad omnes, etiam sacros, & Presbyteratus ordines, & in eis posteà ministrauit. Cum autem, &c. lator prædictus de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, & ne huiusmodi suos excessus detegere cum maxima suæ famæ iactura cogatur, dicto clericali charactere insigniri à quocũque Catholico Antistite, etiam absque Litteris dimissorijs sui Ordinarij, & postea suos ordines exercere licitè posse desideret, pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. quatenus, si est ita, dictũ

latorem

latorem, audita prius eius Sacramentali confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, & excessibus huiusmodi absoluatis hac vice: iniuncta, &c. Iniungenda. Ipsoque ab exequutione suorum ordinum suspēso. Demum, dummodo occultum sit latorem pati natalium defectum, cum eodem pœnitentia, vel illius parte peracta, ac suffragantibus, &c. à vobis dicto clericali charactere secretè, etiam sine Litteris dimissorijs, siue commendatitijs sui Ordinarij, ne suum delictum prodere cogatur, insigniri, & postmodum etiam in sacris, & Presbyteratus ordinibus iam susceptis, etiam in Altaris ministerio ministrare licitè valeat, misericorditer dispēsetis in foro conscientiæ, & in actu, &c. Ita quod, &c. nullatenus suffragentur. Insuper vobis, vt dictum latorem dicto clericali charactere sic insignire valeatis, eadem authoritate indulgemus. Datum. &c.

Antistis nomine qui veniant.

Venerabili in Christo Patri cuicumque Catholico Antistiti, &c. Antistitis nomine venit Episcopus. *l. si quemquā, 29. C. de Episc. & cleric. c. antiqua, 23. de priuil.* Episcopalis dignitas, cum quadripartita sit. *c. cleros, dist. 21.* in Patriarchatum, Primatum, Archiepiscopatum, & Episcopatū. (Quod intellige quoad gradum Episcopalem, & iurisdictionem, non autē quoad ordinem, quia Episcopalis ordo, quoad spiritualē potestatē vnus tantū est. *c. Nouatianus, 7. q. 1.*) Poterit quilibet ex prędictis Episcopis eligi in exequutorem præsentium Litterarū.

Catholicus quis sit

Catholico, &c. Id est, fidē catholicam sincera cordis deuotione custodienti. *c. quamquam, 23. dist. c. omnis cuiuslibet, 1. q. 1.* Vno verbo, eligatur Antistes, qui non sit hæreticus, vel Schismaticus, vel renunciauerit dignitati, &c. nam ab hæreticis, &c. nullo modo sumendi sunt ordines. *c. cum clericis, 2. vbi Panor. de ordin. ab Episcopo, qui renunc. Episcopatui. c. ab excommunicatis, & c. ordinationes, 9. q. 1.* & qui ordinantur ab excommunicatis, &c. sunt irregulares. *d. cap. cum clericis, c. quia diligētia, 5. de elect. c. fraternitati, 2. de Schismaticis.*

Gra-

Gratiam, & communionem, &c. Gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ ille Episcopus dicitur habere, qui non est excommunicatus, nec suspensus, nec interdictus. *cap. quod sedem, 10. vbi glos. in verbo gratia, de officio Iud. ordinarij, & ibi Panorm. num. 1. cap. penult. de præscript. Rebuff. in praxi beneficiar. tit. de forma dimissoriar. litter.*

Gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ, qui dicantur habere.

In propria diœcesi, &c. Collatio ordinis spectat ad Episcopum, tum ratione ordinis, tum etiam ratione iurisdictionis; & vtrumque insimul esse debet, quando conferuntur ordines, *cap. 1. de ordinatis ab Episcopo, qui renunciauit Episcop. Concil. Triden. sess. 23. cap. 7. & cap. 3. & cap. 8. de reform.*

Iurisdictio extra proprium territorium exerceri nequit.

Sed quia iurisdictio exerceri nequit extra proprium territorium, & Diœcesim. *c. vt animarum, 2. de constit. in 6. l. 3. ff. de officio præsidis, l. vltima, ff. de iurisdict. omnium iudicum*: Ideo immediate subditur, *vel de Diœcesani*, hoc est de Ordinarij loci licentia.

Vel de Diœcesani, &c. Quod Ordinarius loci possit impartiri hanc licentiam, patet expresse tum ex præcitatis textibus, tum ex ipsis Maioris Pœnitentiarij verbis, quæ indubitanter insinuant posse dare.

Conferre valenti, &c. Requiritur præterea, vt neque potestas ordinis, neque iurisdictionis, sit impedita aliquo alio impedimento canonico, videlicet excommunicatione, &c. vt supra declarauimus.

Dubitatio insurgit, an Abbas, qui habet iurisdictionem quasi Episcopalem, si sit Sacerdos, possit eligi in exequutorem præsentium litterarum. Ratio dubitandi est, quia de iure communi cōceditur Abbatibus potestas cōferendi minores ordines. *c. cum contingat, 11. de ætate, & qualitate ord. c. quoniam dist. 69. Concil. Trid. sess. 23. cap. 10 de refor.* & Abbates etiam Patris nomine appellantur. *cap. fin. de regularib. glos. in Clement. 1. de rescript.* & cum sit Sacerdos, competit etiam nomen. Antistitis: ergo prædictus Abbas potest eligi in exequutorem præsentium litterarum.

His tamen non obstantibus contrarium censeo. Nam quicquid sit, quod Abbas appelletur Pater, nihilominus non ei competit illud adiectiuum *venerabili*, quod nec ipsis Cardinalibus, sed solum Episcopis, & ab ipsomet etiam Summo Pontifice, tribuitur.

c. ad

c. ad Apostolica, 2. *de sent. & re iudicata in 6.*

Verba dubia a praecedentibus capiunt intellectum.

Et cum verba dubia capiăt intellectum a præcedentibus, & sequentibus. *l. si seruus plurium*, 53. *§. finali*, *& l. qui filiabus*, 17. *ff. de leg. 1. & Panor. in cap. ex multa*, 9. *n. 6. de voto, & voti redempt.*

Ideo, cum Abbatibus non competat præcedens verbum, *Venerabili*, adiectum *Patri*, nec competet electio ad exequendas præsentes Litteras.

Quod probatur etiam ex stylo M. Pœnitentiarij, qui cũ rescribit alicui Abbati, si est Religiosus, dicit, *Religioso viro Abbati*: si est secularis, & ordinariæ conditionis, dicit, *Discreto viro Abbati*: si est Cardinalis, olim dicebat, *Reuerendissimo D. Abbati*; sed meo tempore dicere cępit, *Illustrissimo & Reuerendissimo D. Abbati*, quia erat Cardinalis, & Abbas. Ex quibus omnibus colligitur non posse vigore istius clausulæ eligi Abbatem in exequutorem.

Ipse, qui defectum natalium, &c. Duæ in isto latore præsentium comperiuntur irregularitates. Prima prouenit ex defectu natalium, eo quod genitus sit ex illegitimo & damnato coitu. *cap. 1. de fil. presbyterorum in 6. c. 1. & c. litteras*, 14. *de fil. presbyterorum cap. consuluit*, 5. *de seruis non ordin. cap. accedens*, 14. *de purgat. canonica*.

Tonsura non est ordo.

Secunda ex omissione primæ tonsuræ in ordinum susceptione. Licet enim prima tonsura non sit ordo. *cap. seriatim d. 32. cap. illud d. 77. cap. Cleros. d. 21. cap. a Subdiacono d. 93.* Sed solum sit dispositio ad ordines, id est designatio ad Clericalem statum: Nihilominus qui omissa prima tonsura ad ordines promouetur, fit irregularis ex sententia *S. Congregationis Concil. Trid. super cap. 14. sess. 23.* quia non obseruat canonicum ordinem in ordinibus, id est, designatam, & præscriptam ab Ecclesia graduationem in ordinibus; & sic inordinatus, id est absque ordine, & regula in Sacramento Ordinis, & ideo repellitur ab ordinibus.

Clericali charactere, &c. Id est tonsura: hic enim improprie, & lato modo sumitur istud verbum, *character*. Quisnam ignorat hoc verbum, *character*, plures habere significatus? Aliquãdo sumitur pro pődere. *Auth. de consulibus*, *§. spargere autem*. Aliquando sumitur pro aliquo signo externo, quo professio, & institutio, vel officium alicuius indicătur, ad differentiam aliorum. *d. c. ex multa, de voto, & voti redempt.*

Characteris significatio multiplex.

prout

prout sunt Militum Insignia, Congregationum habitus, & similia, &c. Tertio demum sumitur character pro spirituali qualitate, quæ in anima indelebiliter imprimitur per Sacramentum Baptismi, vel Confirmationis, vel Ordinis. *Concil.Trid.sess.7.can.9.* quod est de fide, & *sess.23.can.4.*

Ponitur ergo hic, *character*, pro externo signo, quo, qui tonsuratur, appareat iam designatus, & proxime dispositus ad ordines suscipiendos; ac propterea illi conceditur clericalis habitus, & tonsura, nec non habilitas, & capacitas ad consequenda beneficia Ecclesiastica, ac si esset iam ordinibus initiatus: proximè enim accingēdus habetur pro accincto. *l. ex eo tempore, 43. ff. de testament. milit.*

Ad omnes etiam sacros, &c. Noster hic lator per Ostiariatus ordinis dumtaxat susceptionem contraxit irregularitatem, non autem per aliorum susceptionem, & exercitium; quia irregularis per susceptionem, vel exercitium ordinis non fit iterum irregularis. *Pan. in cap. si celebrat. 10. de cler. excommunic. ministrant. nu.4. Nauarr. in summ. de censuris, capit. 27. num. 194. & alij.*

Irregularis non fit iterum irregularis.

Cum maxima suæ famæ, &c Irregularitas cum, vel ex defectu, vel ex delicto contrahatur, ex vtroque capite inducit infamiam, si propaletur, quando est occulta. Quod ex delicto publico insurgat infamia, patet ex *c. omnes, et c. infames, 6. q. 1. vbi glos.* Quod autem ex propalato natalium defectu insurgat infamia, similiter patet: quia sicut cæteri infames, ita isti natalium defectū patientes repelluntur a paternis successionibus, nec non à dignitatibus. *cap. per venerabilem, 13. qui filij sint legitimi.* Ac propterea si noster hic lator cogeretur propalare huiusmodi delictum, & defectum, maximam suæ famæ iacturam pateretur.

Secreto, &c. Id est, absque interuentu Notarij, personæ publicæ, & testibus, nec non in loco priuato, & secreto.

Etiam sine litteris dimissorijs, &c. Ab alieno Episcopo nemo debet, neque tonsurari, neque ordinari absque licentia sui Ordinarij. *cap. 1. 2. & 3. dist. 71. cap. cum nullus, 3. de temp. ordinand. in 6. vbi glos. in verbo, Ordines*: aliter ipso facto suspensus remanet. *cap. quod translationem, 11. de tempor. ordin. Pius Secundus in* con-

Ordinari nemo debet ab alieno Episcopo.

constitutione, quæ incipit. Cum ex sacrorum ordinum.

Dimissoriæ litteræ, quæ alias commendatitiæ vocantur, sunt illæ, quæ dantur his, qui volunt ordinari ab alieno Episcopo, in quibus allegatur causa cur non ordinetur a proprio Episcopo, & propterea illi impertitur licentia, vt ab alieno ordinetur. *cap. 1. & c. nullus, 4. de tempor. ordinat. in 6.*

Dicuntur commendatitiæ, quia commendant Episcopo Promotori, Promouendi bonos mores, & honestatem, vt possit promoueri. *Concil. Trid. sess. 23. de reform. cap. 8.*

Tonsura quolibet die conferri potest. Quo autem tempore possit hic noster lator tonsurari, respondeo cum Hostiense in *cap. penult. de tempor. ordinand.* posse quolibet tempore, & die, cum neque tempus, neque dies a iure præscribantur, immo consuetudine conferatur prima tonsura quolibet tempore, & die.

Insigniri, &c. Per huiusmodi clausulam conceditur latori præsentium, vt primam tonsuram recipere possit ab Episcopo exequutore præsentium, licet non sit eius ordinarius.

Insuper vobis; &c. Per præsentem clausulam similiter conceditur Episcopo exequutori facultas tonsurandi latorem subditum alienum: & licet per facultatem concessam latori recipiendi tonsuram a prædicto Episcopo exequutore, subintelligatur facultas concessa ipsi Episcopo conferendi, cum in correlatiuis, quod disponitur in vno, etiam in alio dispositum censeatur. *l. fin. vbi Bart. C. de indict. viduit. tollenda, l. 1. vbi Bart. C. de cupressis, lib. 11. Ias. in auth. Sacramenta puberum, C. si aduersus vendit.* nihilominus ista clausula ponitur ad maiorem declarationẽ, & ad tollendas omnes ambiguitates, & scrupulos.

Dubitari potest, an Episcopus electus ad exequutionem præsentium litterarum, postquam latorem absoluerit, & cum eo dispensauerit iuxta illarum formam, possit remittere illum ad alium Episcopum, vel Abbatem pro suscipienda tonsuratione.

Prima facie videtur, quod possit, quia per se ipsum facere videtur, qui per alium facit. *cap. qui per alium, 72. de reg. iuris in 6. cap. mulieres, 6. §. illi vero de sentent. excommunic. l. 1. §. deiecisse, ff. de vi, & vi armata, l. ita autem, 5. §. quod si quis, de administr. tutor.*

Contrarium tamen censeo; primo quia postquam est con-

cessum

cessum de vno, de alio censetur prohibitum. *argum. l. cum prætor*, 12. *ff. de Iudic. c. nonne*, 5. *de præsumption.* & cum sit huiusmodi facultas concessa Episcopo tantum electo: ergo est prohibita Episcopo, vel Abbati non electo: ergo non potest Episcopus electus remittere ad alium non electum.

Ministerium delegatum nō potest subdelegari.

Secundò. Quando demandatur alicui aliquod ministeriū non potest illud subdelegare, sed debet per se ipsum illud exercere. *c. fin. §. fin. de offic. & potestat. Iudic. delegat.* Nostro autem exequutori demãdatur latorem ordinare: ergo non potest huiusmodi ordinationem alteri subdelegare.

Tertiò: Quod quis possit promoueri ab Episcopo non suo sine litteris dimissorijs sui Ordinarij, & quod Episcopus possit ordinare subditum non suum absque litteris dimissorijs Ordinarij, sunt actus cõtra ius commune, & sacros Canones. *c. cum nullus*, 3. *de temp. ordinat. in 6.* & quando alicui cõceditur vnus ex dictis actibus, fit ex peculiari priuilegio, & hoc priuilegiū cum sit personale, & consequenter personam sequatur, non potest transire de personã in personam. *c. priuilegium*, 7. *de reg. iur. in 6. vbi gloss. & DD.* ergo cum facultas ordinandi non subditum sit priuilegium personale, & sequatur Episcopū electum, nō potest extendi ad alium Episcopum non electū, & multo minus ad Abbatem; cum omnibus Abbatibus per *Concil. Trident. c. 10. sess. 23. de reform.* sit sublata facultas ordinãdi alios, quam suos subditos. Ideò Episcopus electus non potest remittere nostrum latorem ad alium Episcopum, vel Abbatem pro suscipienda prima tonsura.

Priuilegium personale personam sequitur.

Quarto, probatur ex stylo, & consuetudine. Quãdo M. P. vult vt Episcopi, vel alij locorum Ordinarij possint subdelegare vices suas in exequẽdis suis litteris, semper specificè hoc in eisdẽ litteris exprimit, & cõcedit: & hęc est praxis, & consuetudo iam diu inueterata officij S.P. quæ à me tot annis fuit obseruata, & exequutioni demãdata: ergo cum hęc facultas subdelegãdi nõ reperiatur in nostris hisce litteris, nõ poterit Episcopus electus remittere latorem ad alium Episcopum, vel Abbatem.

Ad rationem, & textum in contrariū adductos respõdeo, illos intelligi de illis actibus, qui per interpositam personã explicari possunt: quod non est in nostro casu ex rationibus deductis.

Prò

Pro Religioso Presbytero, qui ignoranter omissis quatuor minoribus, ad omnes sacros etiam Presbyteratus ordines promotus fuit, & in illis ministrauit.

Venerabili in Christo Patri, cuicumque, &c. vt supra. Fr. Antonius Barberinus, &c. Quod ipse aliàs ex ignorantia omissis quatuor minoribus ordinibus promoueri se fecit ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus ordines, & in illis ministrauit, censuras Ecclesiasticas propterea incurrendo, & irregularitatem contrahendo. Cum autem, &c. lator prædictus de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, omissosque ordines suscipere, & postea in illis, & in alijs suis iam susceptis ordinibus se exercere, & quæcunque suæ Religionis officia, & dignitates consequi, ne suum delictum prodere cogatur, licitè posse desideret, pro sua conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. Dictum latorem, audita prius, &c. vt in prædenti formula, vsque ad clausulam *arbitrio Antistitis statuen. &c. ab eodem dictos quatuor minores Ordines secreto etiam sine litteris dimissorijs, seu commendatitijs sui Ordinarij, vel Superioris, ne suum delictum prodere cogatur, & etiam extra tempora, quatuor festiuis diebus, etiam continuis, vel interpolatis suscipere, & postmodum etiam in dictis sacris, & Presbyteratus ordinibus ministrare, & quæcumque sui Ordinis officia, & dignitates, si ad illa aliàs canonicè, & iuxta eiusdem Ordinis regularia instituta eligatur, vel assumatur, gerere, & exercere licitè valeat, misericorditer dispensetis in foro cōscientiæ, &c.* Reliqua vt supra.

Hæc formula parum distat à præcedenti, ideò parum in ea declaranda laborabimus.

Omissis quatuor, &c. Aliqui existimant promotum per saltum incurrere irregularitatem

tem: alij suspensionem, vt indicauimus in principio pręsẽtis tertiæ Partis dum egimus de irregularitate. Quicquid sit, parum ad rem nostrã facit.

Extra tempora, &c. Id est extra quatuor ieiuniorum tẽpora, Sabbatum præcedentem Dominicæ Passionis, & Sabbatum sanctum. his enim tẽporibus conceditur Episcopis posse ordines etiam sacros conferre. *c. sane*, 2. *& c. de eo*, 3. *de tempor. ordinationum.* Minores autem possunt conferre Dominicis, & alijs diebus festiuis. *c.* 1. *& d. c. de eo.*

Quatuor festiuis continuis, &c. Cum in suscipiẽdis, tam minoribus, quam maioribus ordinibus, interstitia, id est tẽporum distantiæ, & inter singulas singulorum ordinum susceptiones anni curriculus intercedere debeat. *Concil. Trid. cap.* 11. *sess.* 23. super quibus tamen Episcopus dispensare potest ex necessitate, vel vtilitate Ecclesiæ. *d. c.* 11. & Episcopus per latorẽ electus non habeat huiusmodi facultatem, quia lator non est eius subditus: ideò M. P. per hanc clausulam ei concedit facultatem, vt nõ seruatis interstitiis possit latori conferre quatuor ordines quatuor diebus festiuis continuis, vel interpolatis.

Quæcunque sui ordinis officia, &c. Officium pluribus modis sumitur: primo enim sumitur pro nudo, & oneroso ministerio sine iurisdictione, & pręrogatiua honoris in choro, in Capitulo, &c. sicut Sindici, Procuratores, Sacristæ, Castaldi, & similes. *cap. Saluator*, 1. *q.* 3. *Archid. in c.* 1. *n.* 2. *de consuetud. in* 6. *& in c. monachus*, 16. *q.* 1. *n.* 2. Sumitur secundò pro obsequio quod Deo præstatur. Tertiò pro dignitate, quæ annexum habeat aliquod ministerium. *c. cum accessissent*, 8. *de constit. c. cum in cunctis*, 7. *de elect.* vt sunt Plebaniæ, curam animarum agentes. *c. quod Dei*, 5. *de statu monach.* & Vicariatus. *Clement.* 1. *de regularib.* & similes. Quarto pro actu corrigentis. *d. c. Monachus*, *vbi Archid. & alij DD. supracit.* His præmissis cum quis est inhabilitatus ad officia, non per hoc liberatur ab officijs onerosis. *arg. c. infames*, §. *omnes autem*, 3. *q.* 7. *c. infamibus*, 87. *vbi glos. de reg. iuris in* 6. *l. vnica*, *C. de infamibus*, *lib.* 10. *glos. in clem.* 1. *in verbo*, *inibi*, *de regularibus*, *& transf.* & hoc ne lucrum reportẽt de suis delictis; & ideo tenetur ista acceptare, & exercere. Per istam ergo clausulã lator præsentium debet rehabilitari ad officia, quæ cum onere

Officium; quid, & quotuplex est.

onere habent honorem annexum.

Dignitatis nomine quid veniat.

Et dignitates, &c. Dignitatum nomine veniunt ea munera, quæ prærogatiuam, & honorem cum iurisdictione, vel sine iurisdictione habēt vt sunt Prioratus, Abbatiæ, Prouincialatus, Generalatus, & similes.

Insurgit difficultas, an noster hic lator per hanc clausulam possit rehabilitari ad Generalatum: & videtur negatiuè respondendum ex *Litem apud Labeonem*, 15. §. *hoc edictum*, *ff. de iniurijs*: ea enim, quę specialinota sunt digna, nisi specialiter notentur, quasi neglecta videntur: sed Generalatus est speciali nota dignus, eo quod sit primaria dignitas in Religione: ergo, nisi specificetur, videtur quasi neglectus, hoc est exclusus à generalitate istius clausulæ.

Hoc tamen non obstante contrarium censeo, quia dictio, *quodcunque*, si in singulari posita, est vniuersalis, omnia includens, & nihil excludens. *c. solita*, §. *nobis autem*, *de maioritate, & obedien.* ergo multo magis in plurali posita. Immo tantæ efficaciæ est hæc dictio, vt in plurali posita cōprehendat etiam illos, qui sūt specialissima nota digni, & qui aliàs non intelligūtur inclusi, nisi specialis mētio de illis fiat, prout sunt Reges, & Imperatores, ac etiam Episcopi, vt notat *Archid. in c. quicunque*, 11. *de sent. excomm. in 6. vbi glos. in verbo*, *quicunque*. Et hoc confirmatur ex praxi officij S. P. quæ quādo vult excludere ab ista generali clausula Generalatum, specifice exprimit in litteris; prout videre est in litteris dispensationis pro Religioso natalium defectu patiente: nam post verbum, *dignitates*, apponere solet, *maiori tamen excepta*: & hoc à me, & alijs fuit semper in conficiendis huiusmodi litteris obseruatum.

Dictio, quodcunque, est vniuersalis, & omnia includit.

Textus *l. item apud, &c.* in cōtrarium adductus, nihil obstat, si eius verba perpendantur. Non enim dicit quod sub generali dispositione non veniant, quæ sunt nota speciali digna; sed quod posset dubitari an venirent: hoc enim important illa duo verba, *videtur quasi neglecta*; quæ verba separatim accepta important improprietatem. *l. 1 §. eiecisse, ff. de vi, & vi armata. l. naturaliter*, 12. *ff. de acquir. possess. l. item Mela*, 11. §. *Celsus, ff. ad legem Aquiliam.* Multo magis coniuncta important improprietatem: & ideò non determinant, quod sub generali dispositione non veniant ea, quæ sunt nota speciali digna,

Verbum, videtur, & dictio, quasi, importāt improprietatem.

ſed ſolum ponunt ſub dubio, ne ſpecificatio, & declaratio cenſeantur omnino ſuperfluę: in noſtro autem caſu allegata ſuperius praxis omnem ſoluit dubitationem.

Si ad illa aliàs canonice eligatur, &c. Ad hoc vt fiat canonica electio, plura requiruntur: Primo poteſtas eligentium. *c. cum terra*, 14. *c. cum inter*, 18. *& ſequent. de elect. Clement. quodcirca, 6. de elect.* Secundo, quando electio ſpectat ad Vniuerſitates, ad hoc vt electio ſit canonica, debet fieri à maiori parte Vniuerſitatis, Collegij, Capituli, &c. *cap. quia propter*, 42. *de elect. cap. quorundam*, 24. *de elect. in 6.* Quod intelligendũ eſt de maiori parte habilium ad eligendum: nam de inhabilibus nulla habetur ratio. *c. cum inter*, 16. *de elect. & c. cum dilectus*, 8. *§. quia nobis de conſuetud. gloſ. in c. illa quotidiana*, 39. *in fine, de electione.*

Quinam dicantur inhabiles, pro nunc dico excommunicatos maiori excommunicatione. *c. conſtitutis*, 23. *vbi gloſ. in verb. excommunicationis, de appellat. gloſſa in cc. ſupracit. Innocent. in d. c. illa quotidiana*, *num.* 2. *Panorm. in cap.* 2. *num.* 14. *de poſtulat.* Suſpenſos ab officio. *dicto cap. cum dilectus, de conſuetud. c. cum inter*, 16. *de elect. vbi Archid num.* 1. Interdictos, *& c. cum inter de elect. vbi Panor. in principio.* Scienter celebrãtes in loco interdicto abſque priuilegio. *cap. is cui*, 20. *de ſent. excommun. in 6.* Ex quo colligitur quod irregularis nõ poſſit eligere. *Syluest. in verb. electio*, 1. *num.* 6. Scienter eligentes indignum. *cap. innotuit. §. finali, & c. cum in cunctis, de elect. c. perpetuo*, 7. *de elect. in 6.* Quod tamen intelligitur, quando ex nominatione indigni ſequatur illius electionis effectus. *d. c. perpetuo*. Minores quatuordecim annorum, & impuberes. *cap. ex eo quod*, 32. *de elect. in 6.* Vide quæ fuſius à DD. tractantur *in titulo de electione.*

Secundo, requiritur, vt electio fiat intra tempus præſcriptum, alias electio eſt nulla, & inualida. *c. ne pro defectu*, 41. *de elect. vbi Panor. & Archid. n.* 7.

Tertiò, requiritur vt obſeruetur forma præſcripta ad eligẽdum, id eſt per ſcrutinium, vel compromiſſum; electio enim facta contra præſcriptam formam eſt ipſo iure nulla. *d. c. quia propter*, *§. aliter, vbi Panor. in principio, & c. Cumana*, 50. *de elect. & ibi etiam Panor. & alij.*

Quartò, requiritur confirmatio faciẽda ab eo, ad quem ſpectat illam cõfirmare. *c. quia dili-*

diligentia, 5. c. illa, 39. c. noſtri, 9. de elect. vbi Panor. n. 2. & Io. Andr. in principio.

Vel aſſumatur, &c. Aſſumi ad dignitatem ille dicitur, qui dignitatẽ conſequitur per aliam viam, quam per electionem, & hoc ſpectat ad abſolutam, & indepẽdentem authoritatem ſupremi Principis, & Superioris. *c. per inquiſitionẽ, 26. in fine, de elect.*

Gerere, &c. Id eſt, negotia, & munera quæcunque ad prędicta officia, & dignitates ſpectantia agere, & pertractare: hoc enim importat verbum *gerere*, vt videre eſt toto titulo, *ff. de negot. geſtis.*

Exercere, &c. Id eſt, frequentius agere, & toties quoties opus fuerit ſine vlla temporis intermiſſione: verbum enim *exercere* inducit actuum frequentiam, vt benè aduertit *Dec. in l. principalibus, 33. ff. ſi certum petatur. n. 2.* Verbũ, exercere, importat actuum frequentiam.

PRO RELIGIOSO,

Qui dum in ſeculo erat, quendam ad ſui defenſionem interfecit, non tamen cum tali moderamine, vt inde irregularitatem non contraxerit, & poſtea Religionem ingreſſus in ea profeſſionem emiſit: nunc cupit abſolui, & ad ordines diſpenſari, ſtante bono teſtimonio à Superioribus Ordinis pro eo, facto: Litteræ ſic conficiunrur

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipſe aliàs in ſeculo exiſtens, hominem, à quo laceſſitus, & inuaſus fuerat, vt ſua vita conſuleret, interfecit, non tamen cum moderamine inculpatæ tutelæ; deinde Religionem ingreſſus in ea profeſſionem emiſit. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubiungebat, lator prædictus, ne ſua Religioni oneroſus ſit, ad omnes etiam ſacros, & Presbyteratus Ordines promoueri, illoſq; poſtea exercere, nec non etiam quæcunque ſuæ Religionis officia, & dignitates conſequi licitè poſſe deſideret, pro ſua conſcientiæ quiete cupit à præmiſſis, quæ ad forum iudiciarium

minimè deducta sunt, & de quibus plurimũ dolet, per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispẽsari. Quare, &c. Quatenus si est ita, bonumque testimonium de latore ab eius Superioribus (oneratis super hoc eorum conscientijs) afferri repereris; eundẽ latorem, audita prius eius sacramentali Confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter premißa quomodolibet incurrit, homicidio, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. iniuncta, &c. iniungenda. Demũ cum eodem latore, pœnitentia, vel illius parte peracta, ac suffragantibus, &c alioque Canonico nõ obstante, super irregularitate, &c. clericali charactere, si eo nondum insignitus fuit, insigniri, ac ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus ordines, si ad id aliàs idoneus reperiatur, promoueri, & postquã promotus fuerit, in illis, etiam in Altaris ministerio, preterquam in locis, vbi publicum sit, dictũ homicidiũ à latore cõmissum esse, ministrare, & quecũque sui ordinis officia, & dignitates, &c. Prout in præcedẽti formula.

Non tamen cum moderamine, &c. Moderaminis excessus est, quando violentiam mihi illatam propulsare possum, membri mutilatione, & nihilominus occido; vel simplici vulnere, aut verberando, & nihilominus occido, vel mutilo. Vide quæ dixi in principio huius tertiæ Partis, dum egi de irregularitate ex homicidio in verbo, *moderamen*.

Quatenus si est ita, &c. Id est, quod lator ad necessariã suam defensionem perpetrauerit homicidium: si enim fuit homicidium perpetratum data opera, & voluntariè; litteræ huiusmodi sunt nullæ, cum tollatur quicquid per suggestionem falsitatis impetratur. *cap. super litteris, 20. vbi DD. de rescript.*

Bonumque testimoniũ, &c. Testimonium est assertio de aliqua re facta. *glossa in proœmio Digestor. in §. & hæc quidem, in verbo, testimonio,* & est propriè assertio veritatis. *c. forus, 10. §. testes, de verb. signif. c. licet, 23. de testibus:* & propterea criminosi, & viles per- *Testimonium propriè est assertio veritatis.*

sonæ

sonæ repelluntur à ferendo testimonio, quia dubitatur ne ob timorem, vel malitiam, mendacio veritatem occultaturi sint. *c. testimonium, 54. & c. super eo, 13. de testibus.*

Triplex testimonii genus. Triplex est testimonium: alterum iuratum, & solemne, quale est dictum testis in iudicio deponentis. *d. cap. testimonium, de testibus, l. 1. C. de testibus.* Alterum priuatum, sed iuratum, vt cum quis extra iudicium asserit aliquid priuatæ personæ, sed superaddit iuramentum. *l. 3. §. idem Diuus, vbi glossa in verbo, non testimonijs, ff. de testibus.* Alterum demum est testimoniũ nudum, & simplex, non circumuallatum iuramento. *cap. tua, 8. de cohabitat. cleric. & mulier.*

His positis, dico, quocunque ex prædictis modis habeat noster exequutor bonum testimonium de moribus, & bonitate intrinseca latoris ab illius Superioribus, sufficere ad satisfaciendũ pręsenti clausulæ. Dico, quocunque ex prędictis, non vt debeat etiam huiusmodi testimonium fieri iudicialiter, & in foro fori; hoc enim nec Maior Pœnitentiarius requirit, nec noster exequutor prętẽdere potest, cum hic agatur de foro conscientiæ, & expressè excludatur forum iudiciarium: sed solummodo dico posse nostrum exequutorem vti testimonio forsan in alia causa iudiciaria facto à Superioribus ad fauorem latoris præsentium, siue per actualem depositionem, siue per Litteras commendatitias: testimonium enim Prælatorũ per litteras commendatitias factũ, & exhibitum, facit plenam fidem de idoneitate personæ, quo ad mores, & bonitatem intrinsecam. *cap. in Lateranensi, 31. vbi Panorm. num. 5. de prabend.* *Litteræ Prælatorum faciunt plenam fidem.*

Aduerte, onus procurandi huiusmodi testimonium spectare ad latorem præsentium, non autem ad nostrum exequutorem; nisi velit exequutor, consentiente latore, illud immediate habere, & accipere ab ipsismet Superioribus.

Ab eius Superioribus, &c. Nomine Superiorum intelligitur, qui habet iurisdictionẽ, & non simplicem prælationem, vt sunt Generales, Prouinciales, Custodes, Rectores, & similes in Religionibus, qui habent plenam in suos Religiosos iurisdictionem.

Dubitari potest, an vnius ex dictis Superioribus testimonium sufficiat, cum pluralis numerus duo ad minus requirat. *l. vbi numerus, 12. ff. de testibus. regula pluralis, 40. de reg. iuris in 6.*

Reſpondeo, quod ſi commodè haberi poteſt teſtimonium à duobus Superioribus, illud omnino expoſcerem, cum in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum. *c. licet*, 23. *de teſtib.* Si verò nõ poteſt haberi, ſtarem vnius Superioris teſtimonio, & ita eſſet omninò ſatisfactum huic clauſulæ. Et ad hoc credendum adducor primo, quia teſtimonium ponitur in numero ſingulari, & verificatur in aſſertione vnius. *cap. teſtimonium*, 54. *de teſtib.* Secundo, quia eſt teſtimonium perſonæ Religioſæ, & in dignitate conſtitutæ, cuius dicto multum deferri debet, niſi contra eum aliqua exceptio ſit, vel nimiæ familiaritatis cum latore, vel criminis. Tertio, quia agitur de foro conſcientiæ, in quo ſtatur dicto ipſius pœnitentis, vt aliàs diximus: ergo multo magis aſſertioni alterius perſonæ Religioſæ, & in dignitate conſtitutæ, ac nullum intereſſe in huiuſmodi cauſa habentis.

Ad rationem dubitandi ſuperius allatam reſpõdeo M.P. poſuiſſe Superiores in plurali, non vt excluderet teſtimoniũ vnius, ſed ne videretur determinare ſupremum Superiorem, qui per antonomaſiam dicitur Superior, cum non habeat alium in Religione ſupra ſe Superiorem, & ab ipſo alij inferiores Superiores dependeant, à quo tantùm expoſcendum eſſet teſtimonium, & non ab alijs, videlicet à Generali, & non à Prouinciali, & ſic de alijs Superioribus inferioribus. Vſus autem fuit numero plurali, vt poſſet induci cuiuſuis Superioris teſtimonium, ne multo magis difficultaretur exequutio huiuſmodi litterarum, & vt ſubintret arbitriũ noſtri exequutoris: atque ita præcitatus textus non obſtat.

Oneratis ſuper hoc, &c. Hæc clauſula denotat monitionem. *Steph. Grat. Marchiæ decif.* 157. *num.* 9. *Marcheſan. de commiſſionib. p.* 1. *pag.* 256. *nu.* 85. & *n.* 89. *Nauar. lib.* 1. *conſil. conſ.* 6. *de offic. Iud. deleg.* Et ideò litteræ commendatitiæ non debent conſtare ex verbis ſuperficialibus, quæ ſuperficialiter approbẽt mores, & qualitates latoris, ſed ex verbis ſpecialiter denotantibus puritatem cõſcientiæ Superioris commendãtis, & bonas qualitates commẽdati: & ſi noſter exequutor alloquatur latoris Superiorem, ab illo extrahat ſerium reſponſum, & teſtimonium: requirit enim hæc clauſula, & puritatem cõſciẽtiæ in Superiore teſtimonium perhibẽte, & ſerietatem. *Clauſula, oneratis, &c. denotat monitionem.*

exe-

exequutoris in illo exposcendo: & propterea verba sunt ponderanda, & modus, quo proferuntur, & scribuntur, cōsiderandus: modus enim proferentis, & scribentis, detrahit, & tribuit verbis efficaciam. Totum hoc relinquitur prudentiæ exequutoris.

Præterquam in locis, &c. Homicida si in loco vbi publicum est homicidium, celebraret, esset scandali. *cap. significasti nobis*, 18. §. *& quidem de homicidio voluntario*. Horror enim, & scandalum est videre manus, quæ humanum sanguinem effuderunt, pertractare Sanguinem Christi, & Eucharistiam, Sacramentum pacis. Scandalis autem omnino obuiandum est. *cap. ad aures, 5. vbi glos. in verbo, scandalo, de tempor. ordin.* Et ideo non permittendum latori, vt in loco, vbi publicum est homicidium ab eo perpetratum, celebret.

Et si celebret, potest ab Ordinario puniri de sua temeraria celebratione, eo quod expresse Maior Pœnitentiarius protestatur, quod huiusmodi absolutio, & dispensatio nullatenus in foro iudiciario suffragentur.

PRO RELIGIOSO.

Qui commisit homicidium, & habitu regulari dimisso, a Religione apostatauit; Litteræ vt infra conficiuntur.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Quod ipse aliàs ira percitus interfecit hominem sibi infensum, & propterea habitu suo regulari dimisso, a Religione apostatauit. Cum autem, &c. lator prædictus ad suam Religionem quamprimum redire intendat, & ne illi onerosus sit, suos ordines exercere licitè posse desideret, pro sua conscientiæ quiete cupit a præmissis, quæ occulta sunt, & de quibus plurimum dolet, per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. quatenus si est ita, dictum latorem, postquam habitum regularem reassumpserit, &*

ad claustrum, ibi sub obedientia regulari permansurus redierit, audita prius eius Sacramentali Confessione, ab excommunicationis, alijsque sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, homicidio, apostasia, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. Iniuncta inde ei pro modo culpæ graui pœnitentia salutari, quæ duret, quandiu vixerit, & alijs, &c. iniungend. Ipsoque ab exequutione suorum ordinum suspenso. Demum, dummodo præmissa occulta sint, cum eodem latore, pœnitentia, vel illius parte peracta, ac suffragantibus, &c. alioque ei canonico non obstante, super irregularitate per eum ex præmissis, & etiam quia interim sic ligatus Missas forsan, & alia Diuina officia, non tamen in contemptum Clauium, celebrauit, vel aliàs illis se immiscuit, quomodolibet contracta: quòdque illa, & alijs præmissis non obstantibus, postquam in huiusmodi suspensione steterit per tempus arbitrio tuo statuendum, in suis ordinibus, etiam in Altaris ministerio, quandiù in Religione manserit, iussus dumtaxat, & non aliàs, ministrare. Reliqua, vt in præcedenti formula, *Absque tamen habilitatione ad officia, & dignitates.*

Apostatauit, &c. Multipliciter quis dicitur apostatare: primo cum temere recedit a fide catholica. *cap. non obseruetis, 26. q. 7.* Secundo cum temere recedit ab obedientia, voluntarie transgrediēdo præceptum, vel legem. *cap. beatus prædecessor, 3. q. 4. cap. Iulianus, 11. q. 3.* Tertio cum temere recedit a statu Religionis habitum dimittendo. *c. 1. cum sequent. de Apostat. c. vlt. dist. 50. cap. vt periculosa, 2. ne Clerici, vel Monac. in 6.* Vel cum habitu a claustro discedendo absque animo illuc amplius redeundi. *Concilium Tridentinum, cap. 19. sess. 25. de reformat.* In hoc vltimo Apostasiæ sensu noster hic lator apostatauit.

Postquam habitum, &c. Apostatæ audiri non possunt nisi reassumpto habitu, & reuersi

Apostatæ non audiuntur sine habitu, & extra claustra.

uersi ad claustra suæ Religionis. *Concil. Trid. loco cit.* quia non sunt in habitu seculari tolerandi. *cap. tuæ*, 3. *& c. à nobis*, 5. *de Apostatis*; immo sunt excommunicati. *d. cap. vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6.* & multo minus absoluendi, & liberandi a pœnis, antequam a suæ præsumptionis nequitia resipiscant. *d. cap. tuæ*.

Resipiscere quis dicatur. Resipiscere autem est, cessare ab eo, quod prius temere fiebat. *d. cap. tuæ, & Clem. 2. in fin. de statu Monachorũ*. Cessare autem apostatæ ab apostasia Religionis, tunc solum dicuntur, cum reassumunt habitum regularem, & redeunt ad suam Religionem. *d. cap. tuæ, & cap. ex litteris, 16. de vita, & honest. Cleric.*

Reassumere habitũ quis dicatur. Reassumere habitum est, non solum illo reindui, sed publicè illum deferre, & non coopertum desuper alio habitu. Qui enim habitum coopertum publicè defert sine iusta causa, est apostata, vt notant *glossa in Clem. secundæ, in verbo extrinsece, de vita, & honest. Cler. & Rebuff. in sua praxi beneficiali, in tit. de dispens. cum Regularibus facta, num. 43.*

Et ad Claustrum, &c. Cum augeat apostasiæ delictũ remanere extra claustrum animo illuc non redeundi. *cap. sicut nobis*, 17. §. *fraternitati tuæ, de regularibus*: Ideo redire ad claustrum est necesse, ad hoc vt quis dicatur suam deposuisse apostasiam: & propterea lator prius redeat ad suæ Religionis claustrum, antequam absoluatur.

Ibi permansurus, &c. Non sufficit redire ad claustrũ statim illinc discessurus: non enim dicitur redijsse, qui statim discessit. *arg. l. posthumus, 12. ff. de iniusto, & c. testam. cap. nam & ergo, 3. de verb. significat. vbi Panorm. num. 1. bene aduertit, & notat*, quoad effectum, de quo agitur, non dici fuisse id, quod non perseuerauit: & ideo noster lator, ad hoc vt dicatur desijsse esse apostata, debet vere redijsse ad claustrum animo ibi perseuerandi sub regulari obedientia, aliter non dicetur desijsse esse apostata; sicut qui ab aliquo loco recedit, & statim reuertitur, non censetur recessisse. *cap. diuortium, de pœnitentia, distinct. 2. & l. 1. §. qui præsens, ff. de verb. obligationibus.* Ita qui apostasiam deserit statim illam reassumpturus, non censetur illam deseruisse, & propterea non est absoluendus. *Non recedit qui statim reuertitur.*

Ab

Ab excommunicationis, &c. Religiosi j, qui post professionem emissam dimittunt habitũ regularem, sunt ipso facto excommunicati. *d. cap. vt periculosa, ne clerici, vel monachi in 6.*

Iniuncta, &c. qua duret quandiu vixerit, &c. Si Religio latoris est strictioris obseruantiæ, & in ea non sit relaxata disciplina, imponerem latori solummodo onus recitandi singulis diebus Psalmũ *Miserere*, durante eius vita, vltra alias pœnitentias, quæ apostatis per statuta, & constitutiones suæ religionis pręscribuntur. Nam Religiones, quæ sunt in viridi obseruantiã habent adæquatas pœnitentias, quibus suos apostatas puniunt; & has multum augere, exacerbaret potius apostasiæ vulnus quàm curaret. Si vero sit Religio relaxata, latori imponerem aliquam ex ijs pœnitẽrijs & abstinẽtijs, quas illa, dum erat in sua viridi obseruantia, peragebat, vt sic lator sibi stimulus ad tenaciùs retinendum, quod prius temere dimiserat, & alijs exemplar sit ad reassumendam eam vitæ rationem, quam ex instituto profitentur: quod tamen totum relinquitur arbitrio & prudẽtiæ nostri exequutoris.

Has tamen non existimo debere esse quotidianas, sed interpolatas, & addictas, videlicet Ferię sextæ, vel alteri diei cuiuslibet hebdomadæ, durante latoris vita.

Et hæc quoad apostasiam: quo verò ad homicidium, imponerẽ latori delationẽ cilitij, vel onus se flagellandi singulis sextis ferijs ad minus, & si fieri potest aliquam celebrandã Missam pro anima occisi, vel alias Preces recitãdas; vt huiusmodi satisfactione possit aliquo modo illam celerius liberare à pœnis Purgatorij, quatenus in illis reperiatur, quia pręd ictum hominem à se occisum, sustulit de loco, vbi pœnitentiam per se ipsum agendo, poterat mereri: & propterea lator debet quoad huiusmodi satisfactionem, seipsum pro à se occiso subrogare diuinę iustitię.

Quamdiu in religione mãserit, &c. Id est, toto eo tempore, quo lator habitum regularem retinuerit, & sub obedientia suorum Superiorum perseuerauerit; dictio enim, *quamdiu*, importat temporis limitationem ad aliquid agẽdum, vel prosequendum. *clem. quamdiu, 4. de appellat.* *Dictio, quãdiu, importat temporis limitationem.*

Dubitari ab aliquo posset, an huiusmodi dispensatio latori suffragetur, si de sua Religione,

gione ad aliam se transferat postquam absolutus, & dispẽsatus fuerit. Ratio dubitandi videtur esse, quia supra dictũ fuit, *postquam habitum regulare reassumpserit, & ad claustrũ redierit ibi permansurus*. Et verbum, *reassumo*, importet solummodo acceptionem rei, quæ aliàs fuerat relicta ab eodem, qui illam reassumit, cũ non possit dici, quod iterum assumatur illa res, quę nunquã fuit sumpta. Et redire ille solũ dicitur, qui ad locum, vel statũm à quo discesserat, se iterũ conferet. *c.* 1. 20. *q.* 4. *c. licet, de sponsa duorum*. *c. vlt. dist.* 82. *l. iubemus, C. de sacros. eccles.* Ergo mẽs M.P. esse videtur, dũ his duobus verbis vtitur, *reassumpserit*, & *redierit*, quòd lator solum possit suos ordines exercere in Religione, cuius erat professus, quando fuit cum eo dispensatum: ergo nõ in alia, ad quam posteà se transtulit.

Contrarium tamen existimo verum. Primò, quia religiosus canonicè se transferẽs ad aliam Religionem, gaudet omnibus illis indultis & priuilegijs, quibus prius fruebatur, si tamen illi non sint expresè prohibita, prout est in *clem.* 1. *de regularib.* & sint cõpatibilia cum secunda Religione; & eo magis, quando illi sunt multum congruentia, & necessaria. Sed cum secundæ Religione est multum compatibile, & congruens, immò necessarium, vt lator possit suos ordines exercere, aliàs enim illi onerosus esset: ergo latori ad secundã Religionem trãslato, suffragatur huiusmodi dispensatio.

Secundò, si perpendantur verba M.P. non limitãt, neque restringunt dispensationem ad celebrandum in Religione tantum, quam professus fuerat, sed solum ad Religionem in genere: non enim in suis litteris apposuit dictionem, qua indicetur, quod solum de Religione, quam lator professus fuerat, intellexerit, videlicet, *suam*, per quam dictionem significaretur dominium, quod latoris Religio ob omissam professionem in eo habebat *argum. l. Quintus Mutius*, 11. *in fin. ff. de argen. & auro legat.* & consequenter reditus ad illam, & celebratio tantum in illa. Ergo dum Maior Pœnitentiarius non limitat, nec restringit suam dispensationem, neque nos debemus limitare, & restringere ad eam dũtaxat Religionem, quam lator professus fuit.

Dictio, suam, denotat dominium.

Et hoc adeo verum esse existimo, vt, si lator antequam absoluatur, & dispensetur, aliã Religionem ex indulto Pontificio,

tificio,

tificio, vel alias canonice ingrediatur, nihilominus possit vigore huiusmodi litterarum absolui, & cum eo dispensari secundum earum formam.

Ad rationem in contrariũ allatam respõdeo, latorem statim ac post apostasiã reassumit habitũ cuiusuis regularis Ordinis, etiam non illius, quem professus fuerat, vere dici habitum Regularẽ reassumpsisse, & statim ac ad cuiusuis alterius Ordinis claustrum legitime se confert, animo ibi sub regulari disciplina perseuerãdi, vere dicitur ad claustrum redire: & ideo ex allegatis verbis nõ infertur magis Religio, cuius erat professus, quam quælibet alia Religio, & propterea nostræ sententiæ nihil dicta ratio obstat.

Ex quibus sequitur, quod si lator ad seculum redeat, non poterit vllo modo suos ordines exercere, quia hæc dispẽsatio est conditionalis, dictio enim *quamdiù* importat conditionẽ *l. Pater*, 1oo. *vbi Bart. ff. de condit. & demonst.* & propterea durante ista conditione, id est, perseuerantia in Religione, durabit effectus dispensationis conditionatæ.

Iussus, &c. Id est, iussus a quolibet Superiore, vel Sacrista, cui lator obedire teneatur, vel a regulis suæ Religionis, vel ab ipsis statutis, & ordinibus sui Cõuentus, & Monasterij, etiamsi vtriusque sit simplex iussio, satis enim est, vt lator non sponte celebret, sed iussus: iubere enim importat necessitatem. *l.* 1. *§. sed & si serui, ff. quod iussu.* *Verbum, iubeo, importat necessitatem.*

Idemque dicendum, quando per imminens periculum propriæ famæ iubetur a iure naturæ: vnusquisque enim de iure naturæ tenetur tueri propriam famam.

Dumtaxat, &c. Hæc dictio de sui natura limitat, & restringit dispositionem, cui adiungitur. *l. non est ferendus*, 12. *ff. de transactionibus. l. non solum*, 39. *§. quæritur, ff. de proc. l. ait Prætor.* 3. *§. interdum, ff. de negot. gestis*. Et ideo limitat, & restringit dispensationẽ ad exercendũ ordines in Religione, & in casu iussionis tantũ factæ ab eo, qui iubere potest, & non ad libitum latoris. *Dictio, dumtaxat, limitat, & restringit dispositionem.*

Et non aliàs, &c. Hæc clausula arguit præcisam Maioris Pœnitẽtiarij voluntatem ad tempus, quo lator in Religione manserit, & iussus fuerit: & ideo cessantibus duabus præallegatis conditionibus, vel altera earum, lator absque lethali culpa non poterit celebrare, nec suos ordines exercere.

PRO

PRO PRESBYTERO,

Qui alium Presbyterum interfecit, & deinde a celebratione non deſtitit, nec valens in futurum ob graues cauſas ab exequutione ſuorum Ordinum abſtinere, petit abſolui, ſecumque deſuper diſpenſari: Litteræ vt infra conficiuntur.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quod ipſe aliàs occidit quemdam alium Presbyterum, & deinde ſuos ordines continuò exercuit, cenſuras Eccleſiaſticas propterea incurrendo, & irregularitatem contrahendo. Cum autem, &c. dictus lator graues ob cauſas ab exequutione ſuorum ordinum nequeat abſtinere, & de præmiſſis, quæ occulta ſunt, plurimum doleat, ſuoſque ordines exercere licitè poſſe deſideret, pro ſua conſcientia quiete cupit per Sedem Apoſtolicam abſolui, ſecumque deſuper diſpenſari. Quare, &c. quatenus ſi eſt ita, dictum latorem, audita prius ipſius Sacramentale Confeſsione, a quibuſuis ſententijs, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas propter præmiſſa quomodolibet incurrit, Presbytericidij reatu, & exceſſibus huiuſmodi abſoluas hac vice, &c. iniuncta inde et pro modo culpæ grauiſſima, & perpetua pœnitentia ſalutari, per quam corpus acriter affligatur, & ſentiat atrocitatem admisſi ſceleris, vt inde anima ſua ſaluti plenius conſulatur, & quam diſcretio tua ita moderetur, vt quod occultum eſt, non veniat in apertum. Iniunctis etiam eleemoſynis pro modo facultatum latoris, pro orationibus, & celebratione Miſſarum, pro Anima defuncti: Quodque ijs, quibus ipſe dum viueret, ſubuenire forſan ſolebat, ſatisfaciat, & ſubueniat in eo, in quo tenetur, caute tamen ne ſe prodat, & alijs, &c. iniun-

iungenda: ipsoque ab exequutione, &c. Reliqua vt in præcedenti, vsque ad clausulam, *nullatenus suffragetur*, inclusiue, & post hanc addatur sequens clausula. *Neque alia ratione prosint, quominus si ipse aliquod Feudum, seu Iuspatronatus ab Ecclesia, in qua dictus Presbyter occisus, forsan intitulatus erat, obtinet, ipse lator eiusque heredes perpetuo illis sint priuati. Datum, &c.*

Noster hic lator duplicem pęnam incurrit ex huiusmodi suo delicto: excommunicationem videlicet, quia in Clericum manus violentas iniecit. *cap. si quis suadente*, 14. *q*. 4. & irregularitatem quia homicidium perpetrauit. *cap. fin. de sent. excommunic. in* 6. imo, & aliam irregularitatem contraxit, quia præcedenti excommunicatione ligatus suos ordines exercuit. *cap.* 1. *de sent. excommunicat. in* 6. *vbi glossa in verbo, irregularitatem*: & ideo eget super vtraque dispensari, aliàs non legitime suos Ordines exerceret. *arg. cap. cum pro causa*, 27. *de sent. excommunic.*

Graues ob causas, &c. Videlicet, vitæ periculum, cui euitando iura multa permittunt. *cap.* 2. *§. si autem, de homicidio, & toto titulo, quod vi metusue causa fit, & ff. eodem*. ac detectio perpetrati criminis, quæ delinquentem in manifestum vitæ discrimen ponat, aut notabilis famæ, & honoris iactura, quę tanti momenti est, vt pro illa reparanda, sacri Canones non vnius, sed plurium honestarum personarum testimonium, & iuramentum exposcant. *c. fin. de purgat. canonica*. Et similia, quæ euitari aliter nequeant, quàm exercendo Ordines.

Reatu, &c. Criminis lęthalis effectus duo sunt, macula, videlicet, priuatio gratiæ Diuinæ, quæ est animæ pulchritudo: & Reatus, qui est obligatio ad pœnam. *l. si diutino*, 25. *ff. de pœnis. D. Thom.* 2. *sent. dist.* 42. *q.* 1. *art.* 2. Et excludit delinquentem ab omni honore, & dignitate. *l.* 1. *C. vbi Senatores, & clariss. ciuiliter, vel criminal. conueniantur*.

Criminis duplex effectus.

Reatus est obligatio ad pœnam.

Ab vtroque mandat M. P. latorem absoluendum, vt per istam absolutionem liberetur a pœna æterna, & possit ad retinendum Sacerdotalem honorem admitti.

Gra-

Grauissima, &c. Quæ sit ista grauissima pœnitentia, determinari, sic in genere, nequit, cum hæc grauitas non solum considerari debeat in se, sed in subiecto, cui imponitur. *l. moris est, 9. §. sed enim, & l. quædam delicta, 14. ff. de pœnis*, cum vna eademque res, quæ vni est grauis, alteri erit, non dicam grauis, sed ferè leuis. *l. aut facta, 16. §. persona, ff. de pœnis*: v. g. rustico robustę complexionis ieiunium in pane, & aqua non multũ graue erit; at viro nobili delicato, & debilis complexionis erit grauissimum: eidem rustico corpus flagellis castigare leue erit, at viro delicato erit grauissimum. Viro robusto in nuda terra sæpius in mense, vel hebdomada cubare, nõ multum officit: at delicatum, & infirmæ valetudinis omninò prosternit: cilitia, iuuenem mortificant, & senem octuagenarium, vel debilis, & infirmæ valetudinis lacerant, & ferè ad nihilum redigũt. Ideò grauitatem exequutor dimetiri debet à qualitate, & conditione latoris præsentium: poterit autem huiusmodi pęnitentiam mitigare his duabus dictionibus, *rarius*, & *sæpius*: videlicet quod a robustiori sæpius, & frequentius in hebdomada, vel mense peragatur, & à debiliori rarius.

Grauitas pœna mensuratur in subiecto, cui imponitur.

Et perpetua, &c. Quæ durare debeat durante vita latoris: verbum enim *perpetuum* hic propter subiectam materiam, importat durationem vsque ad latoris mortem. *l. 1. ff. pro socio. Dec. cons. 521. n. 12*, & propterea hæc pœnitentia non solum debet esse grauissima, sed etiam perpetua: dictio enim, *&*, copulatiua de sui natura, facit vt vtrumque copulatũ adimpleatur, & vtrumq; simul verificetur. *l. si quis ita, stipulatus fuerit decem aureos. 129. ff. de verb. obligat.*

Dubitari hic potest, an huiusmodi pœnitentia debeat esse grauissima secundum se, & independenter a perpetua duratione, an verò dependenter, & prout est vnita cum perpetua obligatione; perpetua enim pœnæ duratio summopere aggrauat ipsam pœnam. *l. aut damnum, 8. §. quisquis autem, ff. de pœnis.*

Perpetua duratio grauiorem facit pœnam.

Respondendũ huic dubitationi est, quod huiusmodi pœnitentia latori, pro prædicto presbytericidio imponenda, debet esse grauissima in se, respectu personæ, cui imponitur vt supra diximus, & independenter a perpetua duratione: nam dictio *copulatiua*, copulat quidem præcedentia cum sequentibus. *l. & quia, 6. ff. de iurisdict. omnium Iudic.* Non autem illa immutat, sed relin-

relinquit vnumquoque in suo esse, cum faciat vt vnũquodque æque principaliter existat: copulatiua enim facit, vt vnumquodque ęque principaliter existat, & veniat æque principaliter. *Panorm. in cap. querelam*, 15. *num.* 5. *vbi glos. de simonia. Bart. in l. si cui*, 5. *ff. de fundo instruct.* Immò repetit præcedentis sermonis omnes qualitates. *l. Seiæ*, 20. *§. Caio, ff. de fundo instr. vbi Bart. num.* 1. Ergo in casu nostro, ista duo adiectiua remanent in suo esse, ac si non essent copulata, & consequutiuè pœnitentia ista debet esse grauissima in se, & non dependentèr a perpetua duratione, & respectu perpetuæ durationis hoc est, grauissima debet esse secundum intẽsionem, & non secundum extensionem.

Copulatiua repetit omnes qualitates præcedentis sermonis.

Per quam corpus, *&c.* Hac clausula M. P. declarat latori imponendam non quamlibet pœnitentiam, sed eam solummodo, quæ strictè, & propriè a legibus, & sacris Canonibus appellatur pœnitentia, & pœna, videlicet eam pœnitentiam, quæ est corporis afflictiua; nam pœna corporis afflictiua est propriè pęna. *cap. reum, & cap. id constituimus*, 17. *q.* 4. *Panorm. in cap. inter alia*, 6. *nu.* 4. *de immunit. Ecclesiar.*

Pœnitentia vero corporis afflictiua, secundum Canones, Prima est ieiunium, vel abstinentia. *cap. si quis contristatus, distin.* 90. Secunda sunt verbera. *cap. circumcelliones, propè finem*, 23. *quæst.* 5. *c. & qui emendat*, *& cap. cum beatus, distin.* 45. Secundum verò leges ciuiles veniunt pœnarum nomine, etiam seruitus, carceres, publicatio bonorum, & deportatio. *l. si quis fortè*, 6. *§. fin. & l. veluti*, 7. *ff. de pœnis.* Sed hæ postremę non faciunt ad nostrum propositum, nec habent locum in foro conscientiæ.

Acriter, *&c.* Id est non leuiter, sed multum corpus affligatur.

Vt sentiat, *&c.* Pęna cum sit delictorũ debita coërctio. *l.* 1. *§. fin. l. si pœna*, 20. *ff de pœn.* coërctio autẽ fieri nequit, nisi lator præsentiũ perpetratum scelus detestetur, quod vt faciat, necesse est vt illius grauitatem cognoscat & sentiat; hęc autem grauitas cognoscitur ex grauitate pœnæ, quia grauitas delicti ex grauitate pœnæ mensuratur. *l. capitaliũ*, 28. *§. incendiarij, ff. de pœnis. c. nõ offeramus stateras*, 24. *q.* 1. *Dec. in c. at si clerici*, 4. *§. de adulterijs, n.* 21. *de iudic. Bal. in c. vt clericorũ*, 13. *de vit. & honest. cleric.* Vt autẽ atrocitatẽ sui criminis

minis lator percipiat, debet per pœnam sibi imponendam grauiter affligi, vexatio enim dat intellectum, & quo maior est vexatio, eo magis intellectus clarificatur, & melius intelligit rem sibi obiectam.

Vt inde animæ eius saluti, &c. In imponendis pœnitentijs, pia mater Ecclesia semper prę oculis habet salutem animarum delinquentiũ, & earum periculum omnino euitandum curat. *cap. significauit* 3. § *fin. de pœnit. & remission.* & suis ministris, hoc præcipue mandat, vt in imponendis pœnitentijs consulant animarum saluti. *c. Deus qui Ecclesiam*, 8. *de pœnit. & remiss.* Ideo Maior P. idem a nostro exequutore obseruari præcipit.

Plenius, &c. Hoc est, omni ex parte, adeo vt nihil rigoris, & misericordiæ omittatur, quod latoris saluti prodesse posse exequutor cognouerit: dictio enim *plenius*, importat talem perfectionis statum, qui nulla adiectione indigeat. *cap. si omnia*, 6. *q.* 1. *cap. bene*, 96. *dist.*

Dictio, plenius importat perfectionem status.

Quam discretio tua, &c. Præterea noster exequutor in imponenda huiusmodi pœnitentia consulere debet bonæ famæ latoris, quam ille tandiù retinet, quamdiù delictum remanet occultum: & ideo intra tales pœnitentiæ cancellos lator claudatur, vt quod occultum est, non veniat in apertum; id est, talis pęnitentia ei imponatur, quam adimplere valeat absque notabili strepitu, & in secreto: prout sunt ieiunia, abstinentiæ, ciliciorum delatio, corporis fustigatio, & similia: non autem publica corporis castigatio, vel aliæ punitiuæ actiones, quæ inter Missarum solemnia, & ad fores Ecclesiarum, vel coram alijs fieri solent, vel debent. Reliquas præsentis formulę partes vide in formula superius a me exposita, & declarata pro viro laico, qui interfecit Presbyterum.



PRO PRESBYTERO CVRATO.

Qui procurauit abortum : Litteræ absolutionis, vt infra conficiuntur.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Quod ipse aliàs mulierem quamdam reddidit grauidam, & fœtu animato existente procurauit abortum; quo sequuto, & suos ordines, & curam animarum exercere non destitit: propter quæ censuras Ecclesiasticas incurrit, & irregularitatem contraxit. Cum autem, &c. prædictus lator de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, & ab exequutione suorum ordinum abstinere non valeat absque scandalo, pro sua conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. quatenus, si est ita, dictum latorem, audita prius ipsius Sacramentali Confessione, a quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, abortu, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. iniuncta inde ei pro modo culpæ graui, & perpetua pęnitentia salutari, & alijs, &c. iniungenda: ipsoque ab exequutione suorum ordinum suspenso. Demum, dummodo præmissa occulta sint, & lator ab exequutione ordinum abstinere absque scandalo non valeat, cum eodem, pęnitentia, vel illius parte, &c.* prout in præcedenti formula, vsque ad clausulam *misericorditer dispenses:* post quam addatur subsequens, *declarando ipsum latorem dictum beneficium retinere posse in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis, &c.* prout in præcedentibus formulis.

Pro-

Procurauit abortum, &c. Olim procurans abortum, vel ante, vel post fœtus animationem, puniebatur per *Constitutionem Sixti Quinti, quæ incipit, Effrænatam, &c.* non solum pœna excommunicationis, verum etiam pœna irregularitatis, & priuationis beneficiorum, & inhabilitatis ad beneficia, & officia, vltra aliàs pœnas temporales, etiã mortis. Sed prædicta constitutio fuit in partem moderata per *Gregorium XIV. in sua constitutione, quæ incipit, Sedes Apostolica pia mater:* videlicet, quod non contrahatur irregularitas, nisi quando fętus est animatus, prout aliàs sacri Canones decreuerant. *cap. sicut, 20. & cap. si aliquis, 5. vbi gloss. in ver. vt homicida. Panorm. Felin. & alij DD. de homicidio. cap. quod vero, 32. quæst. 2. & Couarr. in Clem. si furiosus, parte 2. §. 3. de homic.* & fuit etiam moderata quoad prohibitionem: olim enim, nõ nisi per Sedem Apostolicam absolutio desuper præstari poterat; hodie vero huiusmodi absolutionis reseruatio fuit translata in locorum Ordinarios: & præterea per eandem Gregorij constitutionem fuerunt excommunicatio, & aliæ pœnæ sublatę, quæ in constitutione prędicta Sixti V. continebantur contra procurantes abortum fętus inanimati. Nihilominus isti possunt puniri tanquam de homicidio. *d. c. sicut, & cap. si aliquis.*

Pœna contra procurantes abortum.

Fętus, &c. Fœtus animatus masculi est secundum Medicos, & Chirurgos post quadraginta dies, fęminæ vero post octuaginta dies. Fœtus animatio colligitur ex lineamẽtis omnium membrorum; quę cum sint, demonstrant animam fuisse infusam in corpore organizato.

Si vero dubitatur an fętus sit masculus, vel fęmina, tutior pars est eligenda, videlicet, quod fuerit masculus, & animatus post quadraginta dies; in spiritualibus enim tutior pars in dubio est eligẽda. *cap. iuuenis, 3. de sponsal. glos. in cap. vnico, in ver. æstimare, de scrutin. in ordin. faciendo. Panor. in c. 1. de postul. Prelat. n. 17.* Quod tamen intelligendum est in foro conscientiæ: secus enim dicendum est de foro contentioso, in quo quãdo agitur de pœna infligenda, in dubio mitior pars eligenda, *l. interpretatione, 42. ff. de pœnis. c. ap. estote, 2. de reg. iur.*

Tutior pars in foro conscientia sumẽda est in dubio, secus vero in foro fori.

Absque scandalo, &c. Facile oritur scandalum, si Curatus non celebrat, & Sacramenta non administrat suo

 gre.

gregi, ad quæ ratione sui beneficij tenetur;nisi vel ex fundatione, vel ex priuilegio, vel ex consuetudine, solitus antea fuerit curam animarum exercere per substitutum. Si enim adsunt talis fundatio, vel priuilegium, vel consuetudo, iam scandali causa allegata non est vera, sed falsa, & ideo præsentes litteræ sunt nullæ, & inualidæ ob falsam in eis causam allegatam, quia mendax precator carere debet penitus impetratis. *c. super litteris. 20. de rescriptis, ubi DD.* & cessat finalis causa gratiæ concessæ.

Graui, & perpetua, &c. Quæ sit ista grauis, & perpetua pœnitentia, debet mensurari ex latoris qualitate, prout aliàs diximus. Non est necesse vt sit tota personalis, sed potest esse insimul realis; vt v.g. ieiunio superaddere eleemosynam; non enim præscribitur a M. Pœnitentiario vt sit solummodo pœnitentia corporis afflictiua: & ideo etiam cum personali realis pœnitentia imponi potest, si sic exequutori nostro videbitur expedire.

Demum, dummodo lator, &c. Cum dictio hæc *dummodo*, quando adiungitur rei, quę sit necessario adimplenda, antequam actus perficiatur, importet conditionem, prout aliàs diximus in pręcedēti formula pro promoto ante legitimam ætatem; ideo noster exequutor aduertat prius, an lator possit abstinere ab exequutione suorum ordinum sine scandalo: si enim potest abstinere, non dico per diem, vel per mensem, sed per annum, ista conditio scandali non verificatur de præsenti, & ideo non debet cum illo dispensari, quia litteræ cum falsæ causę expressione obtentæ, sunt nullæ.

Quod autem ista causa verificanda sit antequam actus dispensationis perficiatur, patet, quia est posita sub tempore præsenti, quod excludit tempus pręteritum, & futurum: ergo de tempore pręsenti verificanda est. Hæc tamen verificatio non est facienda per demonstrationem mathematicam, sed per probabiles coniecturas, ex quibus exequutor præuideat latorem nō posse diu abstinere ab exequutione suorum ordinum sine probabili scandalo, & scandalo graui, videlicet sine graui honoris, & famæ iactura, & periculo detegendi delictum. Dixi, sine graui scandalo, quia minima non habentur in consideratione. *l. suo, 4. ff. de in integrum restit. l. 4. in fine ff. de ædilit. edicto.*

Homicida per sententiam Iudicis debet priuari beneficiis.

Declarando ipsum ato rem, &c. Homicidæ, & alij criminosi non remanent priuati beneficijs, eo ipso, quod committunt homicidium, & alia delicta, sed requiritur sententia Iudicis, quæ illos beneficio priuet. *c. Clericis, 5. ne Cler. vel Monachi, c. ex litteris, 10. prope finem, de excessibus Prælatorum. cap. postulastis, de cler. excommun. ministr. c. cum secundum, 19. de hæreticis, in 6. vbi Archid. num. 2. Decius in cap. 2. num. 13. cum sequent. de rescript. Panormit. in cap. vlt. num. 2. de excessibus Prelatorum.*

Vel saltem per declaratoriam delicti.

Vel saltem per Iudicem declaretur a Reo perpetratum esse delictum, propter quod secundum leges, & iura priuatus eo ipso fuerat beneficijs: quando tamen iura disponunt, huiusmodi Reos eo ipso absque alia sententia, & declaratione Iudicis esse priuatos beneficijs, &c. *l. eius qui, 29. ff. de iure fisc. d. cap. cum secundum, glos. in cap. fraternitas, verbo, cum augumento, 12. quæst. 2. cap. si quem, §. notandum, 2. quæst. 3. Felin. in cap. audiuimus, de simonia. Couarru. tomo 1. secundæ partis, cap. 6. §. 8. num. 10. Decius loco citat. & in cap. 1. num. 72. cum sequent. de constit. Specul. lib. 3 partic. 1. nu. 7. de inquisit.* Ideo cum noster lator non fuerit per sententiam Iudicis priuatus beneficio, quod aliàs ante perpetratũ delictum sibi fuerat canonice collatum, illud canonice retinet, & non eget pro eo retinendo dispensatione, sed solum rehabilitatione ad Ordines exercendos; qua per præsentes obtenta, rectè M. P. declarat illud retineri posse a nostro latore.



PRO PRESBYTERO

Hæretici filio qui Canonicatum in Ecclesia Cathedrali obtinuit, non attendens paternam Hæresim sibi obstare; Litteræ dispensationis, vt infra conficiuntur.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Quod aliàs eius Pater in Caluinianam Hæresim lapsus in illa pertinaciter vixit, & obijt: & postea ipse lator non aduertens inhabilitatem ex paterna hæresi contractam, Canonicatum Cathedralis Ecclesiæ assequutus fuit... Cum autem, &c. occultum sit, collationem dicti Canonicatus latori factam, esse inualidam, & lator illum retinere licite posse desideret, pro suæ conscientiæ quiete cupit secum desuper per S. Pænitentiariæ officium dispensari. Quare, &c. quatenus si est ita, cum eodem latore, audita prius ipsius Sacramentali Confessione, dummodo occultum sit collationem Canonicatus huiusmodi propter præmissa inualidam esse, & aliud ei non obstet Canonicum, vt præmissis non obstantibus, dictum Canonicatum retinere, illiusque fructus percipere licitè valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, &c. Ita quod in foro iudiciario nullatenus suffragetur. Dat. &c.*

Hæretici filii et nepotes sūt incapaces beneficiorum Ecclesiasticorum.

Vixit, & obijt, &c. Ad hoc, vt filij, & nepotes Hæreticorum incurrant inhabilitatem ad beneficia, necesse est, vt pater in hæresi moriatur: si enim ante mortem resipiscat, & abiuret publicè, vel priuate hæresim, filij non contrahunt istam inhabilitatem, *cap. 2. §. hæretici, & cap. statutum, 15. de Hæreticis in 6.* vt supra dixi, dum egi de irregularitate ex crimine hæresis proueniente.

Non aduertens, &c. Id est ignorans Hęretici filios incapaces

paces esse beneficiorũ Ecclesiasticorum: & cum hæc incapacitas à iure proueniat, lator excusari facile potest à dolo: Ignorantia enim iuris excusat à dolo. *l. qui in ius, 137. §. nemo videtur, vbi Decius nu. 1. ff. de reg. iur. l. sed & si lege, 28. §. scire, ff. de petitione hæreditatis. l. si quis in graui, 3. §. si quis ignorans, ff. ad Sillanian.* Et si excusatur à dolo, meretur facillimè secum dispensari in impedimento inhabilitatis, quam absque sua culpa contraxit: & eo magis, quia absque propria culpa suffert alienam pœnam.

Ignorantia iuris excusat.

Audita prius, &c. Mirabitur aliquis forsan, hanc dispensationem faciendam in sacramẽtali Confessione, cum non adsit culpa, nec detur latori absolutio. Cessabit autem admiratio, si recordetur committi huius dispẽsationis exequutionem Cõfessario, vt Cõfessario, cuius forus est sacramentalis confessio, & in eius actibus exercendis illius tantum iurisdictio est: & ideò quid mirum si præcedere debeat sacramentalis Confessio, ex qua solummodo appellatur, & constituitur formaliter in esse Cõfessarij? Aliàs exequeretur has litteras, vel vt Doctor, vel vt Magister tantum.

Non demandatur in his litteris specialis absolutio, quia non est opus speciali facultate absoluendi, cum sufficiat ordinaria facultas Confessariorum pro absoluendo latore à suis peccatis, cum vt præsupponitur, non habeat casus reseruatos, à quibus debeat absolui, & abundanter fuit demandata absolutio per clausulam, *audita prius sacramentali Confessione.* Demum iubetur, vt huiusmodi dispensatio fiat in sacramentali Confessione, vt quod occultum est, magis in suo esse occulto conseruetur, & exequutor notitia dicti impedimenti vti nequeat extra sacramentalem Confessionem.

Dummodo occultum sit, &c. Hæc clausula nõ requirit vt paterna hæresis sit occulta, sed quod legalis eius effectus sit occultus: non enim necessariò sequitur ex publicitate, & notorietate paternæ hæresis, notorietas istius legalis effectus in filium redundantis, videlicet quod filius efficiatur incapax beneficiorum, & successiue inualidam esse collationem beneficiorum, quæ illi conferuntur. Ideò non est necesse nostrum exequutorem multum laborare in quærendo, an latoris paterna hæresis fuerit notoria, vel occulta: satis est inquire-

re, an habeatur valida à Canonicis, & ab alijs conciuibus collatio de Canonicatu latori facta. Quod vt exequutor obtineat, prudenter inuestiget an sciatur latoris patrem fuisse hæreticum, & in hæresi, atque impœnitentem obijsse, & hæreticorum filios excludi ab obtinendis beneficijs: an sciatur latorem absque dispensatione dictum Canonicatum consequutum fuisse: & si præmissa sciantur, necesse est inquirere, à quot personis sciantur, & quomdo sciantur. Duarum, vel trium, aut quatuor personarum notitia non constituit notorietatem, quæ excludat esse occultum, vt in principio secundæ Partis huius Praxis declaraui, dum egi de notorijs, & occultis. Præterea cõsideranda est qualitas istius notitiæ, an sit probabilis, nec ne: non enim sufficiunt dubietas, vel suspicio ad præludicandum tertio. *cap. accedens, 14. & cap. cum in iuuentute, 12. de purgatione canon.* & ideò non possunt efficere quod illud, quod aliàs est occultum, fiat per huiusmodi dubietatem, & suspicionem publicum, & notorium in præiudicium nostri latoris.

Sola suspicio delicti non præiudicat.

Aliud canonicum, &c. Vide quæ dixi in præcedenti formula pro Presbytero Parocho promoto ante ætatem.

Dictum Canonicatum, &c. Id est, retinere vt prius prærogatiuam Canonicalem, locum in Capitulo, stallum in choro iam sibi assignata, vocem actiuam, scilicet præstando suum votum, & suffragium in regimine suæ Ecclesiæ, tam spirituali, quam temporali; & vocem passiuam, qua licitè possit ad officia, & præeminentias, ad quæ alij Canonici solent, vt membra capitali eligi, & promoueri: *cap. relatum, 9. cap. pro illorum, 22. in fine, & cap. dilecto filio, 25. de præbend. & dignitat.*

Illiusque fructus, &c. Non vt œconomus, ad effectum illos integrè erogandi in vtilitatem Ecclesiæ, vel cõseruandi legitimo futuro successori. *cap. cum vos, 4. §. fraternitati, de officio Ordinarij, cap. quoniam quidam 75. dist.* Sed sicut titularis legitimus eos ad sui sustentationem recipere valeat. *d. cap. cum vos, cum alijs præcit. & cap. vacante, 16. cap. dilectus filius, 19. in fine, cap. cum secundum, 16. cap. extirpandæ, 30. §. qui vero, cap. dilectus, 27. de præb. & dignit.*

Mi-

Misericorditer dispenses, &c. Hęc dispensatio comprehendere debet, & spiritualem dignitatem, & temporalem vtilitatem dicti Canonicatus, ne videatur M. P. vnam sine alia concessisse, cum aliquando vnam sine alia concessam fuisse reperiamus. *d. cap. dilectus, 19.*

Reliqua, vt in præcedentibus formulis.

PRO RELIGIOSO.

Qui ministrauit in Ordine Presbyteratus non suscepto, & nulla desuper obtenta absolutione, ac dispensatione, illum suscepit: Litteræ vt infra.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Quod ipse aliàs sacro dumtaxat Diaconatus ordine initiatus Missam celebrauit, & deinde ad sacrum Presbyteratus ordinem promoueri se fecit absque absolutione, & dispensatione desuper prius obtinendis: propter quæ censuras Ecclesiasticas incurrit, & irregularitatem contraxit. Cum autem, &c. lator prædictus de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, & ne Religioni suæ onerosus sit, suos ordines exercere licitè desideret, pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. Quatenus si est ita, & in eo quod lator sine ordine Presbyteratus Missã celebrare præsumpserit, hæreticus non fuerit, ipsum, audita prius eius sacramentali Confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. Iniuncta inde ei pro modo culpæ graui pœnitentia salutari, & alijs, &c. iniungenda. Ipsoque ab exequutione suorum ordinum suspenso. Demum, dummodo præmissa occulta sint, cum eodẽ latore, pœnitentia, &c.* Prout in præcedentibus formulis: & si concedatur dispensatio ad officia, & dignitates, addatur post verbum, *ministrare*, subse-

ſubſequens clauſula; *Vt quacunque ſua Religionis officia, & dignitates, ſi ad illa alias canonicè, & iuxta eiuſdem Religionis regularia inſtituta eligatur, vel aſſumatur, gerere, & exercere, vocemque actiuam, & paſſiuam habere licitè valeat, miſericorditer diſpenſes in foro conſcientiæ*. vt ſupra.

Hæc formula in idem ferè incidit cum præcedenti formula pro Diacono ante legitimam ætatem promoto, qui audiuit ſacramentalem confeſſionem cuiuſdam Presbyteri: ideò ad illam remitto exequutorem, & pro hac pręſenti formula pauca superaddam.

Diaconatus ordine initiatus Miſſam, &c. In Miſſæ ſacrificio ille idem Chriſtus cōtinetur, & incruente immolatur, qui in ara Crucis ſemel ſe ipſum cruente obtulit, vt docet *S. Synodus Trident. ſeſſ.* 22. *cap.* 2. *de refor.* & hoc fit mediante conſecratione, qua panis in Corpus, & vinum in Sanguinem eiuſdem Chriſti tranſubſtantiantur. *c.* 1. *§. vna verò, de ſum. Trinit. cap. cum Marthæ* 16. *in principio, de celebratione Miſſarum.* Hæc autem conſecratio cum fieri nequeat, niſi à Sacerdote, qui ritè fuerit ordinatus ſecūdum Claues Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus Ieſus Chriſtus, *dict. cap.* 1. *§. & hoc vtique*, & *Concil. Triden. ſeſſ.* 22. *cap.* 1. Ideò noſter hic lator temere egit, & irregularitatem, aliaſque pœnas eccleſiaſticas contra ſimilia committentes inflictas contraxit, vt in præcedenti alia formula docuimus.

Quatenus, &c. Hæreticus non fuerit, &c. Pertinaciter, ſcilicet, credendo quòd omnes Chriſtiani promiſcuè ſint noui Teſtamenti Sacerdotes, & pari inter ſe ſpirituali poteſtate præditi, & proptereà quod ipſe, etiamſi non eſſet ſecūdum Claues Eccleſię ordinatus Sacerdos, potuerit Miſſam celebrare, & Euchariſtiæ Sacramentum conficere, qui hoc credit, eſt Hęreticus. *Concil. Triden. ſeſſ.* 23. *cap.* 4. Si hoc ergo pertinaciter credidit, noſter exequutor deſiſtat ab vlteriori exequutionę præſentium litterarum, quia M. P. limitat ſuam gratiam ad caſum, in quo lator non fuerit Hæreticus, per dictionem, *quatenus*, in litteris appoſitam, quæ dictio eſt limi-

Dictio, quatenus, est limitatiua dispositionis. limitatiua dispositionis, cui adiungitur, *l. si quis crediderit, vbi glos. verbo, quatenus, ff. de pactis, cap. placet, de conuers. coniugat. Dec. in l. quatenus, 25. in princ. & ibi Cagnol. nu. 1. ff. de reg. iur.*

Quid statuendum, forsan noster exequutor desiderat scire, quando lator præsentium non pertinaciter credidisset, sed solummodo dubitasset, an sibi etiam non sacerdoti liceret Missæ sacrificium celebrare, & conficere iuxta præcedentem hæreticam sententiam a Concil. Tridentini supra damnatam; cum videatur etiam dubius in fide esse Hæreticus. *Dubius in fide est Hæreticus.* *cap. 1. de Hæreticis*. Respondeo: Si lator ex ignorantia solummodo dubitauit, & erat paratus dubium deponere, quando hæreticam agnosceret suam dubitationẽ, & esse contra Ecclesiæ determinationem; existimo tali casu latorem non esse Hęreticum formaliter, cum non adsit pertinacia, & propterea posse frui beneficio præsentium litterarum. Si vero dubitauit cum pertinacia, sciens contrarium fuisse determinatum ab Ecclesia; tali casu non possunt illi litteræ huiusmodi suffragari, quia est verè, & formaliter Hæreticus, *d. c. 1. de Hæreticis. Clemen. vnica, §. porrò, de summ. Trinit. cap. apertè, vbi glos. in verbo, titubat, 24. q. 1.*

Reliqua vide in præcedentibus formulis.

AB APOSTASIA.

Pro Religioso Ordinis Fratrum M. N. proprietario, qui propter pecunias ablatas, ad Ordinẽ S. P. se transtulit, tacita Apostasia, & cupit remanere in secundo dicta Religione, Litteræ, vt infra conficiuntur.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quod ipse alias post emissam professionem in Ordine Fratrum M. N. dæmone instigante furatus est quandam pecuniarum summam, & vt suum delictum facilius occultaret, habitu regulari dimisso, à prædicta sua Religione apostatauit, & ad longinquas partes profectus ibi ingressus est Religionem S. P. & suos ordines exercuit: propter quæ censuras

Eccle-

Ecclesiasticas incurrit, & irregularitatem contraxit. Cum autem, &c. Lator prædictus de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, & in secundò dicta Religione remanere, suosque ordines exercere licitè posse desideret, pro sua conscientia quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. quatenus si ест ita, dictum latorem, audita prius eius sacramentali Confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quæ propter præmissa quomodolibet incurrit, apostasia nota, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. Iniuncta inde ei pro modo culpæ pœnitentia salutari: quòdque dictas pecunias sic ablatas, si extent, seù aliquid aliud loco illarum restituat, & alijs, &c. Iniungen. &c. Ipsoque ab exequutione suorum ordinum suspenso. Demum cum eodem latore, vt præmissis non obstantibus, in secundò dicta Religione Ordinis Sancti. P. remanere, ibique professionem emittere, & suffragantibus, &c. alioque ei canonico non obstante, super irregularitate, &c. vt in præcedentibus.

Furatus est, &c. Duo cõmisit lator noster delicta ex huiusmodi actione. Primò ipsum furtum, contrectãdo rem alienam inuito domino. *l. 1 §. furtum, ff. de furtis, c. ex litteris, 5. eod. tit.* Secũdo actum transgressionis voti paupertatis, accipiendo, & vti propriam retinendo pecuniam furtiuam: licet enim ex actione furtiua proprium ius, & dominium non acquiratur furi. *l. eum, qui emit, 14. §. Iulianus quoque, ff. de furtis.* Attamen ex naturali rei furtiuæ, per ipsum adepta fraudolenter possessione, aliquod in ea acquirit eius, vt propterea nõ possit per vim dicta re spoliari, quia præsumitur dominus donec per Iudicis sententiam declaretur contrarium, & cõdemnetur prædo enim violenter eiectus de possessione, est restituendus. *cap. in litteris, 5. vbi Panorm. num. 1. & nu. 23. de restit. spoliat.* Et propter iuris huiusmodi acquisitionem lator fecit contra votum pauperta-

Ex furto non acquiritur dominium.

pertatis, quæ in summo rigore habetur apud Religiosos, & præcipuè apud Minores Sancti Francisci, & euasit proprietarius. Proprietarius enim ille Religiosus est, qui cum non habeat administrationē bonorum suæ Religionis, pecuniam possidet, celando suo Superiori. *c. Monachi, 2. §. qui vero, de statu Monach. Panor. in c. cū ad monasterium, 6. n. 9. de statu monach. & ibi Anton. de Butrio, n. 3. & DD. communiter.* Vel aliquo modo proprium habet. *d. c. cū monasterij. c. Ioannes frater, 5. de regul.*

Ingressus, &c. Cum lator noster non Dei spiritu actus, sed ex leuitate, immò ex temeritate, & ad euitandam correctionem, in iacturam suæ animæ, & iniuriam suæ Religionis ductus, transuolauerit ad Ordinem S.P. inconsultis suis Superioribus, & absque Sedis Apostolicæ licentia; nec potuit transire ad dictum Ordinem, nec potest in illo remanere. *c. licet, 18. § fin. & c. sane, 10. & ibi Panor. de regularibus.*

Quodque dictas pecunias, &c. Res furtiuæ, si extēt apud furem, tenetur fur illas restituere domino. *l. inciuilem, 2. & l. si abducta, 10. C. de furtis.* & ideo noster exequutor à latore exposcat omnino huiusmodi restitutionem.

Seu aliquid aliud, &c. Quid sit istud, *aliquid aliud*, quod lator restituere debet domino pecuniarū, patet: si libros enim, vel alias res emit, & hos habeat in sua potestate, illos vendat, & pretiū restituat domino, cum nō remittatur peccatum, nisi restituatur ablatū. *c. cū tu, 5. §. super his, de vsuris.* Si verò vestes ex illis cōfecit, & præter has, non habeat, quibus operiatur, nō tenetur has vēdere, quia maior est necessitas latoris, quam domini pecuniarum: & si est æqualis, vel minor, possessio latori in hoc casu suffragatur, nec ad aliud tenetur restituendum, cum inopia omnes excuset: inanis enim est actio creditoris, quā inopia debitoris excludit. *cap. olim. 16. §. verum, de restitut. spoliat. & d. c. cum tu, 5. de vsuris*; nec sit spes ipsum ditiorē euasurum, cum sit Religiosus, & quicquid acquirit monachus, acquirat Monasterio. *c. quia ingredientibus, & cap. si qua mulier, 19. q. 3. auth. si qua mulier. C. de sacros. eccles.*

Inanis actio creditoris contra inopiā debitoris.

Ibique professionem, &c. In omnibus Religionibus, & præcipue in Mendicantibus, nemo potest emittere professionem, nisi expleto anno probationis. *c. nō solum, 2. cum frequent. de reg. in 6. Concil. Trid. sess. 25. c. 15. de reformat.* Et si emit-

emittatur ante expletum annum probationis, est nulla, & inualida; & qui sic emittit, nō solum non obligatur ad Religionem, in qua dictā professionem emisit, sed neque ad Religionem in genere. *Cōcil. Triden. de reform. sess. 25. c. 15. cit.* Ideò noster hic lator tenetur annum probationis explere: nec per huiusmodi litteras secus dispensatum censeat, ex eo, quod in illis nulla est facta mentio de Nouitiatu peragēdo, sed solū de Professione: nā cùm expressè nō fiat derogatio Decretis Concilij, semper præsumuntur remanere in suo robore, & obseruantia.

Decreta Cōcilii semper obseruanda, nisi fiat expressa derogatio.

In foro conscientiæ, &c. Cum transitus non sit ad strictiorem, lator potest reuocari a Superioribus primæ suæ Religionis. *arg. c. fanè, 10. & c. licet, 18. in fine, de regular.* Et ideò hæc dispensatio solum suffragabitur latori, vt tuta cōscientia, donec reuocetur à Superioribus suæ primæ Religionis, permanere, & perseuerare possit in secundò dicta Religione: si vero reuocabitur, tenetur redire ad primam suam Religionem, vel ab eius Superioribus veniam impetrare, vt in secunda Religione remanete possit: & hoc sufficit, stante præsentium litterarum dispensatione, & cessantibus molestijs, & reuocatione huiusmodi. De his omnibus noster exequutor moneat latorem.

Hic notandum diligenter, *cum Panorm. in d. c. fanè, nu. 4.* ad hoc, vt vna Religio dicatur Strictioris Obseruantiæ, quàm alia, non considerandā esse regulam antiquitus institutam, & secundum se consideratam; sed modum viuendi, & obseruantiam de præsenti. *d. c. fanè,* vbi dicitur per verbū præsens: *Si locus, vbi translatus nunc permanet, maioris religionis, quàm Ecclesia Aromaten. existat, ipsum in eodem loco permanere tuta conscientia permittas.* Dari enim casus potest, quod vnum Monasterium habeat regulam strictiorem a primæua sua institutione, quæ tamen de præsenti in multis non obseruetur; & sit aliud Monasterium, quod a primæua sua institutione habeat regulam laxiorem, sed de præsenti omninò in omnibus obseruetur: & ideo, quis hoc secundum Monasterium non iudicabit strictioris Obseruantiç, secundum pręsentē statū, primò dicto Monasterio?

PRO

PRO ORATORE.

Qui in adolescentia Religionem Ordinis Fratrum N. ingressus professionem ibi emisit, animo tamen exeundi, si se offerret occasio, susceptis etiam sacris Ordinibus; ac tandem litteris subreptitiè obtentis, earum prætextu in seculo in habitu Presbyterali, suo regulari dimisso, permansit, donec septuagenarius, & inhabilis ad Religionis onera, &c. Litteræ vt infra conficiuntur, quando esset gratia concedenda.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs adolescens ingressus Religionem Fratrum N. ibi post expletum probationis annum professionem regularem emisit, animo tamen non perseuerandi, sed discedendi, vbi primum se offerret occasio; & deinde omnibus etiam sacris Presbyteratus ordinibus initiatus, volens discedere, obtinuit à Sede Apostolica subreptitias litteras super nullitate suæ professionis, earumque vigore habitum suum Regularem dimisit, & in seculo, vt Presbyter secularis hucusque vixit, & suos ordines exercuit: propter quæ censuras Ecclesiasticas incurrit, & irregularitatem contraxit. Cùm autem, &c. lator prædictus modò sit septuagenarius, & inhabilis ad Religionis onera amplius sustinenda, & occultum sit prædictas Litteras esse nullas, & subreptitias; & propterea lator in seculo tuta conscientia remanere, & suos ordines exercere licitè posse desideret; pro sua conscientiæ quiete cupit à præmissis, de quibus plurimum dolet, per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. quatenus si est ita, dictum latorem, audita prius ipsius sacramentali Confessione,*

fessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, Apostasia, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. iniuncta, &c. iniungenda, ipsoque ab exequutione suorum ordinum suspenso. Demum, dummodo occultum sit, litteras prædictas, quarum vigore lator in seculo manet, subreptitias esse, cum eodem latore, pœnitentia, vel illius parte peracta, & suffragatibus, &c. alioque ei canonico non obstante, super irregularitate per eum ex præmissis quomodolibet contracta, quòdque illa, & alijs præmissis non obstantibus, postquam in huiusmodi suspensione steterit per tempus arbitrio tuo statuendum, in seculo in habitu Presbyteri secularis degendo, in suis ordinibus, &c. Prout in præcedentibus formulis.

Animo tamen non perseuerandi, &c. Verba deseruiūt intentioni proferentis, non autem intentio verbis. *l. non aliter, 67. ff. de legat. 3. l. scire, 17. ff. de legib. c. intelligentia, 6. de verb. signific.* Ideo licet lator præsentium in emittēdo suam professionem protulerit verba de natura sua denotantia perpetuam consistentiam illius in Religione; attamen, quia habuit in animo intentionem, quando professionem emisit, non perseuerandi, sed discedendi, vbi se primum offerret occasio, huiusmodi professio videtur nulla, & inualida, cum sit contra substantiam professionis, quæ consistit in perpetua obligatione paupertatis, castitatis,

Professio regularis consistit in perpetua obligatione.

& obedientiæ. *c. super eo, 9. cum sequent. de regul. c. monachum, & c. vidua, 20. quæst. 1. c. propositum & c. procliuis, 20. q. 3. Concil. Trident. de reform. c. 19. sess. 25.* Eo quod professio principaliter dependet à voluntate profitentis, eiusque libero arbitrio. *c. cum virum, 12. vbi glossa, c. vidua, 4. c. sicut tenor, 15. de regul. c. non est, 15. q. 1.* Et cum hæc volūtas non adsit, quando in actu professionis proponitur exire de Religione quandocunque posset, prout est in casu nostro. *cap. 1. §. Episcopi, de ijs, quæ vi metusque causa fiunt.* Ideo latoris professio præsumitur nulla, & inualida. Hoc autem intelligitur, quādo profitens habuit voluntatem, & intentionem non profitendi: si au-

si autem habuerit voluntatẽ, & intentionẽ profitendi quidem, sed professionem posteà non obseruandi, valet, & tenet professio, sed sic profitens peccat lethaliter.

Et deinde omnibus etiam sacris, &c. Si professio erat nulla, & inualida, duo reperiũtur in ista latoris promotione excessus: vnus est, quod promotus fuit absque litteris dimissorijs sui Ordinarij, videlicet Episcopi loci, originis, vel domicilij, vel beneficij, qui solummodo possunt concedere litteras dimissorias suis subditis, *d.c. cum nullus, 3. vbi glossa* in verbo, *oriundus, de tempor. ordin. in 6.* Superiores autem Religionum in professos tantũ habent huiusmodi iurisdictionem ordinariam. *c. super, 9. c. significatũ, 11. de regularib. c. ad aures, 5. de tempor. ordinat.* Ergò nõ professis nõ possunt cõcedere dimissorias ad ordines: ergo si lator nõ est verus professus, debebat promoueri cũ litteris dimissorijs sui Episcopi, & nõ Prælati Religionis, & aliter promotus, malè fuit promotus. *Concil. Trid. sess. 23. c. 8. de refor.* Alter excessus est, quod fuit promotus ad titulũ fictum suæ Religionis, cuius non est professus: titulus enim Religionis non suffragatur nõ professo: & ideò lator volens canonice promoueri ad sacros Ordines, debebat exhibere sufficiens patrimonium, vel beneficium, eodem modo, quo Clerici seculares tenẽtur exhibere, vt declarauit, & decreuit san. mem. Pius Quintus *per suam Constitutionem editã 12. Nouembr. 1568, quæ incipit, Romanus Pontifex sacrorũ Conciliorum auctor.*

Religio non habet ius in non professos.

Subreptitias litteras, &c. Litteræ subreptitiæ, vel obreptitiæ, sunt illæ, in quibus vel falsitas exprimitur, vel veritas tacetur. *c. super litteris, 20. vbi Panor. & DD. communiter, de rescript.* & quando falsitatis expressio, vel veritatis occultatio est de rebus, quæ si fuissent expressæ, vel tacitæ, Papa gratiam minimè cõcessisset, litteræ sunt inualidæ, nullius momenti, & impetrãti non suffragantur. *d. cap. super litteris, vbi glossa, & DD.* Prout esset in nostro casu, si latoris professio est valida, vt supra diximus: & propterea cũ dictæ litteræ subreptiæ sint, & inualidæ, non suffragabantur latori in foro exteriori ad probandam suæ professionis nullitatem: quia mendax precator carere debet penitus impetratis.

Litteræ subreptitiæ quãdo sunt inualidæ.

Septuagenarius, &c. Satis est, quod attingat septuagesimum

mum ætatis suæ annum: nam pauci dies, vel menses ætatis parũ conferunt ad corrobandã senectutem adeò grauem.

Et inhabilis, &c. Non multum est inuestigandum, an septuagenarius sit inhabilis ad Religionis onera ferenda, cum senectus ipsa sit morbus. Vide, quæ ad hoc fere propositũ dixi in Prima Parte huius Praxis de commutatione voti, pro quinquagenario, seu sexagenario.

Apostasia, &c. Hucusque lator remansit in seculo, & absque suo habitu regulari, inconsultis Superioribus, & ideò verè apostatauit, cùm Religiosus nequeat extra claustra, & sine habitu remanere absque suorum Superiorum licentia. *c. non est 2 obis, 7. c. porrectum, 13. vbi Panor. n. 7. & c. sicut nobis, 17. de regul.* Et ideò est ab apostasia absoluendus.

Pœnitentia salutari, &c. Pro premissorum excessuum pœnitentia imponerem latori aliquam ex prædictæ Religionis pœnitentijs, cõpetentem tamen suo statui, prout exequutor iudicauerit; vt lator illam toto suæ vitæ tẽpore peragens recordetur sublimitatis status, de quo temere, & ex propria culpa cecidit, & sic eum pœniteat, & summopere doleat; & eò magis quod citiùs quam forsan credit, est redditurus rationem Deo seueriorem: nam seni tam prouectæ ætatis, quid superest, nisi sepulchrum?

Et alijs de iure iniungendis, &c. Si lator dubitat, an sua professio sit valida, admonerẽ illum vt caute se gerat quoad votum paupertatis: nã præter nudum victum & vestitum, nihil aliud videtur ei permissum manenti in seculo: in quo statu licet paupertatis votũ perfecte adimpleri nequeat, attamen votum debet eo modo obseruari, quo potest, vt aliàs dixi in Prima parte huius Praxis in Formula transgressionis Voti Castitatis.

Occultum sit, &c. Litteræ pro restitutione in integrũ aduersus nullitatem professionis latoris, cum obtentæ à Sede Apostolica fuerint in forma commissaria, expeditæ, & remissæ ad loci Ordinarium; & coram eodem, & in præsentia Superioris suę Religionis, iuxta Decretum *S. Concil. Trid. sess. 25. c. 19. de refor.* deduxerit lator, & probauerit causas nullitatis suæ professionis, & secundum allegata & probata fuerit per eosdẽ prolata sentẽtia ad fauorem nullitatis profes-

fessionis, & adhuc huiusmodi sententia stet in suo robore, & vigore, nec sit contra illam reclamatum; facillime noster exequutor acquiescere potest latoris dicto, quòd sit occultū litteras prædictas esse subreptitias; nam sententiæ Iudicis statur, donec eius iniquitas detegatur. *c. sicut, 16. de sent. & re iudic. c. in præsentia, 6. de renunciat.*

Iudicis sententia statur, donec illius iniquitas detegatur.

In seculo in habitu presbyteri, &c. Per istā clausulā liberatur lator à claustris, à delatione etiam occulta habitus regularis, & ab obedientia regulari, & relinquitur sub correctione & obedientia Episcopi, sicut cæteri Clerici seculares.

PRO PRESBYTERO.

Qui quamdam Monialem in loco Parlatorij Monasterij carnaliter cognouit, & posteà in Altaris ministerio ministrauit; Litteræ, vt infrà conficiuntur.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Quod ipse aliàs Monialem in loco Parlatorij sui Monasterij sacrilegè stuprauit, & deinde prosequutus est suos ordines exercere, propter quæ censuras Ecclesiasticas incurrit, & irregularitatem contraxit. Cum autem, &c. lator prædictus de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat; suosque Ordines exercere licitè posse desideret, pro suæ conscientię quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. Quatenus si est ita, dictum latorem, audita prius eius sacramentali Confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, sacrilegij reatu, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. Iniuncta inde ei pro modo culpę graui pœnitentia salutari: quòdque ad prędictum & alia mulierum Monasteria de cætero nūquam accedat, & alijs, &c. Ipsoque ab exequutione suorum ordinum suspenso. Demum, dummodo præmissa occulta sint, cum eodem latore, pœniten-*

tia, vel illius parte peracta, & suffragantibus, &c. In forma, vt supra. Post clausulam verò, *In suis ordinibus etiam in Altaris ministerio ministrare*, addatur, *ac alia ad dictos ordines spectantia, preter quam quod ad audiendas Confessiones sacramentales, facere, & exercere licitè valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiæ, &c. Nullatenus suffragetur. Ipseque lator ad beneficia Ecclesiastica obtinenda inhabilis maneat. Datum, &c.*

In loco Parlatorij, &c. Lator præsentium, per *Constitutionem Pij Papæ V. quæ incipit: Decori, & honestati omniũ sanctimonialiũ, &c.* incidit in excommunicationẽ eo, quod recepit sanctimonialem egressam extra clausuram in loco Parlatorij: & forsan aliam incidit recõmunicationẽ per edictum Ordinarij loci fulminatam contra accedentes ad monialium Monasteria absque licentia, & cum eisdem loquẽtes: solent enim Ordinarij locorum huiusmodi excommunicationem fulminare, vt de huiusmodi consuetudine testatur *Panor. in c. monasteria, 8. de vita, & honest. cleric.*

Sacrilegij reatu, &c. Sacrilegium appellatur illud, per quod res, aut persona sacra læditur: & propterea dixit *Bald. in L. 3. C. de furtis*, appellari Sacrilegium quasi sacrilędium. Triplici ex causa lator præsentium commisit sacrilegium. Primò, quia tribus re- bus sacris violentiam intulit, & irreuerentiam: virginem Deo sacratam violauit. *c. impudicas. c. virginibus. c. sciendũ 27. q. 1.* Secundo, se etiam Deo iam dicatum per solemne castitatis Votum in sacrorum Ordinum susceptione emissũ adeo enormi impudicitiæ sorde deturpauit. Tertio, quia loco sacro, quale est Monasteriũ iniuriã fecit. *c. quisquis, 17. q. 4.*

Sacrilegium.

Iniuncta, &c. Noster exequutor in imponenda latori pœnitentia, recordetur, per sacros Canones clericum ob violatam sanctimonialem deponendum esse. *c. si quis Episcop. 27. q. 1. c. si quis sacerdos 30. q. 1.* Nec mirũ, cũ tria delicta cõcurrãt in violatione sanctimonialis, secũdũ *gl. in c. virginib. 27. q. 1.* videlicet incestus, quia illa est sponsa Dei Patris nostri. *c. qui abstulerit, 12. q. 2.* Adulteriũ, quia est spõsa alterius sacrilegium, quia violatur res sacra, & insuper recordetur pro sola attentata violatione antimonialis ab Imperatore sanci-

Tria delicta in violatione monialis.

sancitam perpetua lege capitalem pœnam. *l. si quis non dicã, 5. C. de Episc. & cleric.* Ideò ieiunijs in pane doloris, & aqua tristitiæ, non parcat, & nõ obliuiscatur aliarum corporis asperitatum, vt lator cognoscat ex ijs delicti a se perpetrati grauitatem. *c. si qua monacharum, 27. q. 1.*

Quodque ad prædictum, & alia, &c. Hæc prohibitio cum sacris Canonibus sit cõformis. *c. monasteria, 58. de vita, & honest. cleric.* non existimanda erit nimis onerosa à latore: & ideò si cõtra hanc venerit, grauiter peccabit.

Dictio, nunquam, est vniuersalis negatiua comprehendens omnem casum, & omne tempus.

Nunquam accedat, &c. Dictio, *nunquam* est vniuersalis negatiua comprehendens omnem casum, omnem locũ, & omne tempus. *l. prouidendum, 7. §. si quis verò, vbi glos. in verbo, nunquam. C. de postulando.* Ideò noster lator in quacunque mundi parte fuerit, ex quacunque occasione sibi oblata, & totò vitæ suæ tempore, non debet ad monasteria monialium accedere, nisi obligatio huiusmodi ei prius relaxata fuerit. Monasterij autem appellatione venit totum illud spatium, quod intra monasterij ambitum continetur.

Accedat, &c. Nõ propter hoc prohibetur latori trãsire per vicinales vias dicto Monasterio: nam sicut nõ dicitur quis ad aliquem locum venisse, si in eo non stetit. *l. posthumi, 12. ff. de iniusto rupto testamen.* Ita non dicitur ad locum prohibitum accedere, qui solummodo per vicinales vias transit, cum moraliter quis nõ dicatur esse in eo loco, per quem solummodo transit: & hoc velle M. P. nemo est qui dubitet, cùm hæc prohibitio solummodo fiat ad tollendas recidiuæ conuersationis occasiones proximas, quæ non ex transitu per vicinales vias, sed ex ingressu in claustrum Monasterij oriuntur.

Non dicitur venisse qui nõ stetit.

Ac alia ad d. Ordines, &c. Singulorũ Ordinum actus sũt multiplices. Subdiaconi est assistere in Sacrificio Missæ, epistolam cantare, pallas altaris, & corporalia abluere, calicem vacuũ cum patena Diacono in Missa solemni tradere, &c. Diaconi est in sacrificio Missæ sacerdoti panem, & vinum in vasis tradere, canere Euãgelium, Corpus Christi in pyxide seu custodia inclusum deferre. Sacerdotis est consecrare Corpus Christi, absoluere à peccatis, administrare Sacramenta, præter Cõ-

firmationem,& ordines,& celebrare diuina Officia; ideò M. P. postquam dixit, in suis Ordinibus, etiã in Altaris ministerio ministrare, superaddidit, & *alia ad dict. ordines spectãtia*: quibus verbis habilitatur lator ad omnes, & singulos prædictorũ ordinũ actus.

Dictio, præterquam, est exclusiua aliquorũ casuũ.

Præterquam, &c. Hæc dictio de sui natura excludit aliquos casus à dispositione, & illos relinquit sub eadẽ iuris dispositione, sub qua prius continebãtur. *l. prætor ait. 2. ff. ne quid in loco publico*: & cum hic latori concedatur dispensatio ad ordines exercendos, & alia ad illos spectãtia faciẽdum, præter quam ad sacramentales confessiones audiẽdas; excluditur ab huiusmodi dispensatione facultas audiẽdi sacramentales Cõfessiones: & sicut lator per cõtractã irregularitatem nõ poterat audire sacramentales Confessiones, ita nec post præsentem dispensationem poterit, quia M. P. limitat suã dispensationẽ ad omnes alios actus, præterquam ad sacramentales Cõfessiones audiendas; nec est nouum, quod clericus possit aliquorum ordinũ actus exercere, & alios non possit, vt videndũ est *in c. 2. de cler. agrot.* *min. & in c. significauit, 4. de corpore vitiatis.*

Ipseque lator ad beneficia, &c. Irregularis propter contractam irregularitatem, primò fit inhabilis ad ordines exercendos, & suscipiendos; Secundario fit incapax beneficiorum, quia beneficium datur propter officium: & cum irregularis non habeat vsum ordinis, propter quem dantur beneficia, est incapax beneficiorum, & huiusmodi incapacitatem latori M. P. subtrahere nolle per præsentem dispẽsationem, expressè protestatur, dum ei remittit inhabilitatem ad ordines: ideò lator remanet incapax beneficiorũ, sicut prius erat ante dispensationem; & de hac incapacitate exequutor expressè admoneat latorem.

Secus dicendum est de beneficijs ante contractam irregularitatem canonicè obtentis: hæc enim nemo dubitare rationabiliter potest, quod nõ possit retinere, cum fuerint iã canonicè collata, vt præsupponitur, nec illa dimittere tenetur ante sententiã Iudicis, immò ad illa retinenda habilitatur per dispensationem ad ordines, & solum relinquitur incapax ad alia beneficia in posterum obtinenda.

SV-

SVPER NATALIVM DEFECTV.

Pro Moniali illegitima, quæ fuit electa in Abbatissam sui Monasterij, petitur dispensatio ad retinendum officium huiusmodi. Litteræ conficiuntur, vt infra.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Quod ipsa aliàs in Abbatissam sui Monasterij electa fuit, ignorantibus suis Commonialibus ipsam natalium defectum ex soluto, & soluta genitam pati. Cum autem, &c. latrix prædicta dictum Abbatissæ officium, ad quod aliàs electa canonicè fuit, retinere licitè posse desideret, pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam secum desuper dispensari. Quare, &c. quatenus, si est ita, cum eadem latrice, audita prius eius sacramētali Confessione, dummodo natalium defectus huiusmodi sit occultus, & aliud canonicum non obstet, vt dicto natalium defectu non obstante, dictum Abbatissę officium retinere, gerere, & exercere licitè valeat, misericorditer dispenses in foro conscientię, &c. & non aliter, &c. Ita quod in foro iudiciario nullatenus suffragetur. Dat. &c.*

Monialis illegitima, &c. Illegitimus ille est, qui nascitur extra legitimum matrimonium, videlicet ex soluto, & soluta. *c. innotuit,* 20. *de elect.* nisi per subsequens matrimonium legitimetur. *cap. tanta est,* 6. *qui filij sint legitimi.* Insuper illegitimus est, qui ex adulterio nascitur; & hic nec per subsequens matrimonium legitimatur. *cap causam,* 4. & *c. tanta,* 6. *vbi Panor. num.* 2. *& alij. qui filij sint legitimi.* vt alias diximus.

Per ingressum Religionis non habilitatur ad officia, & ad prelationes suæ Religionis, sed solum ad ordines etiam sacros.

sacros. *c.1. de fil. Presbyterorũ.* Ideo latrix nostra non potuit eligi in Abbatissam, nec huius modi officium retinere valet, absque speciali dispensatione.

Abbatissa nõ habet prælationem.

Abbatissæ officium; *&c.* Abbatissa non habet prelationem ordinariam in Moniales, sed potius prælationem aliquam commissariam ad Moniales corrigẽdas, propter periculum cohabitationis virorum, vt dicit *S. Thomas in 4. dist. 25. q. 2. art. 1. q. 1. ad secũdum.* Mulier enim secundum Apostolum, est in statu subiectionis, & spiritualem iurisdictionem habere non potest, ideo non est illa in dignitate, sed in officio cõstituta; & propterea hic dicitur Abbatissæ officium, & non dignitas.

Audita prius, *&c.* Hic etiã præcedere necessariò debet sacramentalis Confessio: tum quia ita iubet M. P. tum etiam ob rationes superius à me allatas in formula dispensationis pro hæretici filio.

Aliud canonicum, *&c.* Videlicet, si fuerit aliàs legitimè, & secundum statuta Monasterij electa à maiori parte eligentium. Si sit professa, & virgo (quod tamen intelligẽdum de illis Monasterijs, & officijs, in quibus virgines tãtum admittuntur, & corruptę excluduntur. Si fuerit ab omni vinculo excommunicationis libera: excommunicata enim in Abbatissam eligi nequit. *c. vlt. de cleric. excomm. ministr.* Si non sit hæretici filia, vel nepos: nam filij, & nepotes hæretici sunt incapaces omnium dignitatum, & officiorum. *cap. 2. §. hæretici, & cap. statutum, 15. de hæreticis in 6. vbi glos. in verbo, primum, & secundum gradum*; nisi aliàs intra Monasterij claustra viros, absque licentia, vel ad malum finem introduxerit (hæc introductio inhabilitat, vt in præcedenti formula declarauimus) vel simoniacè, aut ad hęreticorum preces electionem huiusmodi obtinuerit: simoniacus enim eo ipso remanet priuatus prælatione, super qua committit simoniam. *c. de regularibus, 25. vbi Panor. & c. ex insinuatione, 26. de simon.* Eodem modo remanet quis priuatus obtentis ad hęreticorum preces. *c. 2. §. ad quoscunque, de hæretic. in 6.* Aut demũ aliud non perpetrauerit delictum, per quod inhabilis remanserit ad prælationes, & officia sui Monasterij. Si aliquo ex præcitatis vinculis latrix obstricta fuerit, præsentes litteræ illi non suffragantur: dictio enim *dummodo*, copulata cum *aliud canoni-*

nonicum non obstet, requirit, vt necessariò existat illud, cui adiungitur, vt dispositio possit habere suum effectũ. *Io. Andr. in cap. ex tuarum, 5. in verbo, dummodo, de auth. & vsu pallij. Decius cons. 326. n. 3. propè medium*. Et ideo de necessitate est, ad hoc, vt latrici præsentes litteræ suffragentur, quod nullo ex prædictis canonicis impedimentis detineatur.

Retinere, & exercere, &c. Quia prælationes possunt esse cum solo honore, & præeminentia, absque vllo ministerio; ideo, ne videatur latrici concedi nuda prælatiò absque ministerio, post verbum *retinere* ponitur, & aliud verbum, *exercere*, quod de sui natura importat ministeriũ, & actus, qui solent dictam prelationem consequi. Vide quæ ad hoc propositum dixi superius in formula pro Religioso, qui ignoranter omissis quatuor minoribus ordinibus, &c. in verbo, *exercere*, &c.

PRO PRESBYTERO,

Ob consilium datum ad accelerandam mortem quorundam vltimo supplicio afficiendorum. Litteræ vt infra.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Quod ipse aliàs cuidam Curiæ ministro consuluit accelerandam esse exequutionem capitalis pœnæ, ad quam nonnulli criminosi damnati erant, atque ita illi per aliquod tempus ante fuerunt vltimo supplicio affecti, & lator propterea irregularitatem contraxit. Cum autem, &c. lator prædictus de prẽmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, suosque ordines exercere, ac beneficia Ecclesiastica consequi licitè posse desideret, pro sua conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. dictum latorem, audita prius ipsius Sacramentali Confessione, à prẽmissis absoluas, hac vice, &c. iniuncta, &c. iniungenda. Ipsoque ab exequu-* tione

tione suorum ordinum suspenso. Demum, dummodo occultum sit latorem dedisse dictum consilium, cum eodem pænitentia, &c. Prout in formula pro Presbytero, qui Monialem, &c. Et post verba, *in Altaris ministerio ministrare,* ponatur, *& quæcumque beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura (inuicem tamen compatibilia) si quæ sibi in futurum aliàs canonicè conferantur, recipere, & retinere licitè valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiæ, &c. & non aliter, &c.* Prout in præcedenti formula.

Consuluit, &c. Consilium aliquãdo sumitur pro conclusione ex rationabili discursu ad aliquid faciendum, vel cuitandum electa. Aliquãdo pro ipso discursu: demum pro re ex discursu conclusa.

Consilio contrahitur irregularitas.

Consuluit, &c. Consilio accelerans alicuius mortem, incurrit irregularitatem. *c. sicut dignum, 6. §. qui vero de homicidio,* ex defectu lenitatis, quam habere debent Clerici. *c. suscepimus, 10. in fine, de homicidio*: & propterea illis prohibetur agitare causas sanguinis. *c. fin. ne clerici, vel monachi, &c. in 6.* Quod tamen intelligi debet, si accelerationis effectus sequatur, quia lex in pœnalibus opus consummatũ requirit. *c. fin. 15. q. 1.* & propterea ad incurrendam irregularitatem non sufficiunt conatus, & attentatio homicidij, sed necesse est, vt sequatur homicidium. *c. Presbyterum, 7. in fine, & c. finali de homicidio.*

In pœnalibus opus consummatum requiritur.

Si verò dubitatur, an ex cõsilio sit accelerata mors, consulens præsumitur irregularis. *c. ad audientiam, 12. & c. significasti, 18. §. quod si discerni, de homicidio.*

Et alijs de iure, &c. Considerare hic debet noster exequutor, an ex huiusmodi acceleratione sequutum sit aliquod aliud præiudicium speciale reo, vel eius familiæ: videlicet, an sublata defensio rei ob absentiam testium, vel Aduocatorum, qui expectabãtur, ex quorum depositione, & patrocinio facillimè ille liberandus fuisset: an subtracta spes suę liberationis ob nõ expectatũ Principis regressũ ad locũ, à quo ille facillimè reportaturus esset remissionem pœnæ, vel eius commutationem: an sequuta mors ob nõ expectatas pecunias, quibus cũ Fisco reus composuerat, & vitã redemerat,

rat,

rat, & ad hunc effectum illas congerendas mandauerat. Si est illatum aliquod præiudiciũ ex prædictis, vel ex similibus, lator tenetur satisfacere rei familiæ, vel hæredibus arbitrio boni viri: & propterea noster exequutor latori imponat huiusmodi satisfactionem, pensatis prius qualitate, & certitudine præiudicii; dubia enim, & incerta, modica egent compẽsatione. Insuper consideret exequutor, an consiliũ præstitum, fuerit fraudulentum, nec ne: nam si non fuit fraudulentum, ad nullam lator tenetur satisfactionẽ, quia consilij non fraudulenti nulla est obligatio. *l. consilij, 48. ff. de reg. iur. vbi Dec. c. nullus ex consilio, 62. de reg. iur. in 6.* Consilium enim non necessitat. *c. cum olim, 7. de arbitris, c. quod præcipitur, 14. q. 1.* & qui dat consiliũ, exhortatur tantum, & excitat liberã voluntatem. *c. fin. dist. 4.* qui autem recipit cõsilium, explorare apud se ipsum debet, an illud expediat sequi. *l. 2. §. fin. ff. mandat. Dec. loco cit.*

Consilium sine fraude nulla parit obligationem.

Reliqua prout in præcedẽti formula pro Presbytero, qui se existimãs legitimæ ætatis, &c.

PRO RELIGIOSO.

Qui infantem iam baptizatum rebaptizauit, non adhibitis solitis verbis, Litteræ conficiuntur, vt infra.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Quod ipse alias infantem ab obstetrice baptizatum iterum baptizauit, non adhibitis solitis verbis, & idcirco irregularitatem contraxit. Cum autem, &c. dictus lator de premissis plurimum doleat, suosque ordines exercere licitè posse desideret, pro sua conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. dictum latorem, audita prius ipsius sacramentali Confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter premissa quomodolibet incurrit, absoluas hac vice, iniuncta, &c. iniungenda. Ipsoque ab exequutione suorum ordinum suspenso. Demum, dummodo occultum sit, latorem ex premissis irregularitatem contraxisse, cum eodem, pœnitentia, &c.* Prout in præcedenti formula.


Iterum.

Iterum baptizauit, &c. Publicè rebaptizans iam baptizatum, contrahit irregularitatem. *argum. c. ex litterarum, 2. de apostatis.* Vbi Acolytus, qui Sacerdoti rebaptizāti ministerium præstitit, prohibetur promoueri absque dispensatione ad superiores ordines; ex quo multi DD. à fortiori inferunt, quod multo magis contrahit irregularitatem rebaptizans. Vide quæ in principio huius tertiæ Partis de irregularitate ex reiteratione baptismi diximus.

A quibusuis sententijs, &c. Hæc reiteratio sapit hæresim Anabaptistarum, Nouatianorum; & ideo ponitur hæc clausula absolutionis à quibusuis sententiis, &c.

Si verò lator reiterauit baptismum, pertinaciter credens posse licitè reiterari baptismū, & hanc suam pertinacem credulitatem tacuit in supplici libello M. Pœnitentiario porrecto, exequutor non prosequatur litterarum huiusmodi exequutionem, sed remittat latorem ad eundem M. Pœnitentiarium, vel ad Congregationem Sancti Officij pro absolutione, & dispensatione desuper obtinendis: nam tacuit excessum hæresis, quæ requirit indiuidualem specificationem, & non conceditur illius absolutio, nisi specialis concedatur facultas, & ideo litteræ sūt obreptitiæ, & nullæ.

Dummodo occultū sit, &c. Satis est ad validitatem huiusmodi gratiæ, vt ignoretur à scientibus dictam reiterationem baptismi, quod irregularitatem lator inde contraxerit. Duplici autem ex capite hæc inscientia exoriri potest. Primo, quia forsan illi nullam vnquam habuerint prædictæ irregularitatis notitiam. Secundò, quia licet aliàs sciuerint huiusmodi pœnam, attamen non tunc animaduerterint, nec modo animaduertāt latorem illam contraxisse ex dicta reiteratione baptismi: in nostro enim casu idem est ad effectum, de quo agitur, nescire, & non animaduertere, cum ex vtroque capite verificetur, quod occultum sit latorem irregularitatem huiusmodi contraxisse.



PRO

PRO PRESBYTERO,

Ob consilium datum ad committendum homicidium, qui dispensationem subreptitiè obtinuit. Litteræ vt infra conficiuntur.

FR. *Antonius Barberinus*, *&c. Quod ipse aliàs consuluit quoddam homicidium, & sequuto inde effectu obtinuit absolutionem, & dispensationem desuper, falsò exprimendo, vel tacendo, quod exprimere necesse erat. Cum autem, &c. lator prædictus de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, suosque ordines exercere licitè posse desideret, pro suæ conscientiæ quiete cupis per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. dictum latorem, audita prius ipsius Sacramentali Confessione, a quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. iniuncta, &c. Demum, dummodo occultum sit latorem dedisse dictum consilium, atque dispensationem sic obtentam propterea subreptionis, aut defectus intentionis concedentis, alioue vitio nullitatis subiacere, cum eodem, pœnitentia, vel illius parte peracta, ac suffragantibus, &c.* prout in præcedentibus formulis ab irregularitate.

A quibusuis sententijs, &c. Aliqui existimant ex *Bulla Pij Quinti, quæ incipit. Cum sicut accepimus, edita Anno 1566. die 5. Decembris,* Obtinentes litteras subreptitias, vel obreptitias, incurrere excommunicationis sententiam ipso facto. Sed meo iudicio illi gratis, & sine vllo fundamento hoc asserunt, quia prædicta Bulla solum verba facit de Procuratoribus, tam Officij Sacræ Pœnitentieriæ, quam Contradictarum, & de alijs

qui-

quibuscũque Solicitatoribus, ac Scriptoribus, quos Copistas vocant, qui veritatem facti a narratione, quam ab ipsis partibus habuerunt, in substãtialibus, & alijs qualitatibus necessario exprimendis diuersam faciunt, & immutant, & propterea contra istos procedi mandat tanquam falsarios; non autem loquitur de illis, qui ad sui fauorem litteras huiusmodi sic nulliter impetrant: & non sunt extendendæ pœnæ ad personas in Bulla non expressas, immo in nostro casu exclusas, vt colligitur ex ipsis Bullæ verbis, vbi dicitur *qui veritatem facti diuersam faciunt a narratione, quam ab ipsis partibus habuerunt.* Ex quibus verbis excluduntur principales oratores.

Iniungenda, &c. Aduertere hic debet exequutor, quod si lator in expeditione litterarum prædictæ suæ dispensationis, falso expressit se v.g. esse fratrem Scriptoris Apostolici, quibus gratis solent concedi Bullæ in Cancellaria Apostolica, atque ita gratis illas receperit, tenetur officialibus restituere totum, illud, quod soluendum erat, si fratrem Scriptoris se non finxisset, & hæc restitutio fieri debet singulis Officialium Cãcellariæ Collegijs, ad quos taxæ pertinebãt prædictarum litterarum. *Nauar lib. 5. Consil. cons. 10. quod incipit, Curialis, & solicitator, num. 6. de iniurijs, & damno dato.* Licet officiales tunc temporis, vel ad præsens, sint mortui, vel amplius non sint de Collegio.

Taxæ enim debentur ratione Collegiorum immediate, & idem manet collegium, licet personæ sint mutatæ, *arg. l. proponebatur, 76. ff. de Iudicijs.* *Taxæ debentur ratione Collegiorum.*

Sed hic etiam aduertere debet noster exequutor, duplicis generis esse taxas in Cancellaria. Aliquæ congeruntur in communi mensa cuiuslibet Collegij, & singulis de Collegio pro rata in fine mensis distribuuntur, & hę propriè appellantur taxę, ex eo, quod rata expensarum ad vnumquodque Collegium spectans taxatur. Aliæ vero taxæ debentur ipsis officialibus tantum, & appellantur Regalia, & soluuntur illis pro actuali sui officij exercitio, & præsentia in Cancellaria, videlicet, Rescribẽdario, vel Computatori, aut Defẽsoribus Collegij v.g. Scriptorum Apostolicorum. Huiusmodi secundo dictæ taxæ, seu regalia non debentur Collegijs, sed ipsis officialibus, & ideo ipsismet, seu eorum hæredibus sunt restituendæ. Nam istas solum *Taxarum duo genera.*

Iu-

lucrantur actualiter seruientes in officio, etiamsi non sint principales officiales, sed substituti illorum, vt per plures annos in Cancellaria Apostolica hoc fuisse obseruatum expertus sum.

Inualiditas gratia quando obliget ad restitutionem taxa.

Nec latorem, &c. Excusat a tali restitutione inualiditas gratiæ: nam taxa secundo modo accepta, est loco mercedis; & cum isti officiales iam suam operam impenderint, non sunt fraudandi sua mercede, & eo magis, quia non sunt complices culpę latoris, & propterea nec aliquam pœnam ex illa reportare debent.

Excusatur tamen a restitutione Componendę in Dataria, & ab aliis taxis primo modo acceptis, quando gratia est nulla, & inualida, nulla autem & non facta pari passu procedunt, cum nullum quod est, nihil sit *l. si se non obtulit, 4. §. condemnatum, ff. de re iudic.*

Occultum sit, &c. Duo hic necessario occulta insimul esse debere videntur, cōsilium videlicet, & subreptio gratię: nam copulantur hæc duo per dictionem, *atque*, quę de natura sua copulat. *l. in lege censoria, 203. §. final. ff. de verb. signific. l. idemque Iulianum, 46. §. illud ff. de actionib. empt. l. fundum cuius, 46. §. cum*

Dictio, atque copulat.

tibi, ff. de euictione. Et si alterū dictorum sit publicum, non suffragantur latori nostro pręsentes litterę, cum de natura dictionis copulatiuæ sit, vt omnia copulata adimpleātur. *l. si haredi plures, 5. ff. de conditionibus instit. c. 2. de rescript. cap. is qui, 19. de elect. in 6.*

Omnia copulata sūt adimplenda.

Sed non improbabile existimo, sufficere solū, quod subreptio prędicta sit occulta, videlicet, quod litterę dispensationis huiusmodi per prędictam subreptionem sint nullę & nullius momenti. Ad hoc credendum adducor ex eo, quod M. Pœnitentiarius solet absolutiones, & dispensationes in vtroque foro nulliter obtentas conualidare in foro conscientiæ, quando defectus nullitatis est occultus, vt videre est in secunda Parte nostrę huius Praxis, & hoc etiam obseruaui per plures annos, & ab aliis officialibus eiusdē S. Pœnitentiariæ fuisse obseruatum vidi. Consuetudo autem est optima legum interpres *c. cum dilectus, 8. de consuetud. l. minime, 23. l. si de interpretatione, 37. ff. de legibus* & quęlibet dispositio recipit interpretationem a consuetudine, vt bene notat *Surd. de alimentis tit. 1. quæst. 66. num. 4.*

Consuetudo est optima legū interpres.

Nec video, quę necessitas sit vt consilium sit occultum. Si hoc enim est occultum, cur di-

dispensatio fuit obtenta in foro fori: & si fuit obtenta in foro fori, quomodo remansit occultum. Si dispensatio fuit obtenta in foro secreto, quomodo consilium potest esse publicum, dum pro inualiditate dispensationis solum allegatur expressio falsi, vel taciturnitas qualitatis necessariò exprimendæ, & non potiùs allegetur defectus authoritatis dispensantis; cum in huiusmodi delicto publico, nec M. Pœnitentiarius, nec Ordinarij locorum habeant facultatem desuper necessariam.

Ad copulationẽ, super qua contraria sententia fundatur: respondeo dictionem copulatiuam non semper ita vnire copulata in dispositione, vt nõ possit in eadem dispositione vnum stare sine alio. Quando enim copulantur duæ diuersę orationes per se principaliter respectiuè ad vnam speciem, prout est in nostro casu, in quo, & consilium datum, & dispensationis subreptitiæ inualiditas copulantur per se principaliter respectiuè ad esse occultum; non est necessarius concursus vtriusque, sed in quolibet procedit dispositio. *l. lege Iulia, ff. de testibus.* *l. 1. ff. de his, qui notantur infamia. Bart. in l. si is quis ducenta,* 14. *§. vtrum, nu. 5. ff. de reb. dub. & Bald. in l. 1. in principio, ff. de iustitia, & iure,* ampliat hoc dictum asserendo, quod si in aliqua dispensatione dicatur dari centum Militibus, & Doctoribus, non propterea requiri, vt ad recipiendum ista centum, quis sit Miles, & Doctor; sed satis esse, vt sit, vel Miles, vel Doctor. Si ergo hoc habet locum in materia præiudiciali hæredi, multo magis in nostro casu, in quo de nullius prçiudicio agitur. Per istorum duorum copulationem videtur M. P. voluisse solummodo demonstrare, quod subreptio gratiæ debet esse occulta, ad hoc vt possit cum latore dispensari; & remanẽte subreptione occulta, cõsilium etiam remanebit occultum, quatenus impedimentum est, cum sub hac formalitate impedimenti præsumatur sublatum per præcedẽtem dispensationem, & sic non amplius extare, nec haberi pro impedimento, & propterea occultum.

In quolibet copulato procedit dispositio sine alterius occursu, quando principaliter per se copulantur ad vnam speciem.

Insuper consilium superadditum subreptioni, habet se hic solummodo demõstratiuè ad demonstrandum, super quo commissa fuit subreptio: ea verò, quæ superadduntur demostrationis causa, non vitiãt, si nõ sũt omnino vera. *l. Quintus Mutius,* 11. *ff. de auro, & argent. leg.* vbi testator reliquit vxori vestem purpuream, & insuper

Demõstrationis causa, quę ponuntur, non vitiant dispositionẽ, si non sunt omnino vera.

insuper addit, *quæ eius causa empta, parataue est.* Et licet, neque empta, neque parata, neque in vsum eius data fuerit; attamen legatum omninò valet. Idem in nostro casu posterior dispensatio non conceditur latori, nisi iam in foro fori dispensato, licet nulliter; & hoc, quia illius nullitas est occulta; non autem ob consilium publicum, ratione cuius nunquam M. P. cum illo dispensasset. Ideò *consilium*, hic se habet demõstratiuè; & licet sit publicum, non propterea potest inualidare secundam dispensationem, vt superius diximus.

Defectus intentionis, &c. Gratiæ dependent, & recipiũt vim, & totum suum esse ab intentione concedentis. *c. ad aures*, 8. *de rescrip.* & cum intentio deficit, gratia etiam deficit. *cap. super litteris*, 20. *de rescriptis.* Papa autem non intendit mendaci precatori prodesse. *d. cap. super litteris.* Ideo hic dicitur, propter defectum intentionis concedentis dispensationem nullitatis vitio subiacere, hoc est nullam, & inualidam esse.

Reliqua huius formulæ, vide in præcedentibus formulis.

ABSOLVTIO A BIGAMIA.

Pro Presbytero, qui licet dubitaret dispensationem à Bigamia à se obtentam, nullam esse, propter facultatem dispensantis; nihilominus illius vigore ad ordines promoueri se fecit, & in eis ministrauit. Litteræ vt infra.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quod ipse aliàs matrimonium cum muliere vidua contraxit, & successiue consummauit, & deinde volens Sacerdos fieri, obtenta ab Ordinario loci dispensatione in vtroque foro super Bigamiæ defectu, illius vigore ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus ordines promoueri se fecit; dubitans tamen dispensationem prędictam excedere facultatẽ, & authoritatem Ordinariorũ, & ideo nulliter secum fuiße dispensatum. Cum autem, &c.

 occultum

occultum sit, huiusmodi dispensationem propter defectum facultatis in dispensante esse inualidam, & lator de præmissis plurimum doleat, suosque ordines exercere licitè posse desideret; pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. dictum latorem, audita prius eius sacramentali Confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. iniuncta, &c. iniungẽda. Ipsoque ab exequutione suorum ordinum suspenso. Demum, dummodo occultum sit, dispensationem huiusmodi inualidam esse, cum eodem latore. &c. Prout in præcedenti formula.

Cum muliere vidua, &c. Hæc est bigamia interpretatiua. Vide quæ in principio huius tertiæ Partis dixi, dum egi de irregularitate proueniente ex bigamiæ defectu.

Obtenta ab Ordinario loci, &c. Ordinarij locorum non possunt dispensare cum bigamis veris, & interpretatiuis. *c. super eo, 2. vbi Panor. nu. 5. de bigamis, Concil. Trid. sess. 23. c. 17. in fine, de reform. glos. in c. 1. in verbo dispensatiue. Qui Clerici, vel vouentes.* Episcopi enim non possunt dispensare in iure communi: *cap. 1 de constit.* nisi in quantum facultas illis conceditur à Sede Apostolica.

In Bigamia verò similitudinaria, quãdo quis in sacris cõstitutus ordinibus cõtraxit de facto cum virgine, potest Episcopus dispensare, non autem Abbates, & alij inferiores Episcopis. *c. 1. qui clerici, vel vouentes*, quia illa prouenit ex delicto, & ideò super ea dispẽsare competit Episcopo, per *Concil. Trid. sess. 24. c. 6.* Et propterea cum latore fuit nulliter dispensatum, & male se promouere fecit ad ordines.

Occultum sit dispensationem huiusmodi inualidam esse, &c. Necesse est, vt aliàs diximus, istud esse occultum ad hoc, vt secunda dispensatio in foro cõscientiæ suffragetur: & propterea istud occultum ponitur pro conditione super addita dispositioni, & exequutioni præsentium litterarum; & si non adimpleatur, dispositio nullius erit roboris, & momenti.

menti. Facillimè quidem credi potest, inualiditatem huiusmodi dispensationis esse occultam, quia præsumitur iustè possidere, qui authoritate Iudicis possidet. *l. iustè possidet, 11. ff. de acquir. possess. Iason in l. clam possidere, 6. §. qui ad nundinas, nu. 20. ff. de acquir. possess.* Atque ita cum latore licitè fuisse dispensatum præsumitur ex eo, quod ab Ordinario suo accepit dispensationem; & hoc eo magis præsumendũ, si lator nullã desuper recipit molestiam in foro fori.

Iustè possidet qui authore Iudice possidet.

PRO RELIGIOSO,

Qui introduxit intra claustra sui Monasterij mulieres ad malum finem; Litteræ vt infra.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse aliàs introduxit intra sui Monasterij claustra mulieres ad inhonestos vsus, & idcircò censuras Ecclesiasticas incurrit, & suos ordines postea exercẽdo etiam irregularitatem contraxit. Cum autem lator prædictus de præmissis, quę occulta sunt, plurimum doleat, suosque ordines exercere licitè posse desideret, pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. quatenus si est ita, dictum latorem (audita prius eius sacramentali Confessione) à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. iniuncta, &c. iniungenda. Ipsoque ab exequutione suorum ordinum suspẽso. Demum, dummodo præmissa occulta sint (cum eodem latore) pœnitentia, vel illius parte, &c. & suffragantibus sibi pœnitentiæ fructibus, & meritis, alioque, &c. Prout in præcedenti formula: post verò clausulam, *nullatenus suffragentur,* addatur, *Ipseque lator officijs, & dignitatibus suæ Religionis, si qua ad præsens obtinet, priuatus, & ad illa, & alia in futurum obtinenda perpetuo inhabilis remaneat. Datum Romæ, &c.*

Introduxit, &c. Pius Quintus sāctæ memoriæ, per suam Constitutionem, quæ incipit, *Regularium personarum, editā die* 24. *Octobris*, 1566. reuocauit omnia priuilegia, & licētias cōcessas, quibuslibet mulieribus cuiusuis qualitatis, cōditionis, & præeminentię, intrandi Monasteria Religiosorū virorum, tam prætextu huiusmodi priuilegiorum, & licentiarum, quàm alias ob causas: & ingressū huiusmodi prohibuit sub pœna excommunicationis latæ sentētiæ, cuius absolutionem sibi, & Sedi Apostolicæ reseruauit. *Idem Pius, in alia Constitutione edita die* 16. *Iulij, anni* 1570. *ad intuitum, & fauorem Congregationis Montis Virginis, quæ incipit, Decet Romanum Pontificem, &c.* Quæ licet non fuerit publicata per solitos Cursores D. Papæ, attamen per stylum Curiæ, & S. P. vsum recepta fuit, & cōmuniter habetur, ac si fuisset publicata; & tāto magis, quia non est noua constitutio, sed solum est declaratoria primæ, & ideo nihil de nouo ponit, vel facit. *l. hæredes palam*, 2 1. *§. si quid post, ff. de testam. clem. exiui, §. harum declarationum, de verb. signific. glos. in c. per tuas*, 5. *verb. de nouo, de donat.*

Declaratio nihil ponit de nouo.

Præterea publicatio ad aliud non inseruit, nisi ad manifestādam legislatoris intentionem, ad hoc vt subditos liget: ergo parum interest, vt ab vno magis, quam ab alio officiali, & in vno loco magis, quam in alio intelligatur illius intentio; & lex satis est, vt publicetur. Hęc autē Constitutio non per vnum, sed per omnes Officiales D. Papæ fuit publicata, & sic ad praxim reducta, & continuò obseruatur; huiusmodi enim transgressores indifferenter absoluuntur: & quando absoluuntur, si introductio fuit ad inhonestos vsus, non eis remittuntur priuatio officiorum, & inhabilitas. Si verò fuit introductio ad alium finem, conceduntur retentio officiorum, & rehabilitatio ad alia. Stylus autem Curiæ magni faciendus est, quia facit ius. *c. quam graui*, 6. *& c. licet*, 5. *vbi Panor. de crim. falsi.* Insuper prohibuit Superioribus Monasteriorum, alijsque particularibus Religiosis, admittere, & introducere intra suorum Monasteriorum claustra mulieres, sub pœna suspēsionis à diuinis, priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa ipso facto incurrēda, prout in prædictis Constitutionibus. Præterea *Gregorius xiij. in sua Cōstitutione edita die* 15. *Iulij.* 1575. *quæ incipit, Vbi gratiæ, & indulta, &c.* idem prohibuit sub excommunicatione

ne latæ sententiæ, & priuatione officiorum, &c. ipso facto incurrendis; cuius absolutio quoad mulieres est reseruata Sedi Apostolicæ, quoad alios non videtur reseruata, quia quoad mulieres tantū de reseruatione verba facit cōstitutio.

Aduerte, cum in prædictis cōstitutionibus nulla fiat mētio de Reginis, Imperatrice, earumque filiabus; ipsas non comprehendi sub hac prohibitione, quia sunt speciali nota dignæ, & debent specialiter exprimi, vt intelligantur comprehensæ.

Censuras Ecclesiasticas, &c. Videlicet suspensionem à diuinis, quæ habetur in primo allegata Constitutione Pij V. & excommunicationem contentam in prædicta alia Constitutione Gregorij XIII. secundum Praxim, & communiorem sententiam.

Ipseque lator officijs, &c. priuatus, &c. In pœnam sui delicti lator spoliatur, & priuatur omni canonico iure, quod in officijs, seu dignitatibus, quæ aliàs legitimè consequutus fuerat, habebat; nec requiritur alia sententia spoliationis, & priuationis: retinet tamen naturalem possessionem, & vtile dominium, quod non tenetur à se abdicare ante declaratoriam saltem criminis commissi, quia huiusmodi pœnę ad sui consummationem requirunt saltem Iudicis declaratoriam. *cap. cum secundū, 19. de hæretic. in 6. l. eius qui delatorem, 29. vbi Bart. ff. de iure Fisci, glos. in c. fraternitas, verbo, cum augmento, 12. q. 2.* quam Doctores cōmuniter commendant, & pręcipuè *Panor. Felin. & Dec. in c. 1. de constitut. Couarruu. tomo 1. 2. part. c. 6. §. 8. n. 10. Molina de iustitia, tract. 2. disp. 96. & alij.* Et ideo ante huiusmodi declarationem nō obligant in foro conscientiæ.

Pœna priuationis bonorū non debetur ante sententiam.

Et ad illa, & alia, &c. Cum hæc inhabilitas apponatur cum præcedenti officiorū priuatione, quæ, vt supra diximus, requirit declaratoriam, ad hoc, vt locum habeat in foro conscientiæ; propterea ipsa etiam expectat huiusmodi declaratoriam. Ita *Couar. & Molina loc. cit.* adeo vt nec etiam Sacerdos huiusmodi pœnæ executionem exigere debeat à pœnitente, dum in foro conscientiæ iudicat, vt bene aduertit *Couar. loc. cit.* & consequēter nec noster exequutor à latore pręsentium prætendere eam debet.

Quid ergo hæc clausula in nostro casu operabitur, si non habet locum in foro conscientiæ, ante declaratoriam? Re-

ſpondetur, duas ob cauſas fuiſ-ſe appoſitam. Primo, vt lator certioretur, à præſentibus abſolutione, & diſpenſatione exclusam omninò eſſe rehabilitationem ſuam ad retinenda, & conſequenda officia, & dignitates. Secundò, vt ſequuta declaratoria, non poſſit tuta conſcientia illa retinere, & conſequi, ſi fortè cum Curia ſeculari ſe componat, vel ab illa toleretur; & multò minus illa procurare ante ſui rehabilitationem: nam ad priuationis, & inhabilitatis huiuſmodi ipſo facto incurſarum exequutionem, ſola declaratoria criminis ſufficit, vt ſupra diximus.

PRO RELIGIOSO.

Qui ante emiſſam profeſſionem, potiorem ſui patrimonij partem dedit ſuis conſanguineis hæreticis, nec non profeſsionem ante legitimam ætatem emiſit, & ordines ſuſcepit. Litteræ vt infra.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quod ipſe aliàs nondum ſuæ Religionis profeſſus, potiorem ſui patrimonij partem dedit quibuſdam ſuis conſanguineis hæreticis, vt eos adiuuaret; & poſtea ante vigeſimum primum ætatis ſuę annum profeſſionem à Religione, quam profeſſus eſt, requiſitam emiſit, nec non omnes etiam ſacros, & Presbyteratus ordines ſuſcepit, & in eis miniſtrauit, cenſuras Eccleſiaſticas propterea incurrendo, & irregularitatem contrahendo. Cùm autem, &c. lator prædictus de præmiſsis, quæ occulta ſunt, plurimum doleat, & in dicta Religione remanere, ac ſuos ordines exercere licitè poſſe deſideret, pro ſua conſcientiæ quiete cupit per Sedem Apoſtolicam abſolui, ſecumque deſuper diſpenſari. Quare, &c. quatenus ſi eſt ita, bonumque teſtimonium de latore ab eius Superioribus, oneratis ſuper hoc eorum conſcientijs, afferri tu repereris, eundem latorem, audita prius eius ſacramentali Confeſſione, ab excom-

munica-

municationis, alijsque sententijs, censuris, & penis Ecclesiasticis, quas propter præstitum Hæreticis auxilium, & fauorem huiusmodi incurrit, & excessibus huiusmodi; dummodo ipse hæretice non senserit de fide; absoluas hac vice, &c. iniuncta, &c. iniungenda. Ipsoque ab exequutione suorum ordinum suspenso. Demum, dummodo præmissa occulta sint, & lator Professionem coram te de nouo emiserit, cum eodem, penitentia, vel illius parte peracta, ac suffragantibus, &c. Reliqua prout in præcedenti formula pro Religioso, qui ministrauit in ordine Presbyteratus non suscepto.

Nondũ sua Religionis, &c. Nouitius ante emissam professionem retinet dominium suorum bonorum. *cap. beneficium, 4. de regul. in 6. Concil. Trident. cap. 16. sess. 25. de reformat.* cum non sit adhuc religiosus, nec censeri cum effectu possit ante tacitam, vel expressam professionem ab eo emissam. *c. Religioso, 2 1. §. fin. de sent. excommun. in 6.* & ideo de bonis suis tempore nouitiatus, per duos menses videlicet ante emittendam professionem, disponere potest ad libitum, iuxta *Concil. Trid. loco cit.*

Nouitius retinet dominiũ suorum bonorum.

Potiorem sui patrimonij, &c. Hæreticis etiam consanguineis, nihil de bonis corporalibus dandum, vel relinquendum est. *cap. in eos, 6. de hæret.* excepto tamen necessitatis tempore, vt notant *glossa, & DD. in d. cap. in eos, verbo, nihil conferant, & Panorm. in cap. si quis, 5. num. 3. eod. tit.* necessitas enim facit licitum, quod de iure non est licitum. *cap. quod non est licitum, 4 de reg. iur.* cum necessitas non subiaceat legi. *l. tutor, qui repertorium, 8. ff. de administrat. tutor. l. vt gradatim, 11. §. quoties, ff. de muner. & honor. cap. licet, 3. de ferijs, c. quanto, 4. in fin. de consuet. cap. exijt, 3. de verb. significat. in 6.* & qui dant, vel relinquũt, sunt ipso facto excommunicati, vt auxilium, & fauorem præstantes. *cap. nouerint, 49. de sent. excommunic. cap. excommunicamus, 13. §. credentes de Hæreticis. Bulla in Cæna Domini in principio.* Si enim qui mutuant pecuniam, & ci-

Hæreticis etiã consanguineis nihil dãdum.

Necessitas facit licitum, quod est illicitum.

dicuntur præstare auxilium, & fauorem, *Bart. in l. cuiusque dolo,4. ff. ad leg. Iul. maiestatis, num. 2.* ergo multo magis qui donant, & hæredem instituunt.

Hoc habet locum, siue sit hæreticus publicus, siue occultus: nam prohibitio huiusmodi fit in odium hęresis simpliciter, & in fauorem fidei: & ideo hæresis, tam publica quam secreta, est detestanda, & non fouenda, & satis est, vt sciatur illum esse hæreticum.

Ad incurrendam autem huiusmodi excommunicationem requiritur, vt præstetur fauor hæretico, vt hæreticus est, & ex motiuo hæresis, non autem ex motiuo amicitiæ, seu consanguinitatis, vel vt amico, vel consanguineo. *arg. l. 2. ff. de receptatoribus*, vbi decernitur, quod non sit eadem pœna puniendus, qui occultat latronem extraneum, & qui occultat latronem consanguineum, cum hunc consanguinitas excuset, & liberet à pœna ordinaria. *& l. 1. ff. ad l. Iuliam repetundarum*: Vbi prohibitio facta Magistratibus, alijsque officialibus publicis, de non accipiendis pecunijs sub pœna dupli, non comprehendit pecunias, quæ accipiũtur à consanguineis, & propinquis, quos præsumitur affectione propinquitatis, & agnationis, pecunias largitos esse, non autem intuitu reddẽdi sibi beneuolos Magistratus, & officiales, & consequenter eorum animos, & officio iusto, & legum dispositionibus, subtrahendi muneribus ad sui fauorem. Eodem modo dicendum est in nostro casu, quod affectio propinquitatis, vel amicitiæ, impulerit ad fauorem, & auxilium præstandum, non autem affectio hæresis; & sic finis prohibitionis, in propinquo, & amico locum non habeat, ac consequenter nec eius pœna, quia legis pœna semper sequitur finem legis. Et legum interpretatione potius sunt pœnæ molliendæ, quam exaspe randæ. *c. pœnæ, de pœnit. dist. 1.*

Ideo quando fauor, vel auxilium præstatur hæretico, nõ vt hæreticus est, sed vt propinquus, vel amicus, non incurritur talis excommunicatio. *Nauar. in sum. c. 27. n. 56. Tol. in sum. lib. 1. c. 19. num. 6. & alij.*

Ante vigesimum primũ, &c. Professio emissa ante tẽpus præscriptum in Constitutionibus Religionis, quamquis profitetur, est nulla. *c. 1. de regularib.* si tamen Constitutiones prohibeant sub pœna nullitatis, quod ante præscriptum

scriptum tempus professio nō emittatur. Si autem hæc pœna non apponatur, & professio emittatur post decimum sextum ætatis suæ annum expletum, professio tenet, & est valida, argumento *c. ad Apostolicam*, *16. de Regular.* quia præsumitur Superiorem, qui recepit illius professionem, dispensasse super ætate, & profitentem renunciasse constitutioni ad sui fauorem disponenti, & tam Superiorem, quam profitentem se cōformasse *Concilio Tridentino, capit. 15. de reformation. sess. 25.* vbi statuitur, in quacunque Religione fieri professionem post decimum sextum ætatis annum expletum. Et ita censuit aliàs *S. Congreg. Concil. Trident.*

Nec non omnes, &c. Stante nullitate professionis, lator male est promotus ad ordines cum dimissoriis Superioris Religionis, & ad titulum ipsius Religionis; vt in præcedenti formula diximus pro Oratore, qui in adolescentia Religionem Ordinis Fratrum N. &c.

Dummodo ipse hæretice, &c. Cum dictio *dummodo* requirat, vt de necessitate existat illud cui adiungitur, *Io. Andr. in cap. ex tuarum, 5. in verbo, dummodo, de auctor. & vsu Palij. Decius cons. 326. num. 3. tom. 1. & alij a me supra allegati*; necesse est, vt lator pertinaciter non crediderit contra dogmata fidei Catholicæ, vel pertinaciter de illis non dubitauerit, vt supra diximus. Si pertinaciter credidit contra Fidem Catholicam, vel de ea pertinaciter dubitauit, præsentes litteræ nihil suffragantur.

Dictio dummodo necessitat existere illud, cui adiungitur.

Iniuncta, &c. Psalmos Pœnitentiales latori imponerem, nam vterque excessus est condonabilis, & excusabilis, ex rationibus a me supra adductis.

Demum, dummodo lator professionem, &c. Si professio nulliter fuit emissa; neque tacita, ex eo quod lator non se immiscuerit in rebus Professorum, locum habeat; de nouo emittenda omnino est in manibus nostri exequutoris: nam professio perficitur consensu, tam acceptantis, quam profitentis. *cap. 2. S. fin. & cap. beneficium, 4. de Regularibus in sexto.* Et ideo mandat M. Pœnitentiarius eam a latore emitti in manibus nostri exequutoris, qui auctoritate Sedis Apostolicæ sibi per Maiorem Pœnitētiarium dele-

Professio perficitur consensu profitentis, & acceptantis.

ABSOLVTIO A SIMONIA.

Pro Laico patrono, qui præsentauit ad quoddam beneficium, præuia conuentione cum præsentato inita de percipienda aliqua parte fructuum dicti beneficij, & modo petit absolui, &c. Litteræ vt infrà conficiuntur.

FR. Antonius Barberinus, &c. Pro parte viri laici nobis expositum fuit, quod ipse aliàs, cùm haberet ius præsentandi ad quoddam beneficium Ecclesiasticum, conuenit cum quodam Sacerdote, vt si eum ad illud præsentaret, aliquam fructuum partem percipere posset. Et cum dictus Sacerdos ad latoris præsentationem assequutus fuisset dictum beneficium, lator per aliquod tempus percepit partem fructuum illius, censuras Ecclesiasticas propterea incurrendo. Cùm autem lator prædictus de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, dictoque Patronatus Iure vti posse cũ beneficiũ vacare cõtigerit, desideret, pro sua conscientia quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari, ac sibi fructus hactenus perceptos, quos propter paupertatem restituere nequit, condonari. Quare, &c. Quatenus, si est ita, dictum latorem, audita prius ipsius sacramentali Confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, Simoniæ labe, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. Iniuncta inde ei pro modo culpæ pœnitentia salutari: quodque dictum Sacerdotem, & alios, si qui sunt, in præmissis culpabiles, quantum potest moneat, & inducat ad impetrandã à Sede Apostolica absolutionẽ, & alijs, &c.

Inin-

Iniungen. Sibique fructus indebite perceptos, facta aliqua eleemosyna, arbitrio tuo remittas, & condones: & quod occurrente beneficij eiusdem vacatione, & etiam hac vice, post dicti Sacerdotis dimissionem, liceat latori, si Ius Patronatus, & præsentandi ad ipsum beneficium, dum pro tempore vacat, ad ipsum latorem alioqui legitimè pertinet, personam idoneam ad illud licitè præsentare, misericorditer indulgeas in foro conscientię, & in ipso actu sacramentalis confessionis tantum, & non aliter, neque vllo alio modo. Ita quod huiusmodi absolutio, dispensatio & condonatio latori in foro iudiciario nullatenus suffragentur, & præsentes litteræ lanientur, ita vt nullum illorum exemplum extet. Datum, &c.

Ius præsentandi, est gratiosum.

Ius præsentandi, &c. Id est, facultas pręsentandi, quæ facultas est ius gratiosum. quia ex gratia competit. *c. si quis Episcoporum 16. quæst. 5. c. quoniam, 3. de iure patron. vbi Panorm. num. 2.* Patrono enim laico permittitur, vt intra quatuor menses à die vacationis beneficij possit præsentare: Immo à die habitæ notitię vacationis huiusmodi. *argum. c. licet, 3. de supplen. negligen. Pręlatorum, vbi glossa in verb. notitia, & cap. quia diuersitatē, 5. §. mandamus, de concess. prębend. Panor. in cap. cum propter, 27. num. 3. de iure patron. Felin. cons. 124. Io. Andr. in c. 2. de supplend. negligent. Pręlat.* ne quis sine culpa puniatur: nemo enim sinę culpa puniri debet. *l. sancimus, 22. C. de pœnis*; sed patrono Ecclesiastico, vt intra sex menses possit personam idoneam præsentare ad vacantem Ecclesiam, conceditur. *d. cap. cum propter, c. eam te, 22. de iure patronatus. c. vnico eodem tit. in 6.*

Tempus præsentandi à die notitia incipit.

Ius patronatus acquiritur ex fundatione simul cum dotatione, vel ex dotatione seorsim sumpta: nam fundatio absque dotis actuali assignatione, nihil confert: immo nec Ecclesia fundari, nec ædificari debet, nisi prius facta sufficiētis dotis actuali assignatione, & donatione, *c. nemo Ecclesiā, de consecr. dist. 1. c. cum sicut, 8. vbi glossa, in principio, de consecr. §. sancimus il primo, Auth. vt nullus fabricet Oratorij domos.*

Ecclesia sine dote non fundanda.

Con-

Conuenit, *&c.* Pro spiritualibus obtinẽdis omnis pactio, omnisque conuentio de re temporali cessare debet, *c. cum pridem*, 4. *& c. pactiones*, *vbi glossa in verb. cessare*, *de pactis cap. tua*, 34. *de simonia*, *cap. quæsitum*, 5. *§. generaliter*, *de rerum permutatione*. Potest tamen intercedere aliqua pactio de re spirituali pro publico commodo. *cap. significatum*, 11. *de praben. & dignit.*

Patroni beneficiorum non possunt eorum bona administrare.

Aliquã fructuum partẽ, *&c.* Patroni beneficiorum nõ possunt illorum bona administrare. *cap. præterea*, 4. *de iure patron. Concil. Triden. cap. 9. sess. 25. de reformat.* vel aliquid ab eis temporale exigere. *cap. præterea*, 23. *eod. tit. cap. vnico, vt Eccles. benef. sine dimin. conced.* Nisi quãdo vergunt ad inopiam, tunc enim ab Ecclesia illis modestè succurritur, habito respectu ad facultates Ecclesiæ, & qualitatem personæ. *c. nobis fuit*, 25. *vbi glossa in verb. modeste*, *de iure patron. c. quicunque fidelium*, 16. *q.* 7.

Et propterea lator præsentium de sua præsentatione nihil potuit commodi à presentato prætendere: & quia pactũ de percipienda aliqua fructuũ portione inijt cum præsentãdo, ideò simoniacus est. *c. præterea*, 9. *de transactionib. Panor. in c. ex insinuatione*, 14. *n.* 9. *de iure patron.*

Percepit, *&c.* Hæc perceptio est omnino illicita, vt supra diximus, & prohibita sub pœna excommunicationis, & priuationis ipsius iuris patronatus ipso facto incurrenda. *extrauag. cum detestabile*, *de simonia. Concil. Constantien. & Concil. Trid. c. 9. sess. 25. de reform.* & ideò noster hic lator vtramque pœnam contraxit.

Condonari, *&c.* Tenetur lator fructus prædictos omninò restituere Ecclesiæ læsæ, quia indebite, & simoniace illos accepit, & propterea nõ fecit suos etiã in foro cõscientiæ. *c. de hoc*, 11. *§. Regem autẽ*. *& c. audiuimus*, 41. *§. fin. de simonia. cap. si quis dator*, 1. *q.* 3. *extrauag. cum detestabile*, *§. per electionem*, *de simonia*.

Dixi, restitutionẽ faciendã esse prædictę Ecclesiæ læsæ, id est, conuertendam in illius vtilitatem, videlicet in fabricam; non autem ipsi præsentato, quia dicti fructus in Ecclesiæ ignominiam dati fuerunt, & ideò illi applicandi. *dict. auth. pro hac*, *C. de Episcop. & cleric.* & dicit *S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. in fin. & not. Panorm. in d. c. de hoc*, *de simonia*, *num.* 11.

Præ-

Præsentatus per simoniæ crimen, eo ipso, beneficio, & eius redditibus priuatus remãsit. *c. Matthaeus, 23. vbi glos. in verb. consulis. & cap. consulere, 38. de simonia. c. si quis Episcopus, 1. q. 1. & per Concilia supracit. Felin. in c. in nostra, de rescript. n. 13. Rebuf. in prax. benef. de simonia in resign. n. 7.* & ad illud, & alia in futurum obtinenda inhabilis remansit, *per Cōstitutionem Pij Quinti, quæ incipit, Cum primum, edita Kal. Aprilis* 1566.

Si vero restitutio huiusmodi cederet secundariò in cōmodum præsentati, existimo restitutionem faciendam pauperibus eiusdem Ecclesiæ: nam bona Ecclesiæ quodammodo ad illos spectant.

Nec est facienda ipsi præsentato, quia hic per suã præsentationem nullum ad beneficium, & in beneficio acquisiuit ius, vt supra diximus, & ideò nullum habet ius, vt illi restituantur prædicti fructus, & idcircò non sunt illi restituendi. Insuper indignum se reddidit, & inhabilem ad prædictum beneficiũ per præsentationem huiusmodi simoniacam obtentum, & ad idem canonicè obtinendum. *c. penult. de elect. c. de regularibus, 25. de simonia, & per dictam Constitutionem Pij Quinti, §. 8.* & consequenter indignum se reddidit, vt fructus prædicti sibi restituantur; ergo nō debēt illi restitui, sed ipsi Ecclesiæ, vel eiusdem pauperibus.

A quibusuis sentētijs, &c. videlicet tot excommunicationibus in sacris Canonibus, & Concilijs, & dicta Constitutione Pij V. contentis.

Pœnæ simoniacorũ sunt, Infamia. *c. fin. 1. q. 3. c. si quis Episcopus, 1. q. 1.* Inhabilitas ad beneficia cōferenda, & obtinenda, & obligatio ad fructus restituendos, & alia prout *in Constitutione Pij V. & in extrauag. cũ detestabile supracit.* *Pœna simoniacorum.*

Simoniæ labe, &c. Io. Andr. in c. tanta, 7. nu. 1. de simonia ait, simoniã appellari labem, quia multi in eam labuntur: sed potius mihi videtur dici labes, quia efficit, vt multi facillime labãtur ambiendo dignitates & magnos redditus, & est crimen enorme. *c. sanè, 15. q. 3. l. si quemquam, 29. C. de Episc. & cler.*

Et omnia crimina in illius comparatione quasi pro nihilo reputantur. *c. vltim. 1. q. 7.* quia specialiter committitur circa res, quæ sunt Deo deputatæ & dicatæ, scilicet, dignitates, Sacramenta, & officia Ecclesiastica; immò & ipsum Deum tanquã seruum tractat vendēdo, & emendo. *c. eos, 17. q. 4. Turrecrem. in c. ult. 1. q. 7.* *Simonia crimẽ enormius.*

In-

Iniuncta, &c. Pro simoniæ crimine nulla certa pœnitentia inducitur. *cap. requiritis*, 1. *q*. 7. nisi quod vsque ad mortem simoniacus aspere pœniteat, vt bene aduertit *glossa in d. cap. vlt. in verbo, reputantur*.

Aduerbium aspere, importat priuationem suauitatis.

Nota illud aduerbium, *aspere*, quod significat rem omni ex parte insuauem sensui: & propterea simoniaco imponenda est pœnitentia, quæ illum veluti spina e lethargo excitet, vt sic compellatur suum cognoscere scelus. Ad hoc per opportunum esset ieiunium; Ecclesiarum inter se multum loco distantium frequens visitatio; cilicijs, & flagellis frequens corporis castigatio; frequens recitatio Psalmorum pœnitentialium; necnon Missæ sacrificio, & horis Canonicis frequẽter interesse; vt huiusmodi obsequio, & reuerentia compenset irreuerẽtiam & iniuriam Deo, & rebus sacris prius illatas. Eandem ob causam simoniaco imponerem frequentiam Sacramentorum Pœnitentię, & Eucharistiæ.

Quodque dictum Sacerdotem, &c. Per dictam extrauagantem, *Cum detestabile*, olim scientes aliquem commisisse crimen simoniæ, tenebantur illum Sedi Apostolicæ reuelare, nec poterant ante huiusmodi reuelationẽ absolui, sub pœna etiam excommunicationis, vt aliqui DD. existimarunt. Sed hodie cum non sit in vsu hæc obligatio, *Nauarr. cap.* 27. *nu.* 106. §. 21. Maior Pœnitentiarius loco dictę reuelationis imponit, vt simoniacus admoneat cõplices, & inducat ad impetrandum a Sede Apostolica absolutionem.

Quantum potest, &c. Id est, quod potest: idem enim importat clausula, *quod potest*, ac *quantum potest*. Illud autem quis dicitur posse, quod licitè, & commodè tantum facere potest. *cap. faciat, vbi glossa in verbo, quod potest*, 22. *quæst.* 2. *cap. sciscitatus* 13. *vbi glossa in verbo, impedimento, de rescriptis. l. nepos Proculo*, 125. *ff. de verb. signific.*

Dictio, quantum potest, quid importet.

Nec intelligitur totum illud, quod licite, & commode facere quis potest, sed solum illud, quod quis de iure facere potest. *arg. c. tum ex litteris*, 5. *in fine, de in integr. restitution. cap. cum dilecti*, 6. *de dolo*, & *contum. cap. causam quæ*, 18. *de rescript.* vbi Summus Pontif. semper quando ponit clausulam *quantum potest*, vel *possumus*, subiungit subsequens verbum, *de iure*. Quid autem no-

Obligatio aliquod faciendi quid inducat.

noster lator de iure teneatur facere, ex infra dicendis apparebit.

Monitio, & inductio ad aliquid faciendum excludit coactionem, et strepitum iudiciarium.

Moneat, & inducat, &c. Hæc duo excludunt omnem actum, & strepitum iudiciarium, necnon omnem coactionem. *cap. ex tua*, 20. *vbi Panorm. de simonia*, & solum admittunt familiarem, & secretam admonitionem de illicitis pactionibus super beneficio initis; de pœnis incursis; de illicitis, & nullis præsentatione, ac beneficij consequutione, & retentione; de obligatione dimittendi beneficiũ, & procurandi animæ suę salutem; de necessitate obtinendi desuper absolutionem, & dispensationem a Sede Apostolica, & alijs similibus; & de his lator in pręmissis culpabiles admonere debet, eosque non per iocum, & frigidè, sed serio, & studiose hortari ad procurandam absolutionem, & dimittendum beneficium, vel ad dispensationem desuper necessariam petendam; & præmissis huiusmodi monitione, & hortatione ad aliud peragendum non tenetur.

Et quod occurrente, &c. Amittit priuilegia, qui illis abutitur. *cap. tuarum*, 11. *vbi Decius num.* 31. *& cap. vt priuilegia*, 23. *de priuil. l. Iudæos*, 10. *C. de Iudæis. auth. qua in Prouincia, C. vbi de crimin. agi oportet.* Cum quis puniendus sit in eo, in quo deliquit. *c. qua fronte*, 25. *de appellat.* Ideo noster lator per præsentationem simoniacam amisit suum ius præsentandi, & totum ius patronatus. *cap. quia Clerici*, 6. *de iure patronat. vbi DD.* iuxta præfatas constitutiones, & Cõcilia: per hanc autem clausulam reintegrandus est.

Dictio etiam ampliat dispositionem.

Etiam hac vice, &c. Hæc dictio, *etiam*, est ampliatiua, & extensiua ad casum de quo dubitari posset, an veniret in dispositione. *cap. vnico, de commodato, l. etiam*, 59. *ff. de verb. signif.*

Et quia dubitari poterat, an in generali dispensatione de fruendo iure patronatus, vt prius, veniret reintegratio quoad primam vacationem, cũ Patronus pręsentans scienter indignum, secundũ aliquos Doctores remaneat priuatus iure præsentandi pro prima vice, per *cap. cum vos*, 3. *de officio ordinarij*. *Lambertinus de iure patron. parte* 1. *secundi lib. art.* 8. *quæst.* 6. *num.* 3. *cum sequen.* & eo magis, quia verba illa præcedentia, *occurrente vacatione*, videntur excludere primam vicem, cum loquantur de futura vacatione, non

non autem de præsenti vacatione ob simoniam super præsentatione initam, quæ effecit vt beneficium super quo vacet; ideo per præsentem clausulam specifice includitur prima, & præsens beneficij vacatio, quatenus præsentatus non obtineat a Sede Apostolica beneficij prædicti canonicam retentionem.

Indulgere *importat concessionem, & dispensationē.*

Misericorditer indulgeas, etc. Id est, ex misericordia concedas, indulgere enim est idem, ac concedere. *cap. a nobis, 28. §. vt autem, de sent. excommun. cap. preterea, 2. & cap. vltimo in fine de dilation.* vel ex misericordia dispenses, quia indulgere importat etiam dispensationem, *Paris. cons. 1. nu. 64. vol. 4.* Reliqua huiusmodi formulæ aliàs fuerunt dilucidata in hac eadem Praxis nostræ Parte.

PRO PRESBYTERO,

Qui mediante quadam pecuniæ summa per quendam Laicum procurauit ad quoddam beneficium præsentari, illoque assequuto, suos Ordines exercuit, fructus tamen non percepit: & vterque petit absolui, &c. Litteræ solent, vt infra confici.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse Laicus aliàs præsentauit ad beneficium de iurepatronatus suæ familiæ prædictum Presbyterum, mediante quadam pecunia summa ab eo ad hunc effectum recepta; et idcirco vterque incidit in censuras Ecclesiasticas; et ipse Presbyter suos ordines postea exercendo etiam irregularitatem contraxit. Cum autem, &c. prædicti Oratores de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleant, et ipse Presbyter dictum beneficium aliàs canonice a se obtentum, ex quo adhuc nullos fructus percepit, & quod absque scandalo dimittere nequit, licite retinere, suosque ordines exercere posse desideret, pro suæ conscientiæ quiete ambo cupiunt per Sedem Apostolicam absolui, sicumque desuper respectiue dispensari. Quare, &c. quatenus si*

dicuntur præstare auxilium, & fauorem, *Bart. in l. cuiusque dolo, 4. ff. ad leg. Iul. maiestatis, num. 2.* ergo multo magis qui donant, & hæredem instituunt.

Hoc habet locum, siue sit hæreticus publicus, siue occultus: nam prohibitio huiusmodi fit in odium hęresis simpliciter, & in fauorem fidei: & ideo hæresis, tam publica quam secreta, est detestanda, & non fouenda, & satis est, vt sciatur illum esse hæreticum.

Ad incurrendam autem huiusmodi excommunicationem requiritur, vt præstetur fauor hæretico, vt hæreticus est, & ex motiuo hæresis, non autem ex motiuo amicitiæ, seu consanguinitatis, vel vt amico, vel consanguineo. *arg. l. 2. ff. de receptatoribus*, vbi decernitur, quod non sit eadem pœna puniendus, qui occultat latronem extraneum, & qui occultat latronem consanguineum, cum hunc consanguinitas excuset, & liberet à pœna ordinaria. *& l. 1. ff. ad l. Iuliam repetundarum*: Vbi prohibitio facta Magistratibus, alijsque officialibus publicis, de non accipiendis pecunijs sub pœna dupli, non comprehendit pecunias, quæ accipiũtur à consanguineis, & propinquis, quos præsumitur affectione propinquitatis, & agnationis, pecunias largitos esse, non autem intuitu reddēdi sibi beneuolos Magistratus, & officiales, & consequenter eorum animos, & officio iusto, & legum dispositionibus, subtrahendi muneribus ad sui fauorem. Eodem modo dicendum est in nostro casu, quod affectio propinquitatis, vel amicitiæ, impulerit ad fauorem, & auxilium præstandum, non autem affectio hæresis; & sic finis prohibitionis, in propinquo, & amico locum non habeat, ac consequenter nec eius pœna, quia legis pœna semper sequitur finem legis. Et legum interpretatione potius sunt pœnæ molliendæ, quam exasperandæ. *c. pœnæ, de pœnit. dist. 1.*

Ideo quando fauor, vel auxilium præstatur hæretico, nō vt hæreticus est, sed vt propinquus, vel amicus, non incurritur talis excommunicatio. *Nauar. in sum. c. 27. n. 56. Tol. in sum. lib. 1. c. 19. num. 6. & alij.*

Ante vigesimum primũ, &c. Professio emissa ante tēpus præscriptum in Constitutionibus Religionis, quamquis profitetur, est nulla. *c. 1. de regularib.* si tamen Constitutiones prohibeant sub pœna nullitatis, quod ante præ-

scriptum

scriptum tempus professio nõ emittatur. Si autem hæc pœna non apponatur, & professio emittatur post decimum sextum ætatis suæ annum expletum, professio tenet, & est valida, argumento *c. ad Apostolicam*, *16. de Regular.* quia præsumitur Superiorem, qui recepit illius professionem, dispensasse super ætate, & profitentem renunciasse constitutioni ad sui fauorem disponenti, & tam Superiorem, quam profitentem se cõformasse *Concilio Tridentino*, *capit. 15. de reformation. sess. 25.* vbi statuitur, in quacunque Religione fieri professionem post decimum sextum ætatis annum expletum. Et ita censuit aliàs *S. Congreg. Concil. Trident.*

Nec non omnes, *&c.* Stante nullitate professionis, lator male est promotus ad ordines cum dimissoriis Superioris Religionis, & ad titulum ipsius Religionis; vt in præcedenti formula diximus pro Oratore, qui in adolescentia Religionem Ordinis Fratrum N. &c.

Dummodo ipse hæretice, *&c.* Cum dictio *dummodo* requirat, vt de necessitate existat illud cui adiungitur, *Io. Andr. in cap. ex tuarum*, *5. in verbo*, *dummodo*, *de auctor. & vsu Palij*. *Decius consil. 326. num. 3. tom. 1. & alij a me supra allegati*; necesse est, vt lator pertinaciter non crediderit contra dogmata fidei Catholicæ, vel pertinaciter de illis non dubitauerit, vt supra diximus. Si pertinaciter credidit contra Fidem Catholicam, vel de ea pertinaciter dubitauit, præsentes litteræ nihil suffragantur.

Dictio dummodo necessitat existere illud, cui adiungitur.

Iniuncta, *&c.* Psalmos Pœnitentiales latori imponerem, nam vterque excessus est condonabilis, & excusabilis, ex rationibus a me supra adductis.

Demum, dummodo lator professionem, *&c.* Si professio nulliter fuit emissa; neque tacita, ex eo quod lator non se immiscuerit in rebus Professorum, locum habeat; de nouo emittenda omnino est in manibus nostri exequutoris: nam professio perficitur consensu, tam acceptantis, quam profitentis. *cap. 2. S. fin. & cap. beneficium*, *4. de Regularibus in sexto.* Et ideo mandat M. Pœnitentiarius eam a latore emitti in manibus nostri exequutoris, qui auctoritate Sedis Apostolicæ sibi per Maiorem Pœnitẽtiarium dele-

Professio perficitur consensu profitentis, & acceptantis.

ABSOLVTIO
A SIMONIA.

Pro Laico patrono, qui præsentauit ad quoddam beneficium, præuia conuentione cum præsentato inita de percipienda aliqua parte fructuum dicti beneficij, & modo petit absolui, &c. Litteræ vt infrà conficiuntur.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Pro parte viri laici nobis expositum fuit, quod ipse aliàs, cùm haberet ius præsentandi ad quoddam beneficium Ecclesiasticum, conuenit cum quodam Sacerdote, vt si eum ad illud præsentaret, aliquam fructuum partem percipere posset. Et cum dictus Sacerdos ad latoris præsentationem assequutus fuisset dictum beneficium, lator per aliquod tempus percepit partem fructuum illius, censuras Ecclesiasticas propterea incurrendo. Cùm autem lator prædictus de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, dictoque Patronatus Iure vti posse cũ beneficiũ vacare oõtigerit, desideret, pro sua conscientia quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari, ac sibi fructus hactenus perceptos, quos propter paupertatem restituere nequit, condonari. Quare, &c. Quatenus, si est ita, dictum latorem, audita prius ipsius sacramentali Confessione, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, Simoniæ labe, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. Iniuncta inde ei pro modo culpæ pœnitentia salutari: quodque dictum Sacerdotem, & alios, si qui sunt, in præmissis culpabiles, quantum potest moneat, & inducat ad impetrandã à Sede Apostolica absolutionẽ, & alijs, &c.*

Inin-

Iniungen. Sibique fructus indebite perceptos, facta aliqua eleemosyna, arbitrio tuo remittas, & condones: & quod occurrente beneficij eiusdem vacatione, & etiam hac vice, post dicti Sacerdotis dimissionem, liceat latori, si Ius Patronatus, & præsentandi ad ipsum beneficium, dum pro tempore vacat, ad ipsum latorem alioqui legitimè pertinet, personam idoneam ad illud licitè præsentare, misericorditer indulgeas in foro conscientiæ, & in ipso actu sacramentalis confessionis tantum, & non aliter, neque vllo alio modo. Ita quod huiusmodi absolutio, dispensatio & condonatio latori in foro iudiciario nullatenus suffragentur, & præsentes litteræ lanientur, ita vt nullum illorum exemplum extet. Datum, &c.

Ius præsentandi, est gratiosum.

Ius præsentandi, &c. Id est, facultas præsentandi, quæ facultas est ius gratiosum, quia ex gratia competit. *c. si quis Episcoporum 16. quæst. 5. c. quoniam, 3. de iure patron. vbi Panorm. num. 2.* Patrono enim laico permittitur, vt intra quatuor menses à die vacationis beneficij possit præsentare: Immo à die habitæ notitiæ vacationis huiusmodi. *argum. c. licet, 3. de supplen. negligen. Prælatorum, vbi glossa in verb. notitia, & cap. quia diuersitatē, 5. §. mandamus, de concess. præbend. Panor. in cap. cum propter, 27. num. 3. de iure patron. Felin. cons. 124. Io. Andr. in c. 2. de supplend. negligent. Prælat.* ne quis sine culpa puniatur: nemo enim sine culpa puniri debet. *l. sancimus, 22. C. de pœnis*; sed patrono Ecclesiastico, vt intra sex menses possit personam idoneam præsentare ad vacantem Ecclesiam, conceditur. *d. cap. cum propter, c. eam te, 22. de iure patronatus. c. vnico eodem tit. in 6.*

Tempus præsentandi à die notitiæ incipit.

Ius patronatus acquiritur ex fundatione simul cum dotatione, vel ex dotatione seorsim sumpta: nam fundatio absque dotis actuali assignatione, nihil confert: immo nec Ecclesia fundari, nec ædificari debet, nisi prius facta sufficiētis dotis actuali assignatione, & donatione, *c. nemo Ecclesiā, de consecr. dist. 1. c. cum sicut, 8. vbi glossa, in principio, de consecr. §. sancimus il primo, Auth. vt nullus fabricet Oratorij domos.*

Ecclesia sine dote non fundanda.

Con-

Conuenit, &c. Pro spiritualibus obtinẽdis omnis pactio, omnisque conuentio de re temporali cessare debet, *c. cum pridem*, 4. & *c. pactiones, vbi glossa in verb. cessare, de pactis cap. tua*, 34. *de simonia, cap. quæsitum*, 5. §. *generaliter, de rerum permutatione*. Potest tamen intercedere aliqua pactio de re spirituali pro publico commodo. *cap. significatum*, 11. *de praben. & dignit.*

Patroni beneficiorum non possunt eorum bona administrare.

Aliquã fructuum partẽ, &c. Patroni beneficiorum nõ possunt illorum bona administrare. *cap. præterea*, 4. *de iure patron. Concil. Triden. cap. 9. sess. 25. de reformat.* vel aliquid ab eis temporale exigere. *cap. præterea*, 23. *eod. tit. cap. vnico, vt Eccles. benef. sine dimin. conced.* Nisi quãdo vergunt ad inopiam, tunc enim ab Ecclesia illis modestè succurritur, habito respectu ad facultates Ecclesiæ, & qualitatem personæ. *c. nobis fuit*, 25. *vbi glossa in verb. modeste, de iure patron. c. quicunque fidelium*, 16. *q.* 7.

Et propterea lator præsentium de sua præsentatione nihil potuit commodi à presentato prætendere: & quia pactũ de percipienda aliqua fructuũ portione inijt cum præsentãdo, ideò simoniacus est. *c. præterea*, 9. *de transactionib. Panor. in c. ex insinuatione*, 14. *n.* 9. *de iure patron.*

Percepit, &c. Hæc perceptio est omnino illicita, vt supra diximus, & prohibita sub pœna excommunicationis, & priuationis ipsius iuris patronatus ipso facto incurrenda. *extrauag. cum detestabile, de simonia. Concil. Constantien. & Concil. Trid. c.* 9. *sess.* 25. *de reform.* & ideò noster hic lator vtramque pœnam contraxit.

Condonari, &c. Tenetur lator fructus prædictos omninò restituere Ecclesiæ læsæ, quia indebite, & simoniace illos accepit, & propterea nõ fecit suos etiã in foro cõscientiæ. *c. de hoc*, 11. §. *Regem autẽ*. & *c. audiuimus*, 41. §. *fin. de simonia. cap. si quis dator*, 1. *q.* 3. *extrauag. cum detestabile*, §. *per electionem, de simonia.*

Dixi, restitutionẽ faciendã esse prædictę Ecclesiæ læsæ, id est, conuertendam in illius vtilitatem, videlicet in fabricam; non autem ipsi præsentato, quia dicti fructus in Ecclesiæ ignominiam dati fuerunt, & ideò illi applicandi. *dict. auth. pro hac, C. de Episcop. & cleric.* & dicit *S. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *in fin.* & *not. Panorm. in d. c. de hoc, de simonia, num.* 11.

Præ-

Præsentatus per simoniæ crimen, eo ipso, beneficio, & eius redditibus priuatus remãsit. *c. Matthæus, 23. vbi glos. in verb. consulis. & cap. consulere, 38. de simonia. c. si quis Episcopus, 1. q. 1. & per Concilia supracit. Felin. in c. in nostra, de rescript. n. 13. Rebuf. in prax. benef. de simonia in resign. n. 7.* & ad illud, & alia in futurum obtinenda inhabilis remansit, *per Cõstitutionem Pij Quinti, quæ incipit, Cum primum, edita Kal. Aprilis* 1566.

Si vero restitutio huiusmodi cederet secundariò in cõmodum præsentati, existimo restitutionem faciendam pauperibus eiusdem Ecclesiæ: nam bona Ecclesiæ quodammodo ad illos spectant.

Nec est facienda ipsi præsentato, quia hic per suã præsentationem nullum ad beneficium, & in beneficio acquisiuit ius, vt supra diximus, & ideò nullum habet ius, vt illi restituantur prædicti fructus, & idcircò non sunt illi restituendi. Insuper indignum se reddidit, & inhabilem ad prædictum beneficiũ per prę sentationem huiusmodi simoniacam obtentum, & ad idem canonicè obtinendum *c. penult. de elect. c. de regularibus, 25. de simonia, & per dictam Constitutionem Pij Quinti, §. 8.* & consequenter indignum se reddidit, vt fructus prædicti sibi restituantur; ergo nõ debẽt illi restitui, sed ipsi Ecclesiæ, vel eiusdem pauperibus.

A quibusuis sentẽtijs, &c. videlicet tot excommunicationibus in sacris Canonibus, & Concilijs, & dicta Constitutione Pij V. contentis.

Pœnæ simoniacorũ sunt, Infamia. *c. fin. 1. q. 3. c. si quis Episcopus, 1. q. 1.* Inhabilitas ad beneficia cõferenda, & obtinenda, & obligatio ad fructus restituendos, & alia prout *in Constitutione Pij V. & in extrauag. cũ detestabile supracit.* *Pœna simoniacorum.*

Simonię labe, &c. Io. Andr. in c. tanta, 7. nu. 1. de simonia ait, simoniã appellari labem, quia multi in eam labuntur: sed potius mihi videtur dici labes, quia efficit, vt multi facillime labãtur ambiendo dignitates & magnos redditus, & est crimen enorme. *c. sanè, 15. q. 3. l. si quemquam, 29. C. de Episc. & cler.*

Et omnia crimina in illius comparatione quasi pro nihilo reputantur. *c. vltim. 1. q. 7.* quia specialiter committitur circa res, quæ sunt Deo deputatæ & dicatæ, scilicet, dignitates, Sacramenta, & officia Ecclesiastica; immò & ipsum Deum tanquã seruum tractat vendẽdo & emendo. *c. eos, 17. q. 4. Turrecrem. in c. ult. 1. q. 7.* *Simonia crimẽ enormius.*

In-

Iniuncta, &c. Pro simoniæ crimine nulla certa pœnitentia inducitur. *cap. requiritis*, 1. *q.* 7. nisi quod vsque ad mortem simoniacus aspere pœniteat, vt bene aduertit *glossa in d. cap. vlt. in verbo, reputantur*.

Aduerbium aspere, importat priuationem suauitatis.

Nota illud aduerbium, *aspere*, quod significat rem omni ex parte insuauem sensui: & propterea simoniaco imponenda est pœnitentia, quæ illum veluti spina e lethargo excitet, vt sic compellatur suum cognoscere scelus. Ad hoc per opportunum esset ieiunium; Ecclesiarum inter se multum loco distantium frequens visitatio; cilicijs, & flagellis frequens corporis castigatio; frequens recitatio Psalmorum pœnitentialium; necnon Missæ sacrificio, & horis Canonicis frequẽter interesse; vt huiusmodi obsequio, & reuerentia compensit irreuerẽtiam & iniuriam Deo, & rebus sacris prius illatas. Eandem ob causam simoniaco imponerem frequentiam Sacramentorum Pœnitentię, & Eucharistiæ.

Quodque dictum Sacerdotem, &c. Per dictam extrauagantem, *Cum detestabile*, olim scientes aliquem commisisse crimen simoniæ, tenebantur illum Sedi Apostolicæ reuelare, nec poterant ante huiusmodi reuelationẽ absolui, sub pœna etiam excommunicationis, vt aliqui DD. existimarunt. Sed hodie cum nõ sit in vsu hæc obligatio, *Nauarr. cap.* 27. *nu.* 106. §. 21. Maior Pœnitentiarius loco dictę reuelationis imponit, vt simoniacus admoneat cõplices, & inducat ad impetrandum a Sede Apostolica absolutionem.

Quantum potest, &c. Id est, quod potest: idem enim importat clausula, *quod potest*, ac *quantum potest*. Illud autem quis dicitur posse, quod licitè, & commodè tantum facere potest. *cap. faciat, vbi glossa in verbo, quod potest*, 22. *quæst.* 2. *cap. sciscitatus* 13. *vbi glossa in verbo, impedimento, de rescriptis. l. nepos Proculo*, 125. *ff. de verb. signific.*

Dictio, quantum potest, quid importet.

Nec intelligitur totum illud, quod licite, & commode facere quis potest, sed solum illud, quod quis de iure facere potest. *arg. c. tum ex litteris*, 5. *in fine, de in integr. restitution. cap. cum dilecti*, 6. *de dolo*, & *contum. cap. causam quæ*, 18. *de rescript.* vbi Summus Pontif. semper quando ponit clausulam *quantum potest*, vel *possumus*, subiungit subsequens verbum, *de iure*. Quid autem no-

Obligatio aliquod faciendi quid inducat.

non autem de præsenti vacatione ob simoniam super præsentatione initam, quæ effecit vt beneficium super quo vacet; ideo per præsentem clausulam specifice includitur prima, & præsens beneficij vacatio, quatenus præsentatus non obtineat a Sede Apostolica beneficij prædicti canonicam retentionem.

Indulgere importat concessionem, & dispensationē. *Misericorditer indulgeas, etc.* Id est, ex misericordia concedas, indulgere enim est idem, ac concedere. *cap. a nobis, 28. §. vt autem, de sent. excommun. cap. preterea, 2. & cap. vltimo in fine de dilation.* vel ex misericordia dispenses, quia indulgere importat etiam dispensationem, *Paris. cons. 1. nu. 64. vol. 4.* Reliqua huiusmodi formulæ aliàs fuerunt dilucidata in hac eadem Praxis nostræ Parte.

PRO PRESBYTERO,

Qui mediante quadam pecuniæ summa per quendam Laicum procurauit ad quoddam beneficium præsentari, illoque assequuto suos Ordines exercuit, fructus tamen non percepit: & vterque petit absolui, &c. Litteræ solent, vt infra confici.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipse Laicus aliàs præsentauit ad beneficium de iurepatronatus sue familie prædictum Presbyterum, mediante quadam pecunia summa ab eo ad hunc effectum recepta; et idcirco vterque incidit in censuras Ecclesiasticas; et ipse Presbyter suos ordines postea exercendo etiam irregularitatem contraxit. Cum autem, &c. prædicti Oratores de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleant, et ipse Presbyter dictum beneficium aliàs canonice a se obtentum, ex quo adhuc nullos fructus percepit, & quod absque scandalo dimittere nequit, licite retinere, suosque ordines exercere posse desideret, pro sua conscientia quiete ambo cupiunt per Sedem Apostolicam absolui, sicumque desuper respectiue dispensari. Quare, &c. quatenus si*

est ita, dictos latores, audita prius eorum Sacramentali Confessione, a quibusuis sententijs, censuris, &c. prout in alia, &c. *Iniuncta, &c. Necnon dictus laicus pecuniam receptam in dicti beneficij vtilitatem eroget, & alijs, &c. iniungend. Ipsoque Presbytero ab exequutione suorum ordinum suspenso. Demum, dummodo præmissa occulta sint, & ipse Presbyter dictum beneficium dimittere non possit absque scandalo, cum eodem, &c.* Reliqua vt in præcedentibus formulis.

Hæc formula, quoad latorem laicum, in omnibus fere coincidit cum precedenti formula: quo vero ad Presbyterum, cũ alijs precedentibus: & ideo paucis eam expediam.

In beneficij vtilitatẽ, &c. Quidquid pro beneficij prouisione, præsentatione, & assequutione simoniace impenditur, vel recipitur, restituendum omnino est etiam in foro conscientiæ. *c. de hoc, 11. §. fin. de simonia*. Sed non est restituendum ei, qui dedit, quia turpiter dedit. *L. et generaliter, 3. §. illud, ff. de calumniator.* & propterea omne ius amisit.

Ideo pro satisfactione iniuriæ illatæ conuertendum est in beneficium illius, in cuius ignominiam datum fuit. *arg. cap. si quis in atrio, 17. q. 4. c. si quis rapuerit, 27. q. 1. d. l. & generaliter*. Pecunia autem fuit data in ignominiam, & vilipẽdium Ecclesiæ dicti beneficij, ergo illi restituenda. *Panor. in cap. de iure, 16. num. 3. in fine, de iure patronat.*

Vtilitatem, &c. Videlicet in complendam fabricam, reparationem Ecclesiæ, & Altarium, aut ædificiorum eiusdem, aut in suppellectilem sacram, prout noster exequutor expedire iudicauerit.

Et alijs, &c. Laicus Patronus per simoniã remansit priuatus iure præsentandi, prout in precedẽti diximus; ideo debet a præsentatione abstinere imposterum, cum per has litteras nõ dispenſetur cum eo; vel peculiarem desuper dispẽsationem petere a Sede Apostolica, alias Ecclesia efficitur libera. *c. quia Clerici, 6. de iure patronatus, vbi glos. in verbo, spoliando, & Panor. n. 8. Lambertinus de iure patronat. lib. 3. art. 1. q. 8.* Et licet in huiusmodi pœnarum exequutione requiri videatur actus Iudicis declaratorius delicti, vt multi

Do-

Pœna mere priuatiua quando obliget absque declaratoria.

Doctores existimant; attamen quando pœna latæ sententiæ ad sui consummationem non requirit actum hominis, sed est mere priuatiua vt inhabilitas, priuatio tituli, vel vocis actiuæ, & passiuę, & similium; non expectata declaratoria obligat in conscientia ipso facto, etiam in occultis ante sententiam declaratoriã: prout est in nostro casu, in quo satis est, vt Patronus nihil agat, immo non agat, sed solum abstineat a præsentatione, & sinat elabi tempus concessum ad præsentandum, quo elapso Ordinarius propria auctoritate cõferat beneficium; Nam pœna primario imponitur propter culpam. *c. vt famæ, 35. de sent. excom.* & ideo posito delicto statim sequitur pœna, & delinquens eam statim contrahit. *c. felicis, 5. de pœnis in 6.* Quia pœna est annexa delicto. *Bal. in cap. 2. n. 3. de const.* Nec pro illius exequutione expectanda est sententia saltem declaratoria, quia obligatio ex delicto respectu pęnæ est de iure naturali, vt ex *Bart. in l. ex hoc iure, 5. col. fin. ff. de iustitia, & iure, notat Decius in c. 1. n. 77. de constit.* Ergo etiam in foro conscientiæ obligare videtur, cum forum conscientiæ secũdum ius naturale iudicet. *Decius loco cit. n. 68. & 77.*

Et probatur ex antiqua praxi Sacræ Pœnitentiarię officij: contra enim pęnas huiusmodi mere priuatiuas contractas reintegrantur Pęnitentes in foro conscientię; etiamsi nulla pręcesserit sententia cõdemnatoria, vel declaratoria: hæc profectò reintegratio frustratoria esset, & superflua, si contrahens huiusmodi pęnas mere priuatiuas, deberet pro earum exequutione expectare sententiam saltem declaratoriam, quę nunquam datur in delictis occultis. Hęc autẽ probatio ex Praxi desumpta magnifacienda est. *cap. cum dilectus, 8. de consuet.* Vera enim est interpretatio à consuetudine sumpta. *Decius in cap. 1. num. 84. de constitut. & Bald. in l. illud, 22. ff. de excusat. tutor.*

Contrariam tamen sententiam probabilem existimo, quæ est *glossæ in cap. fraternitas, in verbo, cum augmento, 12. q. 2.* quam sequuntur *Decius, & Felinus in d. cap. 1. de constitut. Sot. lib. 1. de iustitia & iure, quæst. 6. art. 6. Couar. in 2. parte cap. 6. §. 8. num. 10. Molina de iust. tom. 1. tract. 2. quæst. 36. Sanch. de matrimon. lib. 9. disputatione 30. & aliorum.*

PRO CLERICO.

Qui procurauit ſibi reſignari duo beneficia Eccleſiaſtica mediante quadam pecuniæ ſumma, & petit abſolui, & ſecum diſpenſari ad retinenda beneficia præfata, & ad ordines ſuſcipiendos. Litteræ vt infra conficiuntur.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Quod ipſe aliàs ad ſui fauorem reſignari obtinuit duo beneficia Eccleſiaſtica mediante quadam pecuniæ ſumma ipſi reſignanti ad hunc effectum ſoluta, & idcirco in cenſuras Eccleſiaſticas incurrit. Cum autem, &c. lator prædictus de præmiſſis, quæ occulta ſunt, plurimum doleat, & ad omnes, etiam ſacros, et Presbyteratus ordines promoueri, dictaque beneficia, quæ propter paupertatem dimittere nequit, retinere licitè poſſe deſideret, pro ſuæ conſcientiæ quiete cupit per Sedem Apoſtolicam abſolui, ſecumque deſuper diſpenſari, ac fructus perceptos, quos reſtituere nequit, ſibi condonari. Quare, &c. quatenus ſi eſt ita, dictum latorem, audita prius eius Sacramentali Confeſſione, à quibuſuis ſententijs, cenſuris, & pænis Eccleſiaſticis, quas propter præmiſſa quomodolibet incurrit, ſimoniæ labe, & exceſſibus huiuſmodi abſoluas hac vice, &c. iniuncta, &c. & erogatione alicuius partis dictorum fructuum, quæ tibi iuxta modum facultatis latoris viſa fuerit, in pauperum alimoniam, alioſque pios vſus; quodque alios in præmiſſis culpabiles, &c.* vt in præcedenti formula pro laico patrono. *Demum, dummodo præmiſſa occulta ſint, & lator propter eius paupertatem dicta beneficia dimittere non valeat, ab eodem, pænitentia, vel illius parte peracta, & ſuffragantibus, &c. alioque ei canonico non obſtan-*

obstante, omnem inhabilitatis maculam ex premissis contractam aboleri, secumque, vt premissis non obstantibus, clericali charactere, quo aliàs rite insignitus fuit, vti, & ad omnes, etiam sacros, et Presbyteratus ordines, si ad id aliàs idoneus reperiatur, promoueri, et postquam promotus fuerit, in illis, etiam in Altaris ministerio ministrare, dictaque beneficia retinere licite valeat, misericorditer dispenses; residuumque fructuum ex dictis beneficijs indebite perceptorum sibi gratiose remittas, & condones in foro conscientiæ, &c. vt supra.

Resignari, &c. Resignatio est libera dimissio, vel cessio iuris, quod quis habet in beneficio. *c. admonet*, 4. *c. nisi cum pridem*, 10. *& c. final. de renunciatione*. Hæc autem libera resignatio fieri nequit sine Ordinarij consensu. *d. c. admonet*. Vel Sedis Apostolicæ licentia. *d. cap. finali*.

Resignationes ad fauorem solus Papa admittit.

Ad sui fauorem, &c. Resignationes ad fauorem alterius nemo admittere potest præter Summum Pontificem *Pius V. in sua constit. edita anno* 1568. *quæ incipit, quāta, &c.*

Ad omnes etiā sacros, &c. Quia multi tenent, simoniacos in beneficijs esse ipso iure irregulares, & non posse promoueri ad ordines; immo Parisius de *confid. q.* 61. *num.* 14. asserit istorum sententiam esse magis communem, licet contraria sententia sit verior, & magis recepta: nam ex simonia non contrahitur irregularitas, nisi posita notorietate facti, vel Iudicis sententia, ex quibus oriatur infamia iuris, vt ex præcitata *Bulla Pij V.* Ideo lator ad tollendos scrupulos, & omnem dubitandi locum, petit dispensationem ad ordines.

Paupertas in quibus dedu-cenda.

Propter paupertatem, &c. Pro determinanda latoris allegata paupertate, duo pręcipuè considerari debent, videlicet Clericatus, & familiæ conditio: Clericatus, qui sufficientes in clerico requirit redditus ad congruam sustentationem, ne despiciatur officium clericale. *c. Diaconi sunt §. nūc autem* 93. *dist.* & ideo qui caret huiusmodi redditibus, pauper dicitur.

Secundo, qualitas familiæ, videlicet, an sit ex nobili, vel plebeia familia; nam plebeius

excluditur a paupertate, si habeat scuta quinquaginta in annuis redditibus. *l. nonnulli, 10. ff. de accusationibus. Bart. in l. qui accusare, 8. ff. de accusat.* Nobilis vero inter pauperes, immo inter mẽdicos numeratur, si in censibus vltra centũ scuta non habeat, cum hæc non sufficiant ad honestã habitationem, condecentes vestes, & victum nobili viro cõparandum; & si cogeretur ob beneficiorum prædictorum dimissionem in humili habitatione morari, humilioribus vestibus indui, & in necessarijs ad sui congruam sustentationem pati; vere diceretur pauper: ex his enim defectibus agnoscitur vniuscuiusque viri paupertas. *Bal. in l. si quis ad declinandam, 47. vers. deinde nota, C. de Episcopis, & Cleric. & in l. quicumque, 4. C. de seruis fugitiuis. glossa in l. vbi adhuc, 29. circa medium prima glos. quam Bar. & Doct. sequuntur, C. de iure dot. Decius. cons. 120. num. 3.*

In summa, noster hic lator declarãdus est pauper, si præter dicta beneficia non habeat vnde viuere commode possit; nam pauper ille dicitur, qui attenta sui status conditione, commode viuere non potest. *cap. 1. de præben. in 6. Rebuff. in praxi benef. in titul. de rescripto. in forma communi, num. 8.*

Si vltra dicta beneficia habeat vnde commode viuere possit, præsentes litteræ, quoad conualidationem titulorũ non suffragabũtur; in reliquis vero suffragabuntur: nam allegata paupertas solum respicit conualidationem titulorũ, & solum fuit allegata ad illorum conualidationem impetrandam, vt videre quisque poterit ex ipsarum litterarum verbis.

Habenda est etiam ratio in determinanda latoris paupertate, ad illius personalia, & realia onera; videlicet, an sit ære alieno grauatus, an habeat genitores pauperes, quibus de iure naturæ subuenire tenetur, an debeat dotare, vel alere sorores pauperes.

Inhabilitatis, &c. Ex culpa insurgit macula. *c. voluissent, vers. quibus nimirum, de pœnitentia distinct. 1. cap. fin. dist. 25.* & quo maior est culpa, eo maior fit macula. *dicto cap. voluissent.* Et cum Ecclesia sit sine ruga, & macula, *cap. recurrat, prope finem, 32. quæstion. 4.* ac propterea non admittat membra, quæ grauioris culpæ macula inficiat. *capit. Apostolus, distinct. 81. vbi glossa in princ.* noster lator, qui maculam grauem ex simonia

Ex culpa insurgit macula.

nia

nia contraxit, vt promoueri possit ad ordines, eget mundari prius authoritate Apostolica ab huiusmodi macula. *c. tanta, 7. de simonia.* Simoniacus enim non solum non debet promoueri ad ordines, sed si est promotus, debet deponi. *c. sicut simoniaca pestis, 6. de simon.* Ideo M. P mandat cōtractam maculam illi aboleri, id est penitus tolli, hoc enim importat verbum istud, *aboleri. l. 1. C. cōmunia de legat. & fidei commiss. l. quare, 38. ff. de vsucapion.*

Aboleri, est penitus tolli.

Clericali charactere vti. Id est clericalem habitum, & tonsuram canonicè gestare, beneficio fori frui, & pro clerico se gerere.

Si ad id alias idoneus, etc. Idoneus idem est, ac legalis. *Bald. in c. venerabilis, 10. nu. 4. de dolo, & cōtum.* hoc est, quod habeat qualitates à sacris Canonibus requisitas. Huiusmodi autem idoneitas duplex est: altera intrinseca, cum qua homo nascitur, videlicet, quod sit castus, sobrius, &c. & præcipue post baptismum. *cap. sicut Christus, 1. q. 1. Panor. in c. dudum, 16. n. 6. de præsump.* & hęc præsumitur, nisi constet de contrario, vnusquisque enim præsumitur bonus. *l. merito, 51. ff. pro socio. l. quoties, 18. §.*

Idoneitas duplex.

qui dolo, ff. de probat. c. vnico, de scrutinio, d. c. dudum, & c. vlt. de præsumpt.

Altera idoneitas est extrinseca, vt, quod sciat quis legere, cantare, & similia alia, quæ spectant ad clericum; & hæc non præsumuntur. *cap. si forte, 11. vbi glossa, de elect. in 6. Panorm. loco supracit.* Ideò ad hanc idoneitatem verificandam requiritur examen. *d. c. si forte, vbi glos. in verb. scientia, & in c. eos qui, 2. in verb. canonice, de tempor. ordin. in 6.* quod si examinationē nō præcedat, sic ordinatus deponendus est. *c. vlt. 24. dist.*

Onus vero inuestigandi huiusmodi idoneitatē in latorę præsentium nō spectat ad nostrum exequutorem, sed ad Episcopum ordinantem. *Concil. Trid. sess. 23. c. 7. de reform.*

Et hæc idoneitas ponitur à M. P. pro conditione necessaria & requisita à *Cōc. Trid. loco supra cit.* quæ si forsan non fuisset hic expressa, lator suspicari, licet temere, potuisset, secum etiam super hac requisita idoneitate, fuisse per præsentes litteras dispensatum.

Hæc sufficiant pro præsenti formula, cum reliquæ clausulæ fuerint explicatæ in præcedentibus.

PRO EPISCOPO,

Qui in collatione beneficiorum incidit in Simoniam.

FR. *Antonius Barberinus*, *&c. Quod ipse alias simoniace plura beneficia diuersis personis contulit, & idcirco in censuras Ecclesiasticas incidit, & suos ordines, ac Pontificalia exercendo, etiam irregularitatem contraxit. Cùm autem lator prædictus de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, suosque ordines, ac Pontificalia exercere, & quascunque alias Ecclesias consequi licitè posse desideret, pro sua conscientia quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. dictum latorem, audita prius ipsius sacramentali Confessione, postquam pecunias, si quas accepit, in vtilitatem Ecclesiarum offensarũ cõuerterit, à quibusuis sententijs. &c.* prout in precedentibus. *Ipsoque ab exequutione suorum ordinum, & Pontificalium suspenso. Demum, dummodo præmissa sint occulta, cum eodem, &c.* vt in præcedentibus, vsque ad verba illa, *in Altaris ministerio ministrare:* & posteà subsequatur, *Põtificaliaque exercere, & quascunq; alias Ecclesias etiam Metropolitanas, & Patriarchales, ad quas eum in futurum transferri, seù quibus de eius persona prouideri contigerit, recipere, eisque similiter præesse licitè valeat, misericorditer dispenses, &c.*

Simonia in collatione beneficii triplici modo contrahitur.

Simoniacè contulit, &c. Triplici modo committitur simonia in collatione beneficij Ecclesiastici: Primo mediante pecunia, vel alio munere corporali. *c. ex multis*. 1. *q*. 3. *c. querelam*, 15. *de simonia. cap. presbyter*, 1. *quæst*. 1.

Secun-

Secundo, mediante temporali obsequio, vel seruitute ab eo, cui confertur beneficiū, promissa collatori, vel ex pacto habita. *cap. cum essent* 12. *de simonia. c. sunt nonnulli*, 1. *q*. 1. Dixi, ex pacto habita: si enim non præcedit pactum, nulla intercedit simonia, *arg. cap. pactiones*, 8. *de pactis*. Tertio, mediante fauore, quem expectat, vel sibi promitti fecit collator ab eo, cui confert beneficium, vel à precante in se laudando, vel eius inimicum vituperando coram alijs, *dict. cap. sunt nonnulli*.

Pontificalia quæ sint.

Pontificalia, &c videlicet Chrismatis confectio, frontis chrismatio, ordinis collatio, Ecclesiarum, & Altariū consecratio. *glos. in c. quia periculosum*, 4. *in ver. quia periculosum, de sent. excommun. in* 6. virginum consecratio. *Panor. in c*. 1. *nu*. 3.

Ad officium Episcopale spectat etiam Ecclesias pollutas recōciliare. *c. aqua*, 9. *de cōsecr. Eccles.* Quod tamen *glos. in c. fin. in verb. cauetur, eod. tit. de consecrat.* intelligit de Ecclesijs consecratis, non autem de solis benedictis, quæ possunt per simplicem Sacerdotē lauari, hoc est, rebenedici. Campanas benedicere, degradare clericos. *cap. degradatio*, 2. *de pœnis in* 6. *Concil. Trident. sess*. 13. *cap*. 4. *de reform.*

Pontificalia huiusmodi sūt actus Ordinis Episcopalis, & qui illa censuris ligatus exercet, fit irregularis. *c. nisi cum pridem*, 10. §. *personæ vero, de renunciatione. c. si quis Episcopus, il primo*, 11. *q*. 3. *c*. 1. §. *sciturus, de sentent. & re iudic. in* 6.

Episcopus non potest transferri de vna Ecclesia ad aliam sine Summi Pontificis licētia.

Transferre, &c. Trāslatio cum sit de vna sede ad aliam commutatio. *c*. 1. *de translatione Episcopi, & c. mutationes*, 7. *q*. 1. & per hanc commutationem dissoluatur coniugium spirituale, quod est inter Episcopum, & suam Ecclesiam. *c. penult. & c. fin. de translatione Episcopi:* & hoc coniugium fit non solum initiatum per electionem, & ratum per confirmationem, verum etiam consummatum per consecrationem. *d. c. finali*; non potest dissolui nisi ab eo, à quo fuit ligatum. Deus autem solùm, & Romanus Pontifex Dei vicem gerens in terris, per spirituale fœdus coniugij, coniunxit Episcopum cum sua Ecclesia: ideò sine Romani Pontificis authoritate dissolui non potest, & consequutiuè sine illius authoritate Episcopus ad aliam Ecclesiam transferri nequit. *dd. cap*. 1. *c. penult. & cap. finali. vbi Panorm. & DD. communiter.*

Ex

Ex quibus colligitur causa, cur lator præsentium nõ egeat dispensatione ad retinendam suam Episcopalem Ecclesiã, sed solum debeat rehabilitari ad alias Ecclesias. Nam primum coniugium iam contractum non potest per hominẽ, id est, per alterius coniugis crimen dissolui, sed solum est diuino iudicio reseruata eius dissolutio: at secundum mediante translatione contrahendum impeditur per crimen commissum ad instar matrimonij corporalis: matrimoniũ enim spirituale, & carnale reputantur vt similia. *c. inter corporalia, 2. & c. licet, 4. de translatione Episcopi*. Et sicut in matrimonio corporali, quis ob crimen contra illud commissum, remanet sine spe alterius coniugij. *c. litteris, 12. vbi Panorm. de præsumpt.* ita in matrimonio spirituali, noster hic lator propter simoniæ crimen contra suæ sponsæ liberalem dignitatem, & spirituale coniugium, à se perpetratum, remanet sine spe alterius coniugij spiritualis: licitum est enim arguere de matrimonio carnali ad spirituale. *Panor. in d. c. licet, n. 1.*

Matrimoniũ spirituale, & corporale æquiparantur.

Contigerit, &c. Id est authoritate Apostolica, quæ sẽper subintelligitur, cum translationes sine illa factę, aliàs sint nullæ, & punibiles, vt toto *tit. de translat. Episcopi*.

AB OMISSIONE

Recitationis Horarum canonicarum; Litteræ vt infra conficiuntur.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quod ipse aliàs obtinens simplex beneficium Ecclesiasticum, per aliquod temporis spatium omisit recitare Horas canonicas, & ideo fructus ex dicto beneficio interim perceptos non fecit suos. Cum autem, &c. lator prædictus de premissis plurimum doluit, dictosque fructus ob suam paupertatem restituere nequeat, pro sua conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui, sibique illos condonari. Quare, &c. Quatenus si est ita, dictum latorem, audita prius ipsius sacramentali Confessione, à premissis absoluas, hac vice, &c, Iniuncta, &

pro

pro modo culpæ pœnitentia salutari, nec non erogatione alicuius partis dictorum fructuum, quę sibi iuxta modum facultatum latoris visa fuerit, in pauperum alimoniam, aliosque pios vsus, ac eisdem residuum fructuum indebite perceptorum gratiose remittas, & condones in foro conscientiæ, & in actu, &c.

Simplex beneficium, &c. Omnes beneficiati tenentur quotidie recitare horas canonicas. *c. si quis Presbyt. 92. dist. c. fin. de rescript. in 6. Panor. in c. dolentes, de celebr. Missarum, n. 4. & DD. communiter. Leo X. in sua Cōstitutione, de generali Clericorum, & laicorum reformatione, quæ incipit, Supernæ dispositionis. & Pius Quintus in sua Constit. quæ incipit, Ex proximo Lateranensi Concil.*

Omisit, &c. Non omittit recitare diuinum officium, qui recitat, v. g. officiū de feria, cū recitare debet officium de aliquo Sācto, & è cōtra; hic enim verè recitat officiū diuinū, & ideo nō omittit, cum secundū *Sylu. in sum. in verb. hora. n. 15.* in præcepto recitandi officiū non sit determinatū, hoc, vel illud officium, vbi allegat *Archid. & alios:* & ideo beneficiatus qui recitat vnū officiū pro alio, non tenetur ad restitutionem. Alij autē aliter sentiunt. Noster verò lator nullū recitasse officiū hic præsupponitur.

Non fecit suos, &c. Id est, quos percepit post elapsum primum semestre adepti beneficij: nam ad restitutionem fructuum perceptorum in primo semestri, nō tenetur beneficiatus ex decreto *Concil. Lateranen.* quod fuit innouatum, & declaratum per *sanctæ memor. Pium Quintum, Constit. supracit.* quando in primo dicto semestri non recitat horas canonicas; peccat tamen mortaliter non recitando.

Iniuncta inde ei pro modo culpæ, &c. Quià lator omittendo officium omisit seruitiū laudis diuinæ, iniungi ei debet pro pœnitentia aliquid, quod compenset omissam laudem, videlicet Septem Psalmi Pœnitentiales, vel vnum Psalterium, vel aliquid amplius secundum qualitatem delicti, vt *Syluest. in sum. loco cit. nu. 17.* bene notauit.

Nec non erogatione, &c. Cum lator, vt supra diximus, nō teneatur ad restitutionem fructuū perceptorū in primo seme-

ſemeſtri, de his noſter exequutor nullam rationem habere debet in determinanda eleemoſyna, ac ſi non fuiſſent à latore percepti.

Alicuius partis, &c. Quæ ſit hæc *pars*, quam M. P. requirit erogandam in alimoniam. *Pauperum, &c.* Noſter exequutor non ex libero ſuo arbitrio determinet, ſed ex arbitrio boni, & prudentis viri; hoc enim important verba illa, *quæ tibi viſa fuerit*, vt aliàs diximus; ac etiam ex qualitate facultatum latoris: nam iſta pars eſt relata ad latoris facultatem, immo paupertatem per dictionem illam, *iuxta*, quæ dictio importat relationẽ in omnibus ad relatum. *c. Abbate*, 25. §. *præterea, de verborum ſignific.* hoc eſt, ad prçallegatam paupertatem.

Dictio, iuxta. importat relationem ad relatum.

Hoc etiam ex eo probatur, quia M. P. iunxit prædictæ *parti*, verbum, *alicuius*, quod operatur, vt nomine partis veniat quælibet minima pars, vt notatur in *clem. 1. in verbo, aut earum parte, de verborum ſignificat.* Demum

Probatur ratione: nam ſtante paupertate latoris, non poteſt ei demãdari alia partis fructuum erogatio, niſi illa, quam commode, & de facili exhibere valet; quia ad illam, quæ niſi cum magna difficultate præſtari poteſt, non tenetur: difficultas enim magna æquiparatur impoſſibilitati. *l. nepos Proculo*, 125. *ff. de verb. ſignificat. l. ſi ſeruus depoſitus*, 22. *ff. de noxal. l. diuortio*, 37. *ff. de negot. geſt. l. apud Iulianum*, 40. *ff. de legat.* 1. Et ſicut ad impoſſibile non tenetur, ita neque ad valde difficile. Commode autem præſtare nequit niſi minimam partem: ergo hanc noſter exequutor iniungere latori debet, & non aliã.

Quæ autem ſit hęc minima pars; determinanda eſt non ex poſſibilitate latoris, ſed ex fructibus malè perceptis; nam huiuſmodi erogatio debet eſſe minima reſpectu fructuum reſtituendorum; maior verò reſpectu commodæ poſſibilitatis latoris, qui tenetur totam eam ſummam erogare, quam cõmodè præſtare poteſt; hoc enim importãt illa verba, *quæ tibi iuxta modum facultatum latoris viſa fuerit.*

Alioſque pios, &c. Videlicet fabricam Eccleſiæ, ſeu Capellæ dicti beneficij, iuxta *Decretum Concilij Lateranenſis*, & prædictam *Leonis Decimi Conſtitutionem*. Si autem fabrica huiuſmodi non extet, erogetur in alios pios vſus, vt in præcedentibus diximus.

CON-

CONDONATIO FRVCTVVM.

Pro Clerico Beneficiato, qui incessit absque habitu, & tonsura clericali.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Quod ipse aliàs per aliquod temporis spatium incessit absque habitu, & tonsura, licet obtineret beneficium Ecclesiasticũ, & idcircò fructus ex illo interim perceptos non fecit suos. Cùm autem, &c. lator prædictus de præmissis plurimum doleat, pro sua conscientiæ quiete cupit sibi fructus prædictos per Sedem Apostolicam condonari. Quare, &c. quatenus si est ita, dictum latorem, audita prius eius sacramentali Confessione, à præmissis absoluas, hac vice, &c. iniuncta, &c. quodque faciat eleemosynam arbitrio tuo, & alijs, &c. ac eidem reliquos fructus indebitè perceptos gratiosè remittas, & condones in foro conscientiæ, &c.* vt supra.

Clerici Beneficiati tenentur incedere in habitu, & tonsura, alias non faciunt fructus suos.

Absque habitu, &c. Omnes Clerici beneficiati tenentur ex c. *Clerici*, 15. *de vita, & honest. cleric. & decreto sac. Concil. Trident. sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.* deferre iugiter habitum, & tonsuram clericales, id est vestes talares, & coronam, idque etiam ex *Constitutione fel. record. Sixti Quinti*, quæ incipit, *Cum sacrosanta.*

Non fecit suos, &c. Per *Clement.* 2. *de vita, & honest. cleric.* Omnes clerici beneficiati publice incedentes absque clericali habitu, priuantur per sex mẽses à die huiusmodi incessionis, fructibus sui beneficij: dummodo tamen sic incedant sine rationabili causa. Quæ sit hæc rationabilis causa, noster exequutor iudicabit ex occasione, videlicet inopinata, & moram minimè patiente, ex breuitate temporis, &c. videlicet, si sit per trãsennam, & sine vlla, vel breui mora, in

in publico facta. Quis autem dicatur publice incedere sine habitu, &c. collige ex qualitate locorum, videlicet plateis, vicis, Consistorijs, Congregationibus, &c. à quibus excluduntur priuatę domus, in quibus si quis incedat sine habitu, & tonsura clericalibus, non incurrit prędictam pœnā, cum clericus non obligetur in priuato deferre habitum clericalem; expedit tamen, vt illum semper deferat, & nunquā deponat, vt semper præ oculis habeat eam, qua insignitus existit, dignitatem, & sic à laicalibus se leuitatibus semper abstinere meminerit.

Nota, quod pręallegata bulla Sixti V. non solū dictos beneficiatos incedentes sine habitu, & tonsura, priuat fructibus beneficiorum, & pensionum ipso facto, & absque alia declaratoria, verū etiam ipsis beneficijs, & pnesionibus. Aliqui tamē DD. probabile existimant, huiusmodi pœnā non habere locum in foro conscientiæ, quia est pœna priuans iure quæsito, & possesso, & ideo requirit sententiam declaratoriam facti. *Azor. tom. 2. lib. 8. cap. 10. q. 3. Nauar. consil. 3. de vita, & honest. cleric. Sotus de iustitia, & iure, lib. 1. q. 6. art. 6. & alij.*

Reliqua huius formulæ, vide in proxima præcedenti formula.

ABSOLVTIO A CENSVRIS.

Pro eo qui Libros prohibitos legit.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quod ipse aliàs Libros prohibitos legit, & idcircò in excommunicationis sententiam incidit. Cum autem, &c. lator prædictus de præmissis plurimum doleat, pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui. Quare, &c. quatenus si est ita, dictum latorem, audita prius ipsius sacramentali Confessione, dummodo ex lectione huiusmodi nullam hæresim hauserit, ab excommunicatione, alijsque sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter prœmissa incurrit, absoluas, hac vice, &c. iniuncta, &c. iniungenda. In foro conscientiæ, & in actu, &c. Datum, &c.

Libros

Libros prohibitos, *&c.* Triplici ex causa prohibentur libri; Primò, quia continent hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, vt patet ex *Constitutione Pij Quarti, quæ incipit, Dominici gregis*. Secūdo, quia sunt damnati Auctoris. Tertio, quia sunt obscęni, & contra bonos mores.

In excōmunicationis, *&c.* Legentes libros ex prima, vel secunda causa prohibitos, incurrunt in excommunicationis sententiam contentam in præallegata *Constit. Pij IIII.* Prohibitos verò ex tertia tantùm causa præallegata, peccāt mortaliter solummodo, sed non incurrunt censuram aliquam.

Dummodo nullam, *&c.* Cum dictio, *dummodo*, vt alias diximus, requirat vt de necessitate existat illud, cui adiungitur, ad hoc vt dispositio possit suum effectum sortiri; ideò noster exequutor diligenter perscrutetur, an lator ex lectione huiusmodi aliquā hæresim contraxerit: si enim cōtraxit, neutri facultas præsens suffragatur.

Et aduertat illud verbum, *hauserit*, quod importat intrinsecum effectum, & pertinaciā, ex similitudine illius, qui vinum, vel aquam furtiuam hausit; non enim hausit illa vt profundat, sed vt in stomacho & intus retineat, & in suum commodum digeri desiderat. Ita iste lator, si ex lectione concepit hæresim aliquam, & de errore admonitus conceptam hæresim deponere non vult, dicitur verè hausisse hæresim: secus verò si statim admonitus admissum incaute errorē deposuit, quia tali casu non adsunt intrinsecus affectus, & pertinacia, quæ necessariò requiruntur ad hæresim inducendam, vt paulò ante diximus; sed solummodo est quidam extrinsecus, & materialis error. Si ergo lator legit libros primo, vel secundo modo superius allegatis prohibitos, diligentibus noster exequutor interrogationibus inquirere debet, an ille ex lectione conceperit aliquam hæresim: si vero perlegit libros ex tertia præallegata tantùm causa prohibitos, parum, ac forsan nihil laborandum est in inquirendo, an lator hauserit aliquam hæresim ex lectione illorum.

Quas propter præmissa incurrit, *&c.* Si non incidit in excōmunicationē prædictæ Constitutionis, forsan incidit in aliā à locorum Ordinarijs, vel particularibus Inquisitoribus

ribus cōtra legētes libros prohibitos ex prædicta tertia causa, prolatam: & ideo tutius est huiuſmodi penitentes absoluere ad cautelam à cenſuris, ſi quas propter allegatum caſum incurrit: & hoc ſemper in ſuis litteris M.P. obſeruat.

Iniuncta, &c. Latori pro pœnitentia imponerē lectionem alicuius libri ſpiritualis, cum contraria contrarijs curanda ſint, & ad poſitionem vnius contrarij ſequatur remotio alterius. *l. ſi inter, 15. ff. de except. re iudicatæ.*

Et alijs, &c. Inſuper imponendum illi eſt ex prædicta Pij Quarti Conſtitutione, & ex alijs decretis S. Officij, vt prędictos libros, ſi in ſua ſint poteſtate, conſignet Inquiſitori, vel loci Ordinario, vel obtineat licentiam ab Inquiſitore illos retinendi, & legēdi. Reliqua, vt in præcedēti formula.

P R O E O.

Qui libros Hæreticorum ſcienter retinuit.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Quod ipſe aliàs libros Hæreticorum ſcienter retinuit, & legit, & idcircò in excommunicationem incidit. Cum autem, &c. Lator prædictus de præmiſsis plurimum doleat, pro ſua conſcientiæ quiete cupit per Sedem Apoſtolicam abſolui. Quare, &c. Quatenus ſi eſt ita, dictum latorem, audita prius ipſius ſacramentali Confeſsione, dummodo ex lectione huiuſmodi nullam hæreſim hauſerit, & poſtquam dictos libros, ſi in eius ſint poteſtate, Inquiſitori hęreticæ prauitatis conſignando, tradiderit, cautè tamen, ne ſe prodere cogatur, ab excommunicationis, alijſque ſententijs, cenſuris, &c.* prout in præcedenti formula.

Poſtquā dictos libros, &c. Iſtius clauſulæ adimplementū pręcedere omnino debet abſolutionem huiuſmodi, quia dictio, *poſtquam*, excludit omne tempus anterius. *l. Aemilius,*

liis, 39. *ff. de minoribus*, vt alias probauimus; aliàs absolutio esset nulla, quia ponitur dicta clausula cum dictione, *postquam*, quæ facit conditionatum actum, cui adiungitur, vt notat *Bart. in l. quibus diebus*, 40. §. *Termilius*, *num*. 5. *ff de condit. & demonstrat.* & actus conditionalis non valet, nisi adimpleta conditione. *l. si quis sub conditione*, 8. *ff. si quis omissa causa testam. l. cedere diem*, 213. *ff. de verb. significat. l. ex facto*, 19, *ff. de hered. instit.*

Si in eius potestate, &c. Per hanc parenthesim limitatur, ad præsentis clausulæ adimplementum latorem non teneri, si libros prohibitos, quos legit, amplius non habeat; cum dictio, *si*, importet conditionem, *l. 1. ff. de condit. & demonstrat. vbi DD.*

Potestate, &c. Hoc verbum non strictè, prout importat proprium rei dominiū, sed latè hic accipitur, prout respicit naturalem rei possessionem: & ideo noster lator prædictos libros, siue sint ipsius, siue alterius personæ tenetur illos consignare Inquisitori, cum pleni dominij traditione: nam Inquisitores habēt ius per sui officij priuilegia ad omnes, & singulos libros prohibitos, & ideo illis, & non alijs tradi debent. Existimo tamen posse, & debere restitui eorum prætensis dominis, si ipsi habent licentiam illos apud se retinendi, & legendi; nisi velimus prædictos dominos remansisse spoliatos prædicta licentia, & consecutiuè omni iure, quod in prędictis libris habebant, ex eo quod huiusmodi licentia abusi sint, alijs nō habentibus eam illos legere permittentes cum salutis alienæ periculo, cum in eo quis puniri debeat, in quo deliquit.

Inquisitores habent ius ad omnes libros prohibitos.

Cautè tamen, &c. Id est, prudenter, ac diligenter. *c. si quis Abbas, vbi glossa in verb. cautus*, 18. *q*. 2. Ex quo colligitur, quod exequuter nō debet obligare latorem ad consignandum per se ipsum prædictos libros, sed tantum per interpositam personam fidelem.

Dictio, cautè quid importet.

Aduertat, quod consignans debet esse celer ad exequutionem, & prudens ad occultandam personam delinquētis. Celer, quia vbi primum commodè potest, debent prędicti libri consignari saltem in manibus nostri exequutoris, qui illos transmittet ad Inquisitorem, vel loci Ordinarium. Prudens, quia non debet exprimere nomen latoris; &, si

 peri-

periculum sit, ne ex aliqua cõiectura veniatur in cognitionem illius, differat consignationem, vel aliquam simulationem desuper licitam fingat vt seruetur sigillum.

ABSOLVTIO

Ab hæresi pro Conuersa, quæ circa aliquem Fidei articulum dubitauit.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quod ipsa alias dubitauit circa quendam Fidei articulum, & idcirco in censuras Ecclesiasticas incidit. Cùm autem, &c. latrix prædicta de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, pro sua conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui. Quare, &c. Quatenus, si est ità, dictam latricem, audita prius ipsius sacramentali Confessione, postquam de dicto articulo, de quo dubitabat, à te instructa fuerit, ab excommunicationis, alijsque sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, absoluas hac vice, &c. Iniuncta, &c. Iniungenda, in foro conscientiæ, &c. & non aliter, &c. Ita quod nullatenus suffragetur, & præsentes Litteræ lanientur, ita vt nullum illarum exemplum extet.

Dubitans in fide est hæreticus.

Dubitauit, &c. Firmiter debemus credere dogmata, quæ catholica iubet Ecclesia. *cap. 1. de summ. Trinitat. & Fid. Cathol.* & qui dubitat de articulis Fidei, inter hæreticos numeratur. *cap. 1. de hæreticis.cap. apertè, vbi glossa, in verbo, titubat, 24. q. 1.*

Sed non sufficit quælibet dubitatio ad constituendum hæreticum, nisi existat pertinacia: sicut enim ad constituendum hæreticum requiritur pertinacia, vt aliàs diximus, ita etiam ad constituendam huiusmodi dubitantem, cum æquiparatorum sit eadem ratio in eo, in quo

Æquiparatorū est eadē ratio. quo æquiparantur, & consequutiue idem iudicium. *l. 1. ff. de legat. 1. cap. si postquam, 33. vbi glossa in verbo, mente, de electione, in 6.*

Postquam de dicto articulo, &c. Prius debet exequutor declarare latrici suum errorem, eo quod temere dubitauit de articulo, quem Catholica Ecclesia determinauerat diuino spiritu afflata; eamque desuper edocere non argumentis philosophicis, & Theologicis, sed simplicibus verbis, & capacitati Pœnitentis conuenientibus: videlicet, quod dictus articulus cum sit de Fide, omnes Christiani tenentur sub pœna æternę damnationis se illi conformare, & de illo sentire secūdum Ecclesiæ determinationem, cum Ecclesia non possit vnquam errare in Fide, vel articulis fidei. *cap. à recta, 24. quęst. 1. S. Thom. & Theologi communiter. Panor. in c. à nobis, 28. de sentent. excommunicationis num. 2. cum alijs, & Doctor. communiter:* & si quis secus faciat, statim constituitur in pessimo, & damnato hæreticorum statu, & fit reus gehennę, & excluditur ab ęterna Dei beatitudine, vt diaboli membrum. *cap. 3. de hęretic.* His & similibus rationibus, non autem prędictorum textuū & Doctorum allegationibus, exequutor debet instruere latricem, antequam ei impertiat absolutionem, & si hanc instructionem omittat, existimo absolutionem inualidam; nam hic ponitur tanquam conditio sine qua non, ob præcedentem dictionem, *postquam.* vt in pręcedenti diximus. Secūdo, quia est de forma à M. P. pręscripta, & forma etiam in minimis est obseruanda, vt alias probauimus, & si deficiat in minimo, actus corruit. *l. cum hi, 8. §. si prętor, ff. de transact. l. non dubium, 5. C. de legib.*

Lanientur, &c. Exequutor retineat apud se pręsentis absolutionis litteras, & nō restituat latrici, sed eas minutatim laceret: non enim videtur satisfieri menti M. P. nisi huiusmodi litterarum pagina dimidietur saltem, vt alias in Secunda pręcedenti Parte diximus.

Nullum earum, &c. Dictio, *nullum*, cum sit vniuersalis negatiua, & omnia excludat. *cap. si Romanorum, 19. dist. prope med.* infertur, quod neque originale conseruari, neque inde sumptum, seū copia simplex extrahi debet. Secundo infertur, quod sigillum in- *Dictio, nullū est vniuersalis negatiua.*

Sigillum facit scripturā authenticam.

de amouendum, & minutatim pagina præsentium litterarum laceranda, ne priuatum, aut authenticum earum extet exemplum; quia sigillum appositum in scriptura, & ipsius scripturæ integritas, faciunt scripturam authenticam, & in forma probanti. *cap. scripta, 2. & cap. inter dilectos, 6. de fide instrum. vbi Doctores.* Existimo tamen satis esse, si in duas diuidantur partes, vel æquales, vel quasi æquales. Hoc dico, vt notabiliter lacerentur, quia per huiusmodi lacerationem litteræ patiuntur enormem fracturam, & derogatur illarum fidei, probationisque vim amittunt. *dicto cap. inter dilectos, vbi Panorm. n. 4.* Et hoc in odium hæresis.

PRO LAICO HÆRETICO.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quod ipse aliàs quibusdam opinionibus hæreticis adhæsit, & idcirco in censuras Ecclesiasticas incidit. Cum autem, &c. dictus lator ad cor reuersus, de præmissis plurimum doleat, pro sua conscientię quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui. Quare, &c. dictum latorem, dummodo non habeat complices, vel conscios, audita prius ipsius Sacramentali Confessione, postquam prędictos errores, & omnes quascumque alias ab Ecclesia damnatas hęreses coram te abiurauerit, & detestatus fuerit in forma solita, ab excommunicationis, aliisque sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter pręmissa quomodolibet incurrit, hęresi, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. iniuncta, &c. vt in præcedenti.

opinio, & sententia idē sunt.

Opinionibus hęreticis, &c. Opinio idē est ac sententia. *l. a Proconsulibus, 19. C. de appell. vbi glos. in verbo opinionis, & l. sciendū, 6. vbi glos. in eodem verbo, opinionem, ff. de appell. recipien.* & hæresis appellatur

hic

hic nomine sententiæ, quia hæretici contra Catholicam fidem, & sanctas Ecclesię definitiones iniquam suorum errorum quasi sententiam proferre ausi sunt, & credentes hęreticorum erroribus iudicantur hæretici. *c. penult. §. fin. de haretic.*

Adhærere &c. Id est, sequi tanta pertinacia, & intrinseca tenacitate, vt mediantibus huiusmodi opinionibus euaserit vnum corpus, & vna anima cum ipsis hæreticis; hoc enim importat istud verbum, *adhęrere*, vt *c. damnamus*, 2. *de sum. Trinit.*

Dũmodo non habeat, &c. Hęc clausula importat conditionem vigore dictionis, *dummodo*, vt sæpius diximus: ideò excludit omnino complices, ad hoc vt lator possit absolui.

Complicum nomine qui veniant.

Complices, &c. Nomine complicum, hic non veniunt omnes illi, qui eosdem errores sectantur, sed tantum illi, quorum opera, auxilio, & societate indiuiduali lator in prædictam hæresim lapsus, eamque secutus est: hoc enim importat istud nomen complex. *c. ex parte*, 15. *de foro cõpetenti. c. cum Vuintonien.* 25. *de elect. & declarauit Sanctiss. D. N. Vrbanus VIII. in infrascripta sua Cõstitutione in illis verbis*: ***Sed tamen habent complices, quia magistri, vel discipuli aliorum sunt, vel alio modo in hęresi cũ alijs cõplicati*** alias frustra apposita fuisset hęc clausula, cũ nulla fere sit hæresis, quæ suos non habeat sectatores; & ideò vnusquisque hæreticus habet in hoc sensu complices, & consequutiue neminem posset M. P. absoluere ab hæresi, cum iuxta reformationem S. Pœnitentiariæ factam à Sanctiss. D. N. Vrbano huius nominis VIII. sub litteris in forma Breuis expeditis die 27. Septembris anni 1634. Pontificatus sui XII. illi expresse prohibeatur absoluere hæreticos occultos, qui habent complices, nisi prius se præsentauerint sancti Officij Inquisitori, vel Ordinario, seù eius Vicario generali, coram altero eorum, & Notario, ac duobus Religiosis nominauerint complices, & secretè abiurauerint.

Vel conscios, &c. Id est, eos, cum quibus de sua hęresi colloquutus fuerit, prout in prędicta Constitutione declaratur: & hos etiam Inquisitori, &c. vt supra, prius nominare tenetur, antequã a M. P. possit absolui.

Insurgit difficultas: Si lator vnum tantum complicem habeat,

beat, vel vnum conscium sui erroris, an possint ei huiusmodi litteræ suffragari ad hoc vt per nostrum exequutorem absoluatur, cum prædicta Cõstitutio, & præsentes litteræ, loquantur in numero plurali. Pro parte negatiua videntur facere *l.1.§.si stipulanti, de verbi obligat. & c.1.de arbitris in 6.* vbi dicitur in maiori summa inesse minorem & sic in numero plurali inest singularis.

Secundò, agitur de re maximè perniciosa Reipublicæ, & animarum saluti, extirpanda, & ideò omnis dispositio desuper facta debet strictè, & rigorose interpretari ad fauorem dictæ extirpationis, &c. cùm *in* tam graui crimine, cum multa oporteat cautela procedere. *c. vt officium,* 11. *§.verum, de hæret. in 6.* Ergò huiusmodi dispositio habet locum in vno complice, vel conscio: ergo litteræ præsentes non suffragãtur latori existente complice, &c.

Tertio, exclusio complicũ ideò fit, vt sic concepta hæresis facilius euanescat, & hæreticus ad cor reuersus, tenacius in fide perseueret, cùm complicum calore destituatur: sed hæc ratio militat tam in vno, quam in pluribus cõplicibus: ergo dicta Constitutio, & litteræ Maioris Pœnitentiarij, æque excludunt vnum, ac plures complices: ergo existente vno complice, vel conscio, litteræ absolutionis huiusmodi latori non possunt suffragari.

Contrarium tamen alij verum, vel saltem probabilius esse existimant. Primò, quia tam prædicta Constitutio, quàm præsentes litteræ, loquuntur in numero plurali, qui numerus vno non contentatur, vt benè notauit *Card. Thuscus in suis pract. Conclus. tom.2. litt. D. conclus.333.n.1. & litt.P. conclus.367.* Sed in duobus ad minus verificari debeat. *l. vbi numerus,* 12. *ff. de testibus. l. libertas,* 17. *§. vltim. ff. de manumiss. testam. c. pluralis locutio,* 41. *de reg. iuris in 6.*

Secundo, quia vnum, & nihil æquiparantur à DD. communiter, per *c. cum dilecti,* 18. *§. fin. de accusat. l. iusiurandi,* 9. *C. de testibus.* *Vnum & nihil æquiparantur.*

Tertio, quia agitur de salute animæ, ac propterea de causa fauorabili; & ideò quæ ad fauorem animæ faciunt, sunt in dubio amplianda, & quæ ad eius salutem retardandam faciunt, sunt in dubio restringenda, & ideò si lator vnum tantum complicem habeat, vel conscium, potest vigore huiusmodi litterarum absolui.

Quid

Quid agendum, si lator haberet vnum complicem, & vnum conscium. Auctores secundæ sententiæ existimant adhuc posse absolui, quia singuli faciunt diuersas species, & insimul vniti non possunt constituere in altera earum indiuidualem pluralitatem, quę requiritur à prędictis Cõstitutione, & litteris; & ideo non possunt retardare latoris absolutionem, ob rationes easdem superius allegatas de vno complice.

Hoc tamen secundum tutiorem sententiam reijciendũ videtur. Tutiorẽ existimo primam sententiam; quia litteræ M. P. fundantur in facultate sibi concessa in allegata Constitutione Vrbani Octaui, quæ loquitur de hæreticis pœnitẽtibus in plurali, & ideo subiungit complices in plurali.

Secundo, quia eadem Constitutio declarando, qui sint isti complices, exemplificat in Magistro, qui regulariter est vnicus cum vnico discipulo: & inde colligitur, quod eius intentio sit etiam, vnicum excludere complicem in sua dispositione.

Tertiò, licet vnus complex, & vnus conscius non constituant duos complices, attamen faciunt duos conscios, & ideo cadunt sub dicta prohibitione.

Ad rationes secundæ sententiæ respondetur, sub plurali non excludi singulare in dispositionibus, quando constat de mente disponẽtis, prout in nostro casu.

Ad secundam respondetur, quod vnum, & nihil æquiparentur, non esse simpliciter verum, aliàs sequerentur infinita absurda; videlicet quod vnum homicidium esset nullũ homicidium, vna ciuitas esset nulla ciuitas, & similia, quæ nemo sanæ mentis admittere potest; sed solum æquiparantur quoad effectum constituẽdi legitimum iudicium, & cõdemnandi reum, ita vt ex vnius dicto Iudex neminem iudicare, & condemnare possit, eo quod dictum vnius, tam parui sit, ac si non esset, quia vnus facile decipi potest, & solummodo in ore duorum, vel trium stat omne verbum.

Ad tertiam respondetur, in rebus ad salutem animæ spectãtibus tutiorem partem esse tenendam; ergo prima sententia obseruanda est.

Postquã abiurauerit, &c. Id est, penitus renunciauerit cum iuramento. *glos. in c. accusatus, 8. in figuratione casus de hæreticis in 6.* *Abiurare est penitus renunciare.*

Detestatus fuerit, &c. Id est, de eis vt erroneis, & perniciosis maledixerit.

In forma solita, &c. Forma abiurationis poterit esse infrascripta.

Formula abiurationis. *Ego N. Constitutus personaliter, & genuflexus coram te N. Sacrosancta Dei Euangelia corãme posita manibus corporaliter tangẽs, sciens neminem saluum fieri posse extra illam Fidem, quam tenet, & credit, prædicat, profitetur, & docet Sancta, Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia, cuius caput est ad præsens D. N. P. N. contra quam fateor, & doleo me grauiter errasse, quia tenui, & credidi vsque ad diem præsentem, quod hæretici tenẽt, & credunt; videlicet,* & hic exprimit indiuidualiter suos errores hæreticales post quos subiungit.

Ideò nunc de veritate catholicæ fidei, & de hæreticorum secta falsitate certus, abiuro, maledico, & detestor omnes supradictas hæreses, & errores, vna cum quibuscũque alijs hæresibus, & erroribus, contra dictam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam se se quomodolibet extollentes: & iuro me nunc toto corde credere, & in futurum, Deo adiuuante, firmiter crediturum quidquid tenet, credit, prædicat, profitetur, & docet prædicta Sancta Mater Ecclesia Catholica, & Apostolica Romana: & iuro, ac promitto me nũquam hæreses prædictas, neque alias crediturum, nec minus familiaritatem, aut conuersationem cum hæreticis, vel de hæresi suspectis, (quoad potero) habiturum. Immo si aliquem talem in partibus Catholicorum cognouero, illum denũciabo Inquisitori, vel Ordinario loci, vbi fuero. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta illius Euangelia, quæ proprijs manibus tango.

Si lator præsentium ignoret linguam Latinam, poterit hanc formulam vernacula lingua proferre.

Iniuncta, &c. Videlicet, quod quamprimum poterit, visitet pedester Ecclesiam Sancti N. quòd bis, aut ter ieiunet in pane tristitiæ, & aqua doloris, & quater in anno confiteatur sacramentaliter peccata sua, & sumat Eucharistiæ Sacramentũ: huiusmodi enim pœnitentiam solent Inquisitores imponere sponte comparentibus, prout videri potest in Praxi Sancti Officij per R. P. Fr. Elisæum Marinum typis demandata.

A CRI-

A CRIMINE FALSI.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Quòd ipſe aliàs in quadam diſpenſatione à Sede Apoſtolica obtenta nonnulla verba immutauit, & idcircò in excommunicationem incidit. Cum autem, &c. lator prædictus de præmiſsis, quæ occulta ſunt, plurimum doleat, pro ſuę conſcientię quiete cupit per Sedem Apoſtolicam abſolui. Quare, &c. Quatenus ſi eſt ita, dictum latorem, audita prius eius ſacramentali Confeſſione, dummodo non ſint verba, quæ alterent gratiam, ab excommunicationis ſententia, quam propter prǽmiſſa incurrit, abſoluas hac vice, &c. Iniuncta, &c. iniungenda, in foro conſcientię, &c. & non aliter, &c. ita quod, &c.*

Diſpẽſationis nomine veniunt ſupplicationes ſignatę à D. Papa, vel eius officialibus.

Diſpenſatione, &c. Nomine diſpenſationis hic ſumuntur non ſolum litteræ expeditæ, verum etiam earum ſupplicatio, poſtquam à Papa, vel eius officialibus ſignata fuerit, prout exprimitur *in 6. capite Bullæ in Cœna Domini:* nam huiuſmodi ſupplicatio eſt velut anima, quæ dat eſſe Litteris Apoſtolicis, quia ſecundum illarum formam conficiũtur litteræ ad vnguẽ, cum ſupplicatio nihil aliud ſit, quã petitio in ſcriptis exhibita. Dixi, ad hoc, vt dicatur Apoſtolica, neceſſe eſſe vt ſit ſignata à Domino Papa, vel eius nomine ab eius officiali, cuius vigore litterę confici debeant, & expediri ſub nomine Summi Pontificis, non autem ſub nomine officialium Pontificis, ſeu Congregationum, &c. alias enim ſupplicatio non ſignata remanet in ſuo eſſe priuato, & ſic non cadit ſub cenſura contra falſificantes litteras, & ſupplicationes Apoſtolicas inflicta. In materia enim pœnali ſtricta fit interpretatio. *c. in pœnis, 49. de reg. iur. in 6. c. ex litteris, 11. de conſtitut.*

Immutauit, &c. Huiuſmodi verborum mutatio fit, vel ſubrogando alia in totum, vel in partẽ addendo, vel delẽdo, aut mutando aliquam litterarum, per quam ſignificatio dicti verbi, & ſenſus alteretur: v.g. ſi loco verbi, *cedet iura*, apponatur *cedit*, vel *ceſſit iura:*

iura: præteritum enim excludit præsens *l. si quis, 7. ff. de iurisdict. omnium Iudicum*, & e contra; & alia similia verba, quæ notabiliter mutant sensum in dispositionibus.

Dummodo non sint verba, &c. Hæc clausula ob dictionem, *dummodo*, importat conditionem, quæ prius verificari debet, antequam lator præsentium absolui queat.

Alterent gratiam, &c. Id est mutent, & varient sensum, & intentionem concedētis: alterare enim est quasi alterum facere.

Alterare gratiam quid sit.

Alteratio fieri potest, vel in narratiua petitionis, vel in dispositiua gratiæ concessæ, vel in datę appositione. Narratiua alteratur, cùm facti, vel petitionis series variatur. Secūdò dispositiua concessionis alteratur, cum extenditur, & magis ampliatur gratia, quàm fuerit intentio concedentis. Tertio alteratur data, vel cum ponitur antedata, id est, dies pręcedens ipsam concessionem, quo sic eluditur alterius præuentio, prout est in rebus beneficialibus, & gratiosis, quę sequuntur primos impetrātes; prior enim in data est porior in iure. *c. qui prior, 54. de reg. iur. in 6. l. qui balneum, 9. & l. potior, 11. ff. qui potiores in* *pign. hab.* vel cū ponitur postdata, protrahendo diem concessionis, ad effectum derogādi prioribus concessionibus, quia vltima derogant prioribus. *c. 1. de constit. in 6. l. pacta nouissima, 12. C. de pactis. l. sed & posteriores, 28. ff. de legibus, vbi glos. in verb. pertinent.*

Et quibus modis fieri possit.

Prior in tempore est potior in iure.

In his tribus locis litteras Apostolicas intueri diligēter debet, qui de earum falsitate cognoscere velit: in alijs partibus prędictarum litterarum, verba sunt modici momenti, & ideo non inducunt falsitatem. *argum. c. final. de crimine falsi, vbi glos. in verb. rasuras.* Ideo si verba fuerint in his litterarum partibus per latorem mutata, & alterent gratiam, non ei suffragabuntur huiusmodi litteræ, & ideo non poterit vigore illarū absolui per nostrum exequutorem.

Falsitas in litteris Apostolicis quomodo inuestiganda.

Ab excōmunicationis, &c. Quæ habetur in *c. ad falsariorum, 7. de crimine falsi, & nouissimè in Bulla Cœna Domini, cap. 6.*

Et alijs, &c. Videlicet, quod iuramento promittat à similibus excessibus in futurū abstinere, & si alicui forsan damnum attulit, illud reficere, & alia peragere, ad quæ latorem teneri noster exequutor iudicauerit.

AB-

ABSOLVTIO

Pro Laicis, qui scalam cuiusdam Clerici deuastarunt, &c.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Quod ipsi aliàs scalam cuiusdam Clerici deuastarunt; & cum lata esset excommunicatio contra scientes, & non reuelantes huiusmodi delictum, ne se proderent, illud minimè reuelarunt. Cum autem, &c. dicti latores de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleant, & pretium, seu æstimationem damni prædicti illati curauerint prædicto Clerico persolui, & consignari; pro suæ conscientiæ quiete cupiunt per Sedem Apostolicam absolui. Quare, &c. dictos latores, audita prius eorum Sacramentali Confessione, si aliud non superest, in quo dicto Monitorio de iure parendum sit, ab Excommunicationis sententia, quam propter præmissa quomodolibet incurrerunt, absoluas hac vice, &c. Iniuncta, &c. iniungenda, &c. in foro, &c.*

Pretii appellatione proprie venit pecunia.

Precium seu, &c. Pretij appellatione propriè venit pecunia numerata. *l. quod si seruus, 3. §. fin. & l. si res, 5. ff. de in rem verso. d. l. 1. §. sed verior, ff. de contrahenda empt.* lato sumpto vocabulo venit quicquid pro re datur. *d. l. 1. ff. de contrahenda emption.* Ad hoc autem, vt sit pretium, necesse est, vt interueniat æqualitas valoris. *d. l. 1. ff. de contr. empt.* quæ æqualitas colligitur ex communi, & publica æstimatione. *d. l. 1.*

Et ideo latores tenentur reficere omnes expensas, quas Clericus in restauratione dictæ scalæ fecit. *c. si læserit, 4. de iniurijs, & damno dato:* hoc enim importat verbum illud, *æstimationem*; & si non integrè satisfecerunt, antequam absoluantur integre satisfaciant. *cap. porro, 7. de sent. excomm.* si possunt; aliàs promittant, quamprimum poterunt

runt se satisfacturos, & super hoc ab illis recipiatur iuramentum.

Dictio, si, importat conditionem. *Si aliud*, *&c.* Cum dictio, *si*, importet conditionem. *l.1.§. item si quis*, *ff. de verb. obligat.* necesse est, vt latores prius paruerint Ordinario in ijs omnibus, quæ in Monitorio desuper ab eodem Ordinario emanato continentur, antequam absoluantur ab excommunicatione; quia facultas huiusmodi absoluendi latores, fuit concessa cum hac conditione, & nemo regulariter durante sua contumacia, & inobedientia, debet absolui.

In quibus de iure, *&c.* Hæc verba declarant præcedentia, videlicet, latores debuisse prius parere suo Ordinario in ijs tantum, ad quæ de iure tenentur: de iure autem non tenentur suam occultam turpitudinem propalare, & sic arma contra se exhibere. *c.1. de probat. l. nimis graue*, 7. *C. de testib. & l. qui accusare*, 4. *C. de edendo*. Et ideo latores non tenentur obedire Monitorio sui Ordinarij in ijs rebus, quæ adimplere nõ possunt absque proprij delicti propalatione.

Secundo, neque tenentur parere in ijs, quæ sibi per impotentiam difficillima sunt, quia valde difficilium, & impossibilium idem est iudiciũ. *l. idem Iulianus*, 41. *§. constat*, *ff. de legat.* 1. & sicut non obligantur de iure ad impossibile, ita neque ad valde difficile. quæ tamen omnia nostri exequutoris determinanda sunt prudenti arbitrio.

Aduertat noster exequutor, quod parum interest, an omnes latores, vel alter eorum, loco omnium dicto Clerico satisfecerint, & integre contentis in Monitorio paruerint ad hoc vt possint absolui: quia M.P. nihil aliud per prædictas clausulas intendit, nisi Clerici læsi satisfactionem, & Ordinarij obedientiam; quæ si æque bene, & totaliter adimpleantur per vnum, ac per omnes, sufficit si ab altero eorum præstentur.

Iniuncta, *&c.* Pro pœnitẽtia latoribus imponerem inuisere bis, aut ter Ecclesiam, in qua est adscriptus dictus Clericus; vel saltem Ecclesiam Cathedralem, & ibi Sacrum singulis vicibus audire, vel Coronam ibi B.V. recitare, quia in persona Clerici Ecclesia læditur, vt aliàs diximus.

PRO

PRO MVLIERE,

Quæ ingressa est claustra Religiosorum ad malum finem.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quod ipsa aliâs ad malum finem ingressa Monasterium Religiosorum, ab altero ex illis se carnaliter cognosci passa fuit, & idcirco in excommunicationem incidit. Cum autem, &c. latrix prædicta de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolui. Quare, &c. quatenus si est ita, dictam latricem, audita prius ipsius Sacramentali Confessione, ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrit, & excessibus huiusmodi absoluas hac vice, &c. Iniuncta, &c. quodque ad Monasterium dicti Religiosi, illiusque Ecclesiam, quamdiu dictus Religiosus ibi fuerit, nunquam accedat, & aliis, &c. iniungend. In foro conscientiæ, &c. Ita quod si ad dictum Monasterium, illiusque Ecclesiam durante occasione accesserit, in eandem excommunicationem eo ipso relabatur. Datum, &c.

Ingressa, &c. Pius Quintus san. mem. per suam Constitutionem, quæ incipit, *Regularium, &c.* reuocauit omnia priuilegia, & licentias concessa mulieribus etiam in dignitate constitutis, ingrediendi claustra Religiosorum, & pœnam Excommunicationis latæ sententiæ apposuit transgressoribus: & per aliam suam Constitutionem, quæ incipit, *Decet Romanum*, declarat, hanc Excommunicationem incurri a mulieribus ingredientibus dicta claustra non solum vigore suorum priuilegiorum, & licentiarum, verum etiam si ingrediantur quascunque alias ob causas.

Quæ

Quæ occulta, &c. Si latricis excessus sit publicus ea publicitate, quæ excludat esse occultum, exequutor desistat ab ea absoluenda, quia litteræ præsentes erunt subreptitiæ, & ideo nullæ, vt aliàs diximus: non enim M. P. casus publicos ad confessarios remittit, sed ad locorum Ordinarios.

Et excessibus, &c. Multiplex est latricis excessus, videlicet prohibita ingressio, & sacrilegium, quia in loco sacro, & cum persona Deo dicata turpiter se immiscuit.

Quodque ad Monasterium, &c. Præter ea, quæ superius diximus in explanatione formulæ pro Religioso, qui intra sui Monasterij claustra introduxit, &c. nonnulla, quæ propria huius formulæ videntur esse, superaddam.

Monasterium, &c. Nomine huius Monasterij venit illud, in quo non per transennam, & illico discessurus, sed tamquam vnus de familia dictus Religiosus cohabitat, & propterea dicitur Monasterium dicti Religiosi. Genitiuus enim, vel importat dominium rei, cui coniungitur, vt bene notat *Bart. in proœmio ff.* vel quandam facultatem, seu ius administrandi, & possidendi. *glossa in c. 1. verbo, terram propriam, de poss. Prælat. quam sequitur Panor. in cap. quia, 11. num. 4. de Iudicijs.* Neutrum tamen ex his dictus Religiosus habet, & exercere potest in alieno Monasterio, in quo per transitum, & statim discessurus cōmoratur. Credo tamen, si ibi per notabile tempus esset commoraturus dictus Religiosus; nomine sui Monasterii hoc loco etiam istud Monasterium subintelligendum; & ideo latrix non posset, neque ad illud, neque ad eius Ecclesiam accedere, quandiù ibi ille commoraretur.

Genitiuus importat dominium, vel quasi dominium.

Ex quo colligitur, nomine Monasterii dicti Religiosi, venire, non solum illud, in quo est perpetratus huiusmodi excessus, verum etiam alia Monasteria, in quibus ille est successiuè commoraturus de familia, vel ad longum tempus. Nam prohibitioni non dedit causam Monasterium secundum se sumptum, sed in quantum ibi commoratur dictus Religiosus.

Durante occasione, &c. Id est, dicto Religioso ibi manente, qui fuit latrici occasio peccandi, illius mouendo affe-

ctum

Occasio mouet affectum non tamē tribuit effectum.

ctum ad peccatum. Occasio enim licet non tribuat ex se effectum, mouet tamen affectum, vt notat *Panor. in cap. si quando, 5. num. 22. de rescript.* & in hoc differt à causa, quæ de sui natura sufficienter concurrit ad producendum effectum in suo genere, id est, vel in genere causæ finalis, efficiētis, materialis, vel formalis. Hęc tamen occasio cū sit leuis ratio mouens affectū, vt causa insufficiens, non id præstat, & sic differt à causa. *c. solita, 6. de maior. & obed. in princ.*

Accesserit, &c. Vide quę diximus in præallegata formula pro Religioso, qui introduxit, &c.

In eandem, &c. Latrix si accedat amplius ad prædicti Religiosi Monasterium, eiusque Ecclesiam, quandiù ille ibi fuerit; eo ipso relabetur in eandem excommunicationē. Vide quæ diximus in præcedentibus formulis pro percussore Clerici ad hoc propositū.

PRO ABSOLVTIONE Viri Laici, seu Religiosi, qui sit ingressus claustra Monialiū ad malum finem, Litteræ conficiuntur, vt in præcedenti formula.

ABSOLVTIO

Pro Laicis, qui bona naufragata acceperunt.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Quod ipsi alias nonnulla bona ex naufragio in mari facto acceperunt, excommunicationis sententiam propterea incurrendo. Cum autem, &c. latores prædicti de præmissis plurimum doleant, pro suæ conscientiæ quiete cupiunt per Sedem Apostolicam absolui. Quare, &c. quatenus si est ita, dictos latores, & quemlibet eorum, audita prius eorum sacramentali Confessione, postquam bona sic accepta, seu illorum valorem Dominis, si certi sint, restituerint, vel cum illis concordauerint; si verò Domini incerti sint, & illa non habeantur pro derelictis, Ordinario loci arbitrio suo inter pauperes distribuenda consignauerint, ab excommunicationis sentētijs, &c. quam propter præmissa.*

premissa incurrerunt, absoluas hac vice, &c. iniuncta, &c. ac sub debito præstandi per eos iuramenti, quòd in futurum similia non committent, & alijs, &c. iniungenda in foro conscientiæ, &c.

Naufragium quid sit. *Ex naufragio, &c.* Naufragium est quasi nauifragium, id est, nauis fractura, ex qua rerum, & corporũ periclitata sequitur submersio, & dispersio. *l. 3. C. de naufrag. l. 2. cum sequent. ff. ad leg. Rhod. de iactu. l. ne quid, 7. ff. de incẽdio, ruin. & naufrag.*

Rapere bona naufragata est furtum. *Acceperunt, &c.* Tam de iure ciuili est prohibita ista acceptio, & reputatur furtum, vt per *totos tit. C. de naufrag. ff. ad leg. Rhod. de iactu, & ff. de incendio, ruina, & naufragio*, quàm de iure canonico. *c. excommunicationi, 3. de raptoribus, & in cap. 4. Bullæ in Cœna Domini.*

Ab excõmunicationis, &c. Duplex adest excommunicatio contra rapientes bona naufragata, sed non sub eisdem prætextu, & ratione, sed sub diuersis: nam in *d. c. excommunicationi*, solum fulminatur sententia contra retinentes, & non restituentes dicta bona à se ablata, vt aperte patet ex illis verbis, *nisi ablata reddiderint:* & hæc excommunicatio non est reseruata.

In Bulla vero Cœnę Domini fulminatur excommunicatio cõtra rapientes bona naufragata, dum in ea dicitur: *Excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcunque nauibus, tempestate, seu in transuersum, vt dici solet, iactatis, vel quoquo modo naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eisdem eiecta mari, vel in littore inuenta cuiuscunque generis bona surripuerint.* Ex quibus verbis etiam collige, ad incurrendam huiusmodi censurã, quinque omnino cõcurrere debere. Primo, vt ista bona surrepta sint verè surrepta, id est, ablata animo non reddendi Dominis: qui enim accipiunt animo ea reddendi Dominis, non sunt fures, sed custodes. Secũdò, vt sint bona Christianorum, non tamen piratarum, qui hostibus æquiparantur. *l. hostes, 24. ff. de capt. et postlim. reuer. & l. hostes, 118. de verborum signific.* & consequenter possunt bonis spoliari. *l. nauigia, 18. C. de furt.* Et multo minus Hæreticorum, qui non veniunt nomine Christiano-

Quæ requiruntur ad hoc vt incurratur excommunicatio contra rapientes bona naufragata.

Piratæ æquiparantur hostibus.

rum

rum in fauorabilibus. *c. sicut*, 8. *de hæreticis*. Tertiò, vt sint bona nauis iam naufragiũ passæ, non autem passuræ; & ideò excluduntur surreptores bonorum ante naufragium, vel in trepidatione, & periculo ipsius naufragij, nisi sint bona iacta in mari ob periculum imminens naufragij: nam istorũ surreptores includuntur *in Bulla Cœnæ Domini*, per illa verba, *siue è nauibus eiecta*. Quartò, vt istud naufragium fiat in mari, non autẽ in flumine. Quintò, vt surreptio fiat in mari, vel in eius littore; & ideò hoc loco non admittitur surreptio bonorum nauis naufragium quidem passæ, sed alibi repertorum; & è contra admittitur surreptio bonorũ nauis in flumine naufragium passæ, sed in mare, seu in eius littore repertorum; nam sumus in lege pœnali, leges autem pœnales, vti verba sonant, intelligendæ sunt, nec sunt extendendæ vltra propriam verborum significationem. *l. factum cuique*, 198. *S. pœnalia, vbi Decius num*. 5. *ff. de reg. iur. c. in pœnis*, 49. *eod. tit. in* 6.

Constitutio pœnalis non est extendenda ex similitudine rationis. Etiam si similitudo rationis videretur suadere extensionem, adhuc non est facienda ista extensio, vt bene adnotarunt *Io. Andr. in c. odia*, 15. *de reg. iur. in* 6. *Imola in l. si verò*, 65. *S. de viro, col*. 8. *ff. solut. matrim.*

Verum tamen est, eos qui surripiũt bona eorum, qui patiuntur naufragium in flumine, & ablata non restituunt, nõ esse liberos à sentẽtia excommunicationis contentæ in *d. c. excommunicationi*.

Audita prius eorum, &c. Singuli in actu sacramentalis suæ Confessionis absoluendi sunt, & ideo nõ debet exequutor prius audire omnium latorum præsentium confessionẽ, & postea vnumquenque illorum absoluere ab excommunicatione: dictio enim, *prius*, nõ cadit directè super sequẽs verbum, *eorum*, sed super, *sacramentali Confessione*, & in obliquo super verbo *eorum*.

Postquam bona, &c. Præcedere debet absolutionẽ restitutio dictorũ bonorũ, cum peccatum non remittatur, nisi restituatur ablatũ. *c. cum tu*, 5. *§. super his, de vsuris*: vel saltẽ cõcordia super illis, cum eorũ Dominis facienda, quia dictio, *Postquam*, includit solummodo tempus præteritum, & excludit omnino præsens, & futurum, vt aliàs diximus.

Vel eius valorem, &c. Quando res ablata restitui nequit, debetur illius valor, id est, pretium, vel aliquid æquiualens.

ualens. *l. in re furtiua, 8. ff. de conditione furtiu.*

Vel cum eis concordauerint, &c. Cum per præsentẽ clausulam nihil aliud intendatur nisi satisfactio præstanda Dominis bonorum surreptorum, & Domini sint suarum rerum liberi moderatores, & arbitri. *l. in re mandata, 21. C. mandati, l. in traditionibus, 49. ff. de pactis*, & possint donare dicta bona, & remittere obligationem illa restituendi, vel alio quouis modo de eis disponere; ideò ponitur ista alternatiua, per quam remittitur qualitas satisfactionis huiusmodi pręstandę, vel nō pręstandæ, arbitrio ipsorum Dominorum: si enim Domini remittunt istam obligationem, etiam M.P. censetur remisisse, quia in inuitum non confertur beneficium. *l. fin. C. vnde legitimi. l. hoc iure, 19. §. non potest, ff. de donat. l. inuito, 70. & l. inuitus, 199. §. quod cuique. ff. de reg. iur.* Præcedere tamen debet huiusmodi transactio, & concordia, quia est copulata dictioni, *postquam*; hęc locum habent, quādo Dñi certi sint, id est, quādo sciantur, qui sint.

Beneficium non cōfertur in inuitum.

Si verò incerti, &c. Incertum est quod ignoratur. *l. subsignatum, 39. §. fin. ff. de verborum signif.* Ignorātia verò etiā famam excludit, quia non dicitur ignorari illud cuius est fama publica. *arg. c. cum desideres, 15. §. secundo, de sentent. excommunic.*

Incertum est quod ignoratur.

Quid dicendum, si dubitaretur, quinam essent veri Domini? Non ita facile admitterē in hoc casu incertitudinem ad effectum, de quo hic agitur, quia dubium consistit in contrariarum rationum æqualitate; & ideò cum probabiles cōiecturæ existant, quę inducunt cognitionem aliqualem Dominorum prædictorum bonorum, & rationes in cōtrarium facientes solum consistant in æquilibrio, nō autem illas tollant, & superent; ignorantia excluditur, & cōsequenter incertitudo: ac propterea determinatio huius difficultatis relinquenda est arbitrio, & prudentię nostri exequutoris, qui vtrasque ratione librabit, & eas, quæ aliquo modo sibi probabiliores videbuntur, admittet.

Dubium non inducit incertitudinem.

Pro derelictis, &c. Per hęc verba limitatur obligatio restituendi; nam de iure gentium est, res, quæ in nullius bonis sunt, fieri primi occupantis. *instit. de rerum diuisione, & acquirendo rerum dominio, per totum.* Sed ea bona quæ habentur pro derelictis in nullius bonis sunt; res enim à Domino pro derelicta habita

Res prò derelicta statim desinit esse illius Domini.

ta, statim desinit illius esse. *Castrens. in l. 1. n. 1. ff. pro derelicto*. ergo fiunt primi occupantis, *d. l. 1. cum sequent. vbi glos. & DD. ff. pro derelicto*. & occupans non tenetur illa restituere, sed fecit sua. *Panor. in c. cum dilectis, 15. num. 11. de accus.* Ideo M. P. per hæc verba declarat se nolle latores adstringere ad restitutionem, si surrepta bona habeātur pro derelictis, sed solum, quando non habeantur pro derelictis. Quæ autem res habeantur pro derelictis, non ita facile est determinare; quia cum non sint ex illis rebus, quæ de sui natura nullius sunt, & de iure naturali fiunt primi occupantis, sed ex illis sunt, quæ alterius erāt sub dominio, & ideo non fiunt occupantis; & regulariter quod ex naufragio expulsum est, in derelicto non est, sed in deperdito; & quod iactum est non potest videri pro derelicto, quia salutis causa interim dimissum est. *l. interdum, 21. §. quod ex naufragio, ff. de acquir. vel amitten. possess.* Propterea necesse est inuestigare, an Dominus à se abdicauerit illarum dominiū, & possessionem, quæ mente conseruantur, & non perduntur per earum violentam expoliationem, sed semper præsumuntur, donec probetur cō-

Dominium non deperditur per violētam spoliationem.

trarium. *cap. cum Ecclesia Sutrin. 3. de caus. possess. cap. olim 17. de restitut. spoliat. Bartol. & Doctores in l. siue possidetis, 16. vbi etiam glossa, C. de probat.* Ad coniecturas igitur recurrendum est, quando non habetur expressa desuper ipsius Domini declaratio, prout est in casu nostro; per coniecturas enim occulta, seu dubia panduntur, & declarantur. *cap. afferte, 2. de præsumptionibus.*

Ex quibus cōiecturis colligatur res pro derelicta haberi.

Quænam esse possint huiusmodi coniecturæ sufficienter probantes aliquas res haberi pro delictis, breuiter indicabo, reducendo eas ad tria capita: alterum deductum per iuris interpretationem ex persona proijcientis: alterum ex ipsa re proiecta: alterum demum ex ipso proiectionis actu.

Coniectura ex proiicien te.

Ex persona proijcientis deducitur, qui non præsumitur res proiectas, vel dispersas pro derelictis habere, quando post tempestatem illas statim perquirit ablaturus. *l. qui leuandæ, 8. ff. ad legem Rhod. de iactu.* Ergo si postea non perquirat, nec faciat diligentias pro illis recuperādis præsumuntur huiusmodi res pro derelictis. *Syluest. verbo, inuenta, n. 3. Angel. in summ. in verb. inuenta.*

Ex ipsa re deducitur coniectura, quando est ita res deteriorata, vt parum, aut nihil amplius inseruire possit pro eo vsu, ad quem de sui natura destinata est. Et ideò *Bart. in l. quod seruus, 36. ff. de stipulat. seruorum*, infert, si seruus languens denegatis alimentis à Domino dimittatur è domo, illum haberi pro derelicto, & libertati donari; secus verò si sit sanus.

Ex re proiecta.

Vel quando res de sui natura est talis conditionis, vt semel proiecta difficillime cōseruari, vel recuperari possit, vt v. g. si æs in mare spargatur, vel aues emittantur, & similia proijciantur, quæ de facili pereūt: huiusmodi enim res quando proijciuntur præsumuntur proijci animo excludendi à suo patrimonio, & à numero suarum rerum, & ita haberi pro derelictis. *l. si id, 5. §. id quod, ff. pro derelicto. l. falsus creditor, 44. §. si iactum, ff. de furtis.*

Altera demum coniectura deducitur ex ipsomet actu proiectionis; & primo, si fiat nullo præcedente periculo, sed solum ex libera proijcientis voluntate; hoc enim casu res proiecta præsumitur pro derelicta. *d. l. falsus. §. si quis spontè, ff. de furtis.*

Ex actu proiectionis.

Secus est, si proiectio fiat coactè. *l. qua ratione, 9. §. alia causa, ff. de acquir. rer. dominio. d. l. interdum, 21. §. quod ex naufragio, ff. de acquirend. possessione.* Nemo enim in dubio præsumitur velle deteriorare suam conditionem, & iactare suum. *l. cum de indebito, 25. ff. de probat. c. super hoc, 5. de renunciat. toto tit. de restit. spoliatorum. Panor. in c. nonne bene dicimus, 5. de præsumpt.*

Nemo præsumitur iactare suum.

Secundò, deducitur ex modo, quo res proijcitur, vt bene aduertit *glossa in dicta l. qui leuandæ, in verbo, habent, ff. ad l. Rhod. de iactu.* Si enim res proijcitur dissoluta adeo, vt sit facilius peritura, vt v. g. si liber apertus, aliæque merces distinctæ incomptæque proijciantur, & absq; suis cooperculis, pręsumuntur pro derelictis. *d. l. falsus, §. si iactū, vbi glos. in verb. plerumq; ff. de furtis.* Quod etiam benè aduertunt *glossæ in d. l. qua ratione, §. alia causa in verbo, committit, ff. de acquir. rerum dominio, & in l. si quis merces, 7. in verbo, si quis merces, il 2. ff. pro derelicto, & in l. 2. ff. ad leg. Rhodiam de iactu.*

Et hic nota, quod, si surripiantur bona naufragata habita pro derelictis, surripientes nullam incurrunt excommunicationē, nam huiusmodi bona statim ac habentur pro

dere-

derelictis, illicò desinunt esse ipsius Domini, vt bene notauit *Castrens. in l. 1. num. 1. ff. pro derelicto*. Et ideo possunt licite occupari, & surripi, & consequutiuè surripientes nullam incurrunt excommunicationem.

Ordinario loci, &c. Id est, Episcopo loci illius, in quo dicta bona fuerunt inuēta, & surrepta: vnusquisque Episcopus est Ordinarius in sua Diœcesi. *cap. licet, 12. §. quia tamen de officio Iud. ordinar. vbi glos. in verb. mandati. Siue eius Vicario generali*: hic etiam habet ordinariā iurisdictionem in totum territorium Episcopi *Innoc. Hostiens. & Panor. in c. sua nobis, de officio Vicarij. glos. in c. licet, 2. verb. officialem, de officio Vicarij in 6.*

Vicarii Episcoporum sunt Iudices ordinarii.

Arbitrio suo, &c. **Id est, Episcopi, siue eius Vicarij generalis.**

Consignauerint, &c. **Hoc** verbum denotat realem, & actualem traditionem rei, vel eius valoris, & ideo excludit nudam promissionē. Hæc etiā consignatio debet præcedere absolutionē, quia est hoc verbum vnitum eidem dictioni ***postquam***, quæ vt supra diximus, admittit solummodo tēpus præteritum, & excludit præsens, & futurum.

Sub debito, &c. Id est sub obligatione, verbum enim *debeo*, à quo deriuatur debitū, inducit obligationem, & necessitatem. *c. proposuit, 25. §. super quo, vbi glos. in verb. non debet, & c. oblatæ, 57. §. licet, de appell. l. si quis ex Argentarijs, 6. §. cogentur, ff. de edendo. l. 1. §. qui magistratū, ff. quod quisque iuris.*

Verbum, debet, importat obligationem.

Præstandi iuramenti, &c. In manibus nostri exequutoris debent præstare iuramentum de abstinendo in futurū à similibus excessibus. *c. grauem, 53. §. ideoque de sent. excomm.* quæ tamen cautio iuratoria potius ad cautelam, ex cōsuetudine Ecclesiæ, quàm rigore Canonum est inducta. *c. cum desideres, 15. §. cui quæstioni, de sent. excommun.*

Hoc iuramentum non est necesse vt præcedat, sed sufficit vt postea præstetur, quia obligatio illud præstandi imponitur pro parte pœnitētiæ: & hanc ob causam M. P. huiusmodi obligationē vniuit cum ipsa pœnitentia pro huiusmodi excessu imponenda, prout ex præsentium litterarum inspectione apertè colligitur: pœnitentia autem non est necesse vt præcedat, sed satis est vt subsequatur immediate post absolutionem, & sic etiā huiusmodi iuramentum, dum-

modo exequutor certus, sit à latore, vtrumque acceptandū esse: consulerem autem vtrumque præcedere.

Non committent, &c. Id est, per illicitam, & prohibitā actionem: ab hoc solum abstinere obligat iuramentum huiusmodi. *cap. ex tenore*, 10. §. *mandamus, de sent. excomm.* non autem prohibet licitam occupationem, ob rationes superius allatas.

REHABILITATIO.

FR. Antonius Barberinus, &c. Ex parte nonnullarum Monialium, &c. Quod cum aliàs vna ex ipsis intorduxisset intra sui Monasterij claustra quendam homiminem ad malum finem, consentientibus prædictis alijs latricibus, absolutionem desuper opportunam à Sede Apostolica in foro conscientię obtinuerint; cum hoc tamen inter alia, vt officijs, & dignitatibus sui Monasterij, si qua obtinerent, priuatæ, & ad illa, & alia in futurum obtinenda perpetuo inhabiles remanerent. Cum autem, &c. latrices prædictæ inhabilitatem huiusmodi iam per aliquod temporis spatium sustinuerint; neque diutius absque scandalo sustinere illam valeant, pro sua conscientiæ quiete cupiunt per eandem Sedem Apostolicam secum dispensari. Quare, &c. quatenus si est ita, cum eisdem latricibus, audita prius earum Sacramentali Confessione, & suffragantibus sibi dignis pœnitentiæ fructibus, vt præmissis non obstantibus, saluis tamen alioqui cæteris omnibus, quę illis in absolutione huiusmodi iniuncta fuerunt, quæcunque officia, & dignitates sui Monasterij, si ad illa aliàs canonicè, & iuxtà eiusdem Monasterij regularia instituta eligantur, vel aßumantur, gerere, & exercere licitè valeant, misericorditer dispenses in foro conscientiæ, &c.

Susti-

Sustinuerint, &c. Id est patienter iugum impositum portauerint, nec illud vnquã deposuerint contraueniendo, hoc enim importat istud verbum *sustinere*: *cap. vlt. de secundis nupt.*

Ex quo collige, si latrices non obstante huiusmodi inhabilitate, procurauerint assumi, & ob suam procurationem fuerint electæ, & assumptæ ad aliquod officium, & dignitatem sui Monasterij, illudque temere exercere ausæ sint, præsentes litteras non suffragari; quia subreptitiæ ob mendaciũ in re graui; quippe negarunt in supplici libello suam contrauentionem, qua expressa non obtinuissent huiusmodi rehabilitationem: indignum siquidem se reddit pœnæ relaxatione, qui illam legitime sibi impositam contempsit adimplere. *arg. cap. fin. de immunit. Eccles.*

Hoc tamen limita in officijs mere onerosis, quæ inhabilitatio non comprehendit, vt supra docuimus in formula pro Religioso, qui ignoranter omissis quatuor minoribus Ordinibus, &c. Ac propterea negata tantum aliorum officiorum, & dignitatum contrauentione, litteræ sunt surreptitiæ.

Dixi, *procurarunt*, quia si iussæ, & coactæ a suis Superioribus acceptarunt aliquod officium, vel dignitatem, aliter sentirem, cum latrices non sint amplius sui iuris, sed sub aliena potestate, ac propterea teneantur obedire, nec debeãt suam turpitudinem propalare, licite acceptarunt, nec dicuntur contrauenisse; nam qui inuitus offendit, nõ ei imputatur offensio. *arg. l. qui hæres, 50. ff. fam. ercisundæ, l. qui cum natu maior, 14. §. si libertus, ff. de bonis libertorum.* Ita nec latricibus coacta contrauentio imputanda est; & propterea ob simpliciter negatam contrauentionem litteræ rehabilitationis non sunt surreptitiæ. *Inuito offendenti non imputatur offensio.*

Absque scandalo, &c. Causa finalis huius rehabilitationis est obuiare scandalis; nam scandalis est obuiandum. *Clem. 1. de officio Ordinarij, cap. cum ex iniuncto, 2. §. super eo, de noui operis nũc.* & rigori iuris aliquod est detrahẽdum ob scandalum euitandum. *c. vt constitueretur in fine dist. 50. glos. in d. cap. cum ex iniuncto, in verbo, pro scandalo, de noui operis nuntiatione*, quam *Panorm. sequitur in eod. cap. num. 7. & DD. communiter.* Quæ tamen intelliguntur de graui scandalo tantum, vt in dictis allegatis capitulis. *Rigori iuris aliquid detrahendũ ob scãdalum vitandum.*

Nam de leuibus nulla habetur ratio.

Quænam possint esse huiusmodi grauia scandala, facile noster exequutor determinabit: si periculum adsit propalationis perpetrati delicti, vel dissensionum inter Moniales, vel damnum in rebus temporalibus, aut spiritualibus immineat ipsi Monasterio, si latrices non assumantur ad officia, & dignitates.

Suffragantibus, &c. Est conditio, qua non existente non sunt latrices rehabilitandæ, nam ablatiuus absolutus importat conditionem, vt alias diximus.

Emendatio vitæ præcipuus pœnitentiæ fructus.

Dignis pœnitentię fructibus, &c. Hoc est, vitæ emendatione subsequuta: emendatio enim vitæ est præcipuus pœnitentiæ fructus, ne oues lupis custodiendæ tradantur: & qui alios regere debet, in se ipso ostendere tenetur, qualiter alios in domo Dei oporteat conseruari. *cap. cum in cunctis, 7. de elect.*

Dictio, saluis limitat præcedentia.

Saluis tamen, &c. Hæc dictio *saluis* modificat, & limitat præcedentia. *l. si debitor, 4. §. si in venditione, vbi glossa in verbo, salua, ff. quibus mod. pignus vel hypoth. solu. glos. in l. item Labeo 23. in verbo, si pure, ff. familiæ hercisc. Dec. cons. 5. num. 1. tom. 1. & cons. 656. num. 6. tom. 2.* & ideo limitat, & restringit huiusmodi rehabilitationem ad expressa tantum, videlicet ad solam rehabilitationem passiuam latricum, qua licite eligi ad Officia, & dignitates, atque ea consequi, recipere, & exercere possint.

Verbum, cæterum, est idem, ac reliquum.

Cæteris omnibus, &c. Id est, reliquis omnibus, hoc enim nomen, *cæterum*, significat reliquum. *l. quæsitum, §. idem respondit domo, 12. ff. de fundo instruct. instrum. legat. l. cæterorum, 160. ff. de verborum significat.* & ideo firma remanet priuatio vocis actiuæ, & firmæ remanent pœnitentiæ, aliaque omnia latricibus imposita, quando fuerunt ab excommunicatione absolutæ.

Regularia, &c. Per hęc verba declaratur, latrices posse accipere, & retinere illa Officia, & dignitates tantum, ad quæ electæ, assumptæque fuerint iuxta formam constitutionum sui Monasterij: nam electiones contra præscriptã formam factæ, sunt nullæ, & inualidæ. *cap. quia propter, 42. §. aliter, & cap. Cumana, 50. de elect.* ideo contra formam electæ non possunt frui be-

beneficio ſuæ electionis, nec retinere officium, vel dignitatem, ad quod contra formam præſcriptam fuerunt electæ. *cap. cum in veteri*, 52. *§. finali, de election.*

Reliqua huius formulæ vide in formula pro Religioſo, qui omiſsis quatuor minoribus Ordinibus, &c.

PRO LAICIS.

Qui frumentum extraxerunt.

FR. Antonius Barberinus, &c. Quòd ipſi aliàs frumentum, & alias fruges è ſtatu Eccleſiaſtico extraxerunt abſque licentia, & idcirco in cenſuras Eccleſiaſticas incurrerunt. Cum autem, &c. latores prædicti de præmiſsis, quæ occulta ſunt, plurimum doleant, pro ſuæ conſcientiæ quiete cupiunt per Sedem Apoſtolicam abſolui. Quare, &c. quatenus ſi eſt ita, dictos latores, & quemlibet eorum, audita prius eorum Sacramentali Confeſsione, poſtquam Officialibus præpoſitis ad recipiendum vectigal pro extractionibus, quæ licite fiunt, omne id, quod ex ſupradicta illicita extractione fraudarunt, ſoluerint, caute tamen, ne ſe prodant, ab excommunicationis ſententia, quam propter præmiſſa incurrerunt, abſoluas hac vice, &c. iniuncta, &c. iniungenda in foro conſcientiæ, &c.

E ſtatu Eccleſiaſtico, &c. Videlicet, e locis immediate Sedi Apoſtolicæ ſubiectis, vel mediate ex eius feudis, & ſic mediātibus feudatarijs eidem Sedi Apoſtolicæ ſubiectis.

Frumentum, &c. Frumenti appellatione, ſi in genere ſumatur, non ſolum venit triticum, ſed hordeum, auena, & ſimilia, quæ habent ariſtam. *l. frugem*, 77. *ff. de verborum ſignific. vbi gloſſa*. Secundum tamen ſpecialem, & communem vſum loquendi, ſignificat triticum, id eſt granum, vt notat *gloſſa in dicta l. frugem in verbo, ſiliqua*; prout eſt *Frumenti appellatione, quæ veniant.*

in

in nostro casu, quia in Bullis prohibentibus extractionem frumenti, nominatim specificantur hordeum, & aliæ fruges; & sic expressum facit cessare præsumptum. *l. modios, 9. C. de susceptorib. præpos. & arcar. lib. 10.*

Expressum facit cessare præsumptum.

In nostro quidem casu credo venire farinam nomine frumenti, cum mens prohibentis extractionem, sit consulere, ne annonæ caritas inducatur, & subditi fame pereant; & cum constat de mente prohibentis, nihil curandum de verborum sono, mens enim est potentior verbis. *l. Labeo, 7. in fin. ff. de suppellect. legata. l. nominis, & rei, 6. §. verbum, ff. de verb. signif. vbi glossa.* Verba enim debent seruire intentioni, non autem intentio verbis. *l. non aliter, 67. ff. de legat. 3. cap. secundo requiris, 41. de appellat. c. intelligentia, 6. de verb. signif. cap. sedulo, dist. 38.*

Et alias fruges, &c. Frugum appellatione venire aliqui existimant omne id, quo homo vescitur, ex *dicta l. frugem*. Sed istorum opinio non placet: nam nec carnes, nec aues, nec feræ, nec poma dicuntur fruges: & in nostro casu nomine frugum solummodo veniunt hordeũ, bladum, & legumina: sub nomine bladi veniunt far, & omne illud, quod teritur area. *Bart. in l. triticum, 94. de verb. obligat. num. 6.* Leguminum autem nomine veniunt omnia, quæ manibus leguntur, & siliquam habent, vt sunt ciceres, lentes, fabæ, faseoli, & similia, vt declarat *Rebuf. in d. l. frugem, verſ. leguminibus, ff. de verb. signif.*

Frugũ appellatione quid veniat.

Leguminum nomine quæ intelligantur

Quid dicendum, si latores extraxissent oleum, quod est specialiter prohibitum in Constitutionibus Apostolicis; an sub appellatione frugum veniat oleum, & proptereà possint vigore præsentium Litterarum absolui. Existimo non posse: sicut enim nomine frugum non venit vinum, *dict. l. frugem*, ità nec oleum, cum in vtroque militet eadem ratio exclusiua.

Nomine frugum non veniunt vinũ, & oleum.

Postquã Officialibus, &c. Solutio vectigalis pro huiusmodi extractione debet præcedere absolutionem, propter dictionem, *postquam*, quæ excludit tempus futurum, & præsens, vt suprà diximus.

Omne id, &c. Hoc est integrum vectigal: nam dictio *omne*, est dictio vniuersalis, nihil excludens. *l. Iulianus, 66 & l. testatoribus, 59. ff. de leg. 3. l. vxori, 14. ff. de auro & argento legato.*

Dictio, omne, est vniuersalis nihil excludens.

Non

Non ita rigorosè,& ad litteram acciperem istam obligationem soluti vectigalis, vt si aliquod modicum remaneret soluendū, non possent absolui latores: ea enim quantitas, quæ non admitteret excommunicationem, eadem etiam non excludet absolutionem.

Cautè tamen, &c. Vide quæ pro simili clausula diximus in præcedenti formula pro illo, qui legit lib. Hæretic.

ABSOLVTIO

Pro Defuncto.

FR. Antonius Barberinus, &c. Pro parte mulieris viduæ Latricis præsentium, &c. quod alias Ioannes ipsius latricis maritus, dum viueret, occidit quendam presbyterū diæcesis N. & idcircò in excommunicationem incidit. Cum posteà dicti presbyteri consanguinei excessum huiusmodi vlcisci cupientes, in illius caput machinarentur, eumq; etiam fugientem diù essent prosequuti; tandem prædictus Ioānes lōgo itineris labore nimis defatigatus, ac varijs animi, corporisq; angustijs oppressus, cū sibi mortē imminere cognosceret, singulari studio, vt sibi Confessor à socijs suppeditaretur, contendit, eisque spectantibus suos omnes excessus, ac præsertim presbytericidium huiusmodi detestari, veniamq; à Deo desuper precari cœpit; sed Confessoris copia nondum habita ex hac vita migrauit, & propterea illius corpus extra locum sacrum sepultum fuit. Cum autem, &c. dictus Ioannes cum multis pœnitentiæ signis extremum vitæ diem obierit, idcircò ipsa latrix desiderans mariti sui animæ immensis Ecclesiæ thesauris subueniri, eiusque corpus Ecclesiasticæ sepulturę tradi licitè posse; humiliter petit, prędictę diæcesis Archiepiscopo, siuè eius Vicario generali, concedi per Sedem Apostolicam facultatem absoluendi dictum maritum à prædicto excommunicationis vinculo.

Quare,

Quare, &c. si sic vobis visum fuerit, vobisque de prædicti mariti viuentis pœnitentia per euidentia signa constiterit, vt eundem, sic defunctum, dummodo illius hæredes hæredibus dicti Presbyteri occisi, necnon illis, quibus ipse Presbyter, dum viueret, subuenire forsan solebat, prius competenter satisfaciant, & subueniant, vel per eos non stet, quominus arbitrio vestro satisfaciant competenter, & subueniant in eo, in quo tenentur, ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrit, absoluere in forma Ecclesiæ consueta, & in foro conscientiæ tantum licitè valeatis, ad effectum dumtaxat, vt pro illius anima publicæ, & priuatæ orationes, ac preces fieri, eiusque corpus Ecclesiasticæ tradi sepulturæ licitè possint, facultatem, & authoritatem vobis concedimus. Datum, &c.

Excommunicatus decedens potest absolui ab excommunicatione post eius obitum.

Absolutio pro defuncto, &c.

Decedens in excommunicatione ab eo potest absolui, à quo dum viueret erat absoluendus. *c. à nobis, 28. §. vt autem, de sent. excommun. vbi Panor. n. 4. Butr. n. 11. Ancharan. Io. Andreas, & DD. communiter.* Quod tamen intellige quoad vinculum excommunicationis tantum, quod ab Ecclesia fuit positum, & quo erat apud Ecclesiam ligatus; secus est de peccato, cuius vinculum non fuit positũ ab Ecclesia, & propterea non potest tolli, nisi vel per actualem confessionem, vel saltem per actualem contritionem, quas Ecclesia in defũcto supplere nequit; nam peccatum nascitur ex deprauato peccatoris consensu, & ideo necesse est, vt eius contraria voluntate, & dissensu dissoluatur, *arg. c. omnis res, 1. de reg. iuris, l. nihil tam naturale, 36. ff. de reg. iur. l. sicut initio, 5. C. de act. & obligat.* Et si impœnitẽs decedat, talis diuino conspectui præsentatur, & damnatur irremissibiliter. *c. qualis, 25. dist. c. tempus, 13. quest. 2.*

Extra locum sacrum, &c.

Excommunicatus non sepeliendus in loco sacro.

Excommunicatus decedens non recepta prius absolutione caret Ecclesiastica sepultura, cum prohibeatur illius cadauer sepeliri in loco sacro. *c. sacris, 12. de sepulturis. c. ad hæc, 5. de priuil.* Cui enim non cõmunicamus viuo, nõ est communicandũ defũcto. *d. c. sacris.*

Et

Et si per errorem, vel violentiam fuit in loco sacro tumulatum, exhumetur (si tamen illud ab alijs fidelium cadaueribus discernatur,) alias relinquatur; nihil enim excomunicato pretiosius sepulchrum prodest. *dd.cap.sacris, & cap.adhaec.*

Publico delicto publica satisfactio.

Si sic vobis, &c. Vt iudicibus, intelligendum est: nam publicum delictum exposcit publicam satisfactionem. *c.1. de pœnit. & remiss. glossa in cap.quicumque, 2. in verbo, publice, de haereticis in 6.*

Constiterit, &c. Per depositiones testium, qui interfuerint eius morti; quae depositio debet recipi a publico Notario: & cum hic non agatur de praeiudicio alterius, si haberi non possint plures testes, satis erit testimonium vnius. *cap.paruulos, & c.cum itique de consecrat. dist.4. vbi glossae in verbo, tenetur, & in verbo, qui testimonio. Ioan. Andr. in d.c.a nobis, 28.n.8.*

Per euidentia, &c. Impœnitens decedens, non debet absolui. *d.cap. a nobis vbi DD. & cap.sacris, 38. eod. tit. de sent. excom.* eius autem pœnitentiae notitiam habere nequit Ecclesia, nisi per signa, quae sensibus percipiantur, nam Ecclesia de occultis non iudicat, cum haec soli Dei iudicio sint reseruata. *c.sicut tuis, 33.§.finali, & cap.tua nos, 34. in fine de simonia, cap.erubescant, 32. dist. cap.si omnia, vbi glos.6.quaest.1.*

Ecclesia de occultis non iudicat.

Signa, &c. Videlicet verbalis detestatio delicti, petitio absolutionis, oblatio iuramẽti de parendo mãdatis Ecclesię, & si loqui nequeat, leuatio oculorum, & manuum ad Cœlum, percussio oris, & pectoris, & similia. *c.qui recedunt, & c.is qui pœnitentiam, 26.quaest.6. Io.Andr. in d.cap.a nobis, nu.2. vbi etiam Ancharanus.*

In foro pœnitentiae verba, & signa idẽ operantur.

In foro enim pœnitentiae, quod exprimitur signis, & actibus externis, idem operatur, quod operaretur expressio verbalis vt bene notat *Anch. loco cit.n.2.* Duo igitur praecedere debent necessario, antequam prędictus defunctus absoluatur, editio signorum pœnitentiae, eorumque probatio corã Archiepiscopo, seu eius Vicario generali faciẽda, vt supra diximus: si alterum eorum deficiat, absoluendus non est; nam haec duo sunt posita cum dictione, *si*, quę, vt supra diximus, importat conditionem.

Haeredum nomine etiam extranei intelliguntur.

Dũmodo illius haeredes, &c. Siue sint hęredes ex testamẽto, siue ab intestato, siue sangui-

guinis, siue extranei; nam hęredum appellatione veniunt omnes hæredes, siue sanguinis, siue bonorum, siue extranei *l. hæredis appellatione*, 65. *ff. de verb. signif. Panor. in cap. in quibusdam*, 12. *num.* 3. *de pœnis*, *& docet Bart. in l. Gallus*. 29. *§. etiam si parente*, *n.* 4. *vers. si vero*, *ff. de lib. & posth. vbi etiam Bald. Imol. & alij.*

Satisfaciant, *&c.* Quia hæredes successerunt in bonis defuncti, & hæc transierunt cum suo onere. *cap. ex litteris*, 5. *§. final. de pignorib.* Ideò sicut dicta bona in vita dicti presbytericidæ erant obligata satisfactioni presbyteri occisi, ita post eius mortem remanent obligata. *Bart. in l.* 1. *ff. de priuatis delictis. Bald. in l. vnica, C. ex delictis defunctorum*: & propterea ratione huiusmodi bonorum hęredes tenetur satisfacere hæredibus occisi. *dict. cap. à nobis, §. fin. vbi DD. cap. in litteris de raptor. c. vlt. de sepult.* non tamen tenentur vltra vires hæreditarias, si inuentarium confecerunt *d. c. in litteris, §. quapropter de raptorib. vbi glossa in verb. iuxta facultates*, *quã sequuntur DD. communiter.*

Hæres nõ cõficiens inuentarium, non tenetur vltra vires hæreditatis pro delicto defuncti. Sed placet mihi magis opinio *Io. Andr. in c. quamquam*, 2. *de vsuris in* 6. *quam sequitur etiam Panorm. in d. cap. ex litteris*, *num.* 3. & videtur esse conformior æquitati iuris canonici, quod obligat hæredes ad satisfaciendum iuxtà facultates defuncti tantum, *d. c. ex litteris*, nec facit mentionem de inuentario, cum hæres non debeat puniri in eo, in quo non deliquit: quòd esset, si vltra vires hæreditarias teneretur satisfacere ob inuentarium non confectum pro delicto defuncti.

Hęc satisfactio deberet precedere absolutionem predicti presbytericidæ; sicut enim præcedit absolutionem viuentis, *cap. ex parte*, 23. *de verb. signif. c. Odoardus*, 3. *de solut.* Ita etiam præcedere debet absolutionem defuncti: attamen si hęres non potest prius satisfacere, dabit fideiussorẽ; & si hoc nequeat, præstabit iuratoriam cautionem de satisfaciendo cũ primũ poterit.

Nam ista clausula hoc loco ponitur modaliter, nõ autem conditionaliter, & ideò non est necesse vt præcedat, satis est vt subsequatur satisfactio, ne auaritia hæredis noceat defuncto. Propterea prouisum est per Sac. Canones huiusmodi satisfactioni, ne omittatur ab hæredibus, postquam fuerit absolutus defunctus, quia possunt per loci Ordinariũ censuris Ecclesiasticis cõpelli hæredes ad eam præstandam, *d. cap. à nobis. vbi glos. in* *Ordinarius potest compellere hæredes ad satisfaciẽdum pro testatore defuncto.*

in verbo, forma seruetur, ibique Panorm. num. 5. Butrius, num. 28. Anchar. nu. 8. & DD. communiter. c. finali, de sepulturis, vbi Io. Andr. nu. 4.

In forma Ecclesiæ consueta, &c. Formã absoluẽdi defunctũ habes in *Rituali Rom. in titulo de pœnitentiæ Sacramento, & in d. cap. a nobis, in §. absolutionis, vbi glossa quam sequuntur DD. communiter, & est subsequens.*

Defuncti cadauer, si nondũ fuit sepultum, verberatur vt infrà: si vero sit sepultum in loco profano, exhumetur, & ab absoluente posteà verberetur aliqua virga, dum ab eodem recitatur Psalmus *Miserere*. Si autem fuit sepultum in loco Sacro, non exhumetur, sed eodem modo verberetur sepulchrum. Completa recitatione Psalmi huiusmodi, Absoluens prosequatur, dicendo: *Authoritate mihi concessa, ego te absoluo à vinculo excommunicationis, quam incurristi, seu incurrisse declaratus es propter presbytericidium prædictum; & te restituo communioni fidelium; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.* Deinde recitetur Psalmus *De profundis clamaui*, in cuius fine addatur versiculus, *Requiem æternam dona eis Domine*. A Clero respondeatur: *Et lux perpetua luceat ei*. Absoluens subiũgat. *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison; Pater noster* dicetur totum secrete, vsque ad versum, *Et ne nos inducas in tentationem*; qui altiori voce ab absoluente proferatur; Clerus vero respondeat; *Sed libera nos à malo. Amen.* Deinde absoluens dicat: *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscũ.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

DA quæsumus Domine animæ famuli tui N. quẽ excommunicationis sententia cõstrinxerat, refrigerij sedem, quietis beatitudinem, & superni luminis claritatem. Per Christum Dominum nostrũ. Amen.

Quibus completis cadauer sepeliatur in loco Sacro, & nõ prius, nè antequam absoluatur cum eo cõmunicemus, quod nullo modo licet, etiãsi signa pœnitentiæ præcesserint: nam Ecclesia non contentatur de contritione excommunicati, nisi secundum formam à se statutam ille fuerit prius absolutus. *dd. c. à nobis, §. vnde c. sacris, de sent. excom. Io. Andr. in d. c. à nobis n. 8. vbi etiã Panor. n. 12. & alij.* & hoc ad inducẽdũ timorẽ, & reuerentiã cẽsurarũ. *c. pia mater. 1. de excep. in 6. Io. Andr. loco cit. num. 7.* *Ecclesia non communicat cum defuncto contrito antequam absoluatur ab excommunicat.*

Dictio, duntaxat, limitat dispositionem.

Ad effectum duntaxat, &c. Dictio, *duntaxat*, limitat, & restringit dispositionem. *extrauag Io.22. suscepti regiminis, de elect. & electi potest. vbi glossa in verbo, Duntaxat*, excludendo omnes alios casus præter expressum. *Clem. vnica de sequestratione possess. & fruct. vbi glossa in verbo, duntaxat. cap. statutum*, 11. *§. in nullo, de rescript. in 6. c. 1. §. quia vero de iureiur. in 6. l. 3. §. cum Titio, ff. de adim. legatis. Bart. in l. 1 num. 1. vbi Iason num. 8. in fine, ff. si quis ius dicenti.*

Et ideo hæc absolutio solum suffragabitur defuncto, vt eius cadauer Ecclesiasticę sepulturæ tradi, & pro anima illius publicæ, & priuatę orationes ad Deum effundi possint, firmis remanentibus alijs pœnis, videlicet priuatione feudorum, &c. quę superius habētur in absolutione a Presbytericidio: videatur eius forma, quę non modici adiumenti erit pro præsentis exequutione.

LICENTIA
ELIGENDI CONFESSOREM
PRO REGVLARI.

Quando quis cupit suam conscientiam exonerare, & propterea eligere Confessorem cum ampla facultate obtinendi ab eo absolutionem, etiam in casibus reseruatis; Litteræ vt infra conficiuntur.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Quod ipse pro sua conscientia exoneratione, & quiete, cupit peccata sua confiteri, & ab ijs, ac quibusuis censuris per eum incursis, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, absolui. Quare, &c. quatenus si est ita, dictum latorem, audita prius eius Sacramentali Confessione, a quibuscumque peccatis, & casibus, tam suis Superioribus, quam Sedi Apostolicæ reser-*

ſeruatis, non tamen contentis in Bulla Cęnæ Domini, nec non a quibuſuis ſententijs, cenſuris, & pęnis Eccleſiaſticis, quas propter pręmiſſa incurrit; non tamen a cenſuris contra violantes clauſuram inflictis, neque a ſententijs contra eum per aliquem Iudicem nominatim latis; abſoluas hac vice, &c. iniuncta, &c. iniungenda, in foro conſcientię, & in actu Sacramentalis Confeſſionis tantum, & non aliter, &c. ac citra vllam diſpenſationem, & rehabilitationem. Datum, &c.

Exoneratione, &c. Graue pondus eſt peccatum mortale, quod Animam peccatoris ſpiritualem, ac de ſui natura in altum, id eſt ad cęlum tendentem, pertrahit ad profundum inferni. Ideo quando quis ab eo Sacramentali Confeſsione liberatur, bene dicitur, quod eius conſcientia, id eſt anima, exoneretur. Hoc autem verbum metaphorice ſumitur ab exoneratione ponderum materialium.

Quies a ſecuritate oritur. *Quiete, &c.* Quies prouenit a ſecuritate. *l. quiſquis emenſis, 27. C. de Epiſcop. & Cler.* Securitas autem non eſt, vbi quis puniri poteſt. *d. l. quiſquis*. Ideo ad remouendam a ſe occaſionem, ob quam a diuina Iuſtitia puniri poſsit, petit a M. Pœnitentiario Confeſſorem cum opportuna facultate, per quem a peccatis abſoluatur.

Incurſis, &c. Hic oritur magna difficultas in declarando verbum iſtud, *incurſis*, an referatur ad diem Datæ præſentium litterarum, vel potius ad tempus, quo lator ſacramentaliter cõfitetur. Nam verbum iſtud, *incurſis*, reſpicit opus iam perfectum, & per conſequens tempus præteritum, excluditque futurum.

Secundo, in reſcriptis, priuilegijs, conceſsionibus, & alijs litteris appoſita dies Datæ ſemper conſideratur, & ab ea ſtatus rei, & conceſsionis menſurantur. *cap. eam te, 7. vbi gloſſa in verbo, datam litterarum, & c. conſtitutus, 19. de reſcript. vbi etiam gloſſa in verbo, impetraſſet. cap. quia circa, 6. de conſanguinit. cap. ſi eo tempore, 10. & cap. tibi qui, 12. de reſcript. in 6.* Ratio eſt, quia qualitas iuncta verbo intelligitur ſecundum tempus verbi. *l. in delictis, 4. §. ſi* *Qualitas addicta verbo intelligitur ſecundum tempus verbi.*

damnum, vbi Bald. ff. de noxal. action. Decius in cap. constitutus, 19. num. 22. de rescript.

Tertio, si verbum, *incursis*, referretur ad tempus Sacramentalis Confessionis, daretur occasio reiterandi, & committendi plura, & grauiora peccata, ex faciliate absolutionis, quam præ manibus, & ad libitum haberet quis, & sic ad longum tempus protrahi posset vsus huiusmodi facultatis, & licentiæ, interim suam explendo libidinem, atque indomitas animi passiones omnibus vitiorum generibus, quia facilitas veniæ tribuit incentiuum delinquendi. *cap. vt Clericorum*, 13. §. *ne vero, de vita, & hon. Cleric. cap. est iniusta*, 23. *q.* 4. *glossa in cap. fin. in verbo, sperantes, de immunit. Ecclesiastica. glossa in cap. irrefragabili*, 13. *in verbo, ne sanguis eorum, de officio Iudic. ordinarij*. Quod dicendum non est.

Facilitas veniæ est incentiuum delinquendi.

Quarto, qui in Priuilegium peccat, frustra Priuilegij auxilium implorat. *dicto cap. fin. de immun. Ecclesiastica*. Sed qui occasione habitæ facultatis eligendi Confessorem, noua peccata, & delicta perpetrat, in priuilegium peccat, vt per se patet: ergo frustra dictę facultatis, & priuilegij auxilium pro peccatis de nouo cōmissis implorat: ergo dictum verbum, *incursis*, refertur ad tempus Datæ, non autem ad tempus Sacramentalis Confessionis.

Contrarium tamen videtur suadere, Primo, salus animarū, quæ est causa fauorabilis, & propterea dilatanda, non autem restringenda.

Secundo, quia cum septies in die cadat iustus, quid dicendum de peccatore? Volumus præsupponere, quod toto eo medio tempore, quo expediuntur huiusmodi licentiæ, & recipiuntur, remaneat impetrans impeccabilis; quę impeccabilitas raro a Deo aliquibus paucis concessa: & si potest peccare, volumus credere, quod M. Pœnitentiarius hoc non animaduerterit? Et si animaduertit: audebimus asseuerare, quod pęnitenti, cui huiusmodi licentiam concesit, noluerit illā suffragari ob noua peccata commissa, quæ tamen sint eiusdem speciei cum illis, quæ includuntur sub dicta facultate absoluēdi? Si hoc esset, raro huiusmodi licentiæ suffragarentur: quod asseuerare non audeo.

Tertio, in licentijs eligendi Cōfessores concesis occasione Iubileorum, non attenditur dies Datę litterarū dictorum Iubileorum; sed tempus actualis confessionis Pœnitentis, quoad casus reseruatos: ergo idem

idem dicendum existimo in nostris licentijs, cum in vtrisque nulla expressa reperiatur limitatio, & prohibitio, neque diuersa ratio sit.

Quarto, cum huiusmodi licentiarum dilatationes, & restrictiones pendeant a mente concedentis, interrogaui illustrissimum Io. Baptistam Coccinum san. mem. tunc S. Pœnitentiariæ Regentem, de huiusmodi difficultate, pro qua prius semper adhęseram mordicus primæ sententiæ. Affirmatiue respōdit, suffragari videlicet etiā quoad casus post Datam litterarum vsque ad actū Sacramentalis Confessionis incursos. Tanti viri authoritas magni facienda est, & eo magis, quia erat S. Pœnitentiariæ Regens, & hac intentione prędictas licentias concessisse præsupponitur. Idemque obseruari a suis successoribus in officio, & a toto S. Pęnitentiariæ Tribunali credendum est: dummodo non constet de contraria intentione, & consuetudine.

Existimo tamen, si impetrans malitiose differat obtentæ facultatis vsum, vt suam magis expleat libidinem, illā non suffragari, quia nemini malitia, & dolus patrocinari debet. *c. 2. §. verum de dolo, & contum. cap. audiuimus, 3. de collusione detegenda, l. ne ex dolo, 13. ff. de dolo, l. is qui dolo, 69. ff. de rei vendicatione.*

Malitia nemini patrocinatur.

Si autem differat ex aliquo legitimo impedimento, & ex fragilitate carnis relabatur: Credo suffragari, quia impedito non currit tempus. *c. quia diuersitatem, 5. de concess. præbendæ. l. 1. in fine C. de annali except. l. vlt. C. de iure deliberandi.* Et humanę fragilitati maxime Ecclesia, & diuina bonitas compatiuntur.

Impedito non currit tempus.

Ad primum argumentum primæ sententiæ respondeo, verbum, *incursis*, vere, & realiter importare actum perfectum; sed satis esse vt sit actus perfectus tempore quo pœnitens confitetur.

Ad secundum argumentum respondeo, quod solum habeat locum in rebus publicis, & in specialibus, & particularibus, ac determinatis concessionibus, aut vbi agitur, aut agi potest de præiudicio tertij; nec non etiam in alijs priuilegijs, & concessionibus, quę afferunt corporalem vtilitatem, & commodum, prout loquuntur allegati textus. Secus est in concessionibus indefinitis, & generalibus, in quibus non agitur de præiudicio tertij, neque de aliquo corporis commodo, sed solum de salute animæ, pro qua fuit copiosa redemptio.

Ad tertium respondeo,

quod ista ampliatio gratiæ de sui natura non incitat ad peccandum, immo contrarium suadet: nec ex eo, quod quis huiusmodi ampliatione abutatur, illa tollenda omnino est, sed solum restringenda, quo ad illos, qui ea abutuntur, *argumento Clem. 1. de officio Ordinarij, cap. fin. de immun. Eccles.* Nec obstant textus dicentes, quod facilitas veniæ sit incentiuum peccandi: nam nomen, *veniæ*, ibi sumitur pro remissione pœnæ, & solum metu pœnę arceantur insolentiæ, & pertenentur, qui aliàs delinquerent. *d. Clem. 1. in fine.* Quod non est in casu nostro, cum pœnitens non remittatur impunitus, sed solum liberatur a culpa, & non a reatu pœnæ. *cap. Deus qui, 8. de pœnitentia, & remissione.* Et remissio peccati non dat licentiam delinquendi. *c. exigunt, 1. quæst. 7.*

Ad quartum respondeo, allegatum textum *in cap. finali de immunit. Eccles.* loqui tantum de malitiose abutentibus priuilegiis, & nos etiam admittimus.

Dictiones, nõ tamen, restringunt dispensationis generalitatē.

Non tamen, &c. Hæ, duæ dictiones simul iunctæ negant omnimodam generalitatem præcedentis concessionis, & insimul negationem suam restringunt ad casus expresse prohibitos tantum. *l. non tamen, 38. ff. de procur.* & ideo nostro latori præsentes litteræ suffragabuntur in omnibus casibus, & censuris, prętër hic expresse prohibitos.

Dictio, citra, est exceptiua.

Citra, &c. Cum dictio *citra* sit exceptiua, & idem importet, ac dictiones, *præter*, & *sine*. *l. 1. in fine, ff. de ferijs, l. si bona fidei, 52. ff. de petit. hæred. Rebuff. in praxi benef. de forma Vicar. Archiep. num. 29.* Ideo a generalitate huius concessionis excipit, & excludit omnem dispensationem, & rehabilitationem; atque ita per præsentes litteras Pęnitens poterit solum absolui a peccatis, & censuris, non autem cum eo poterit dispensari super irregularitatibus, priuationibus, cæterisque canonicis defectibus.

Dum hæc scribo, accepi, huiusmodi licentias eligendi cõfessorem esse supra modum restrictas, & limitatas ad solos casus locorum Ordinariis reseruatos, pro viris Laicis; pro Religiosis vero ad casus suę Religionis tantum; & insimul licentias huiusmodi pro Monialibus committi solummodo iis Confessoribus, qui sunt approbati ad audiendas Confessiones Sacramentales Monialium.

Quando huiusmodi licen-

tię

tiæ conceduntur Monialibus, sæpius solet in fine litterarum apponi clausula subsequens: *Cæterum, si tu Confessor electus sexagesimum tuæ ætatis annum non excesseris, nihil latrici præsentes litteræ suffragentur*. Hęc clausula fuit meo tempore in huiusmodi litteris superaddita ad petitionem duorũ Archiepiscoporum principalium Ciuitatum, quorum alter erat S. Romanę Ecclesię Cardinalis; & iustas ob causas.

Sensus prædictæ clausulæ superadditæ, est adeo clarus, vt egeat modica declaratione.

Excesseris, &c. Id est, perfecte compleueris, *cap. cum vigesimum*, 41. *vbi glossa in verbo, peregeris, de potestat. Iud. deleg. cap. cum incunctis*, 7 *vbi glossa in verbo, exegerit, de electione. l. 2. ff. de excusat. tutor.* vbi excusatur a tutela, qui septuagesimum ætatis suę annum compleuerit. Et deinde subdit: *Excessisse autem oportet septuaginta annos tempore illo, in quo creantur tutores a Iudice vel a Lege, aut quo hereditatem adijt quis, aut quo conditio, quæ testamento inscripta est, completa est, non intra tempora excusationis, videlicet, quibus excusationes fiunt*. Ex quibus verbis colligitur, idem esse excedere, & complere annum, & satis esse ad hoc vt quis dicatur excessisse sexagesimum annum, vt per dimidium quadrantem attigerit sexagesimum primum annum. Hic autem excessus non regulatur a die datæ litterarum, sed a die electionis factæ, argumento d. l. 2. ff. de excusat. tutor. & ideo satis est vt Confessor electus excedat sexagesimum ætatis suæ annum, quando eligitur in exequutorem præsentium litterarum.



COMMVTATIO RECITATIONIS HORARVM CANONICARVM.

Fr. Antonius Barberinus, &c. Ex parte Presbyteri latoris præsentium nobis oblata petitio continebat, quod ipse propter visus debilitatem Horas Canonicas vix recitare potest; ideo pro suę conscientiæ quiete cupit sibi obligationem illas recitandi in alia pietatis opera per Sedem Apostolicam commutari. Quare, &c. quatenus si est ita, cum dicto latore, audita prius illius Sacramentali Confessione, vt loco Matutini Coronam B. Mariæ Virginis, & aliquot Psalmos, quos memoriter recitare potest, arbitrio , vel saltem Miserere mei Deus *cum Cantico Zachariæ*, Benedictus Dominus Deus Israel; *loco vero singularum aliarum Horarum, videlicet Primæ, Tertię, Sextę, & Nonę, septies* Pater noster, *& toties* Aue Maria, *ac Psalmum* De profundis: *loco Vesperarum duodecies* Pater noster, *& toties* Aue Maria, *ac Psalmum* Dixit Dominus Domino meo, *cum Cantico B. Marię Virginis*, Magnificat Anima mea Dominum; *& loco Completorij etiam septies* Pater noster, *& toties* Aue Maria, *ac Psalmum*, Qui habitat in adiutorio Altissimi, *cum Cantico Symeonis*, Nunc dimittis seruum tuum Domine, *& Symbolum Apostolorum*, Credo in Deum Patrem, *singulis diebus recitet, misericorditer dispenses in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis, &c. Datum &c.*

Huius formulæ verba, & sensus, cum sint per se clari, non multum in ea declarando immorabor, sed paucis ab-

cis,

cis, & ab hac Tertia nostræ Praxis me expediam Parte.

20 *Visus debilitatē, &c.* Ad liberandū latorem ab obligatione horarum Canonicarum non sufficit quælibet visus debilitas, sed ea solum, quæ nec medicaminibus, nec arte, nec conspicillis auferri, vel coadiuuari queat, *arg. c. ex litteris, 3. de frigid. & malef.* Et hoc noster exequutor inuestigare debet, antequam ad dispensationem huiusmodi deueniat, ne decipiatur. Poterit propterea latori exhibere libellum grādioris characteris legēdū, & ex modo, & difficultate legendi elicere, quæ, & quanta sit visus debilitas; sed quia ex modica lectura non poterit se sufficiēter determinare, necesse est vt credat ipso latori, cū res agatur in foro pœnitētiali, in quo pœnitentis verbis, vt alias diximus statur.

Dictio, vix, est imminutiua.

Vix, &c. Est dictio imminutiua illius, cui adhæret, *c. 2. de cognat. spirituali, c. hac huius placiti, vbi glos. in verb. & vix, 12. q. 2.* & ideò exprimit hic potentiam visiuā immutatā, difficultatemque, qua verborum characteres perspiciuntur, & ideò præsupponitur tanta in latore visus debilitas, vt vix legere valeat.

Cū magna difficultate, etc. Magna difficultas, æquiparatur impossibilitati. *l. nepos Proculo, 125. ff. de verb. sig. l. diuortio. 37. ff. de negot. gest.* & cum valde difficilium, & impossibilium idem sit iudicium. *l. idem Iulianus, 41. §. constat, ff. de legat. 1.* ideò sicut lator excusatur ab impossibili, ita etiam à valde difficili; ac propterea ista magna difficultas recitādi horas Canonicas, est legitima causa dispensandi super obligatione illas recitandi; nisi lator adeò polleret memoria, vt posset horas prædictas memoriter, & commodè recitare: quod non præsupponitur in nostro latore, cum eas ob visus debilitatem non valeat recitare; nā per memoriæ excellentiā ea tolleretur difficultas, quā visus debilitas affert.

Difficilium, & impossibilium idem iudicium.

Aliquot Psalmos, &c. Pluralis numerus vno non cōtentatur, vt optimè *Card. Thuscus pract. conclus. tom. 2. lit. D. cōcl. 533. n. 1. & lit. D. cōcl. 367.* Sed ad minus in duobus verificari debet. *l. vbi numerus, 12 ff. de testib. l. libertas, 17. §. vlt. ff. de manumiss. testam. l. inter illā, 117. §. fin. ff. de verb. sign. & c. pluralis locutio, 40. de reg. iur. in 6.* Ideò pro matutinis horis lator recitare deberet ad minus duos Psalmos ex illis, quos memoria tenet, nisi ex infrascripta clausulā cōstaret aliud de intētione M. Pœnitētiarij,

qui quando voluit obligare latorem ad duos tantum Psalmos, nõ reliquit eius arbitrio electionem, sed præscripsit, & determinauit, quos volebat recitãdos, videlicet Psalmos, *Miserere mei Deus*, & *Benedictus Dominus Deus Israel*: Ex quo aperte colligitur, intentionem esse M.P. quod si lator velit eligere Psalmos recitandos, eligat plures duobus, & ad minus sint tres.

Arbitrio suo, &c. Hæc clausula importat arbitrium boni viri, non autem liberam, & absolutam voluntatem. *l.* 1. *ff. de legat.* 2, *Bart. in l. alio herede*, 9. *nu.* 8. *ff. de alim. & cibar legat.* ideò non videtur posse latorem huius clausulæ vigore Psalmos omnibus breuiores eligere, neque tenetur ad longiores; sed moderamẽ, & quid medium sit: nõ tamen, si secus fieret, de graui culpa illum condemnarem, cum non sit ommissio notabilis, quæ requiritur ad grauitatem culpæ.

Dictio, vel, inducit arbitrariam electionem.

Vel, &c. Est dictio inducẽs alternatiuam, qua datur agere volẽti facultas eligendi alteram ex sibi præscriptis rebus, *clem. sæpe, §. verum quia, prope finem, de verb. sign is. c. statutũ* 11. *de rescript. in* 6.

Et ideò per hanc dictionẽ, nostro latori conceditur facultas, vel recitandi Psalmos, quos sibi libuerit, vel hic præscriptos, adeò vt si primos eligat, ad secundos nullo modo teneatur: alternatiua enim per verba affirmatiua concepta contenta sunt vna tãtum parte in alternatiuis posita. *c. inter ceteras*, 4. *vbi Panor. de rescrip. c. in alternatiuis*, 70. *de reg. iur. in* 6. *l. si ita quis stipuletur*, 63. *& l. si quis ita stipulatus fuerit*, 129. *ff. de verb. obl.*

In alternatiuis affirmatiue conceptis vna pars verificanda.

Saltem, &c. Hæc dictio cum sit subsidiaria, & diminutiua. *d. c. statutum*, §. *cum vero in fin. de rescrip. in* 6. per eam M.P. cõsulit latoris fragilitati, vt si nequeat maiorem numerum Psalmorum memoriter recitare, ad minus recitet prædictos duos Psalmos, qui solẽt deuotis viris esse magis domestici, & familiares, & consequenter facilius in memoria imprimuntur.

Saltem *est dictio subsidiaria, & diminutiua.*

Reliquæ huius Formulæ partes, ob manifestam suã claritatẽ maiori non egent declaratione. Ideò hic finem impono Tertiæ Parti huius Praxis, Deo adiuuante, & Patrona mea Dei Genitrice Maria semper protegente, &c.

Finis Tertiæ Partis Praxis ad Litteras & Bullas Maioris Pœnitentiarij.

PARS

PARS QVARTA
PRAXIS
AD LITTERAS
MAIORIS POENITENTIARII, ET OFFICII S. POENITENTIARIÆ APOSTOLICAE.

IN QVA DECLARANTVR CLAVSVLÆ Litterarum Abſolutionum, & Diſpenſationum, pro Regularibus in vtroque foro; & traditur modus eas exequendi.



PRAXIS AD LITTERAS ET BVLLAS MAIORIS POENITENTIARII,

IN QVA TRACTATVR

De formulis Absolutionum, & Dispensationum in vtroque foro pro Regularibus, & ingredi volentibus Religionem.

PARS QVARTA.

De Formulis Absolutionum, & Dispensationum in vtroque foro.



N hac Quarta, & postrema Praxis nostræ Parte remanēt considerandæ earū litterarū formulæ, quæ à Maiori Pœnitentiario expediuntur in vtroque foro ad fauorem Religiosorum, vel Religionem ingredi volentium. Pro quarum intelligentia,

Præmittendum primo est, has etiam litteras à M. P. concedi in forma commissaria, non autem in forma gratiosa; nam ipse, eiusque Tribunal non cognoscũt causarum merita, precumque porrectarum veritatem, sed eas discutiendas mandant suis executoribus.

Prȩmittendum secundo, ante exequutionem huiusmodi Bullarum, esse ab exequutoribus deputatis formãdum processum per manus publici Notarij, vel Secretarij pro elicienda veritate narratorum, ad cognoscendum, an preces veritati

tati nitantur. Quibus peractis, Bullę huiusmodi exequutioni demandandæ sunt coram testibus, & pro exequutione litterarum conficiendum instrumentum per manus similiter publici Notarij, vel Secretarij, ad effectum vt extet gratiæ obtentæ perpetuum monimētum, quo impetrātes à calumniarum se tueātur incursibus, quia absolutio non præsumitur, nisi probetur. *c. proposuit, 8. in fine, vbi glos. in verbo, de absolutione, de Clerico excomm. ministr. & c. sicut nobis, 39. vbi etiam glos. in verbo, alio modo, & Panor. n. 1. & 2. de sentent. excommun.*

Absolutio nō presumitur, nisi probatur.

Formulas autem instrumētorum huiusmodi absolutionum, & dispensationum, nec non monimentorum desuper cōficiendorum, ponam in calce huius Quartæ Partis, ad commodum, & vtilitatem ipsorum Exequutorū, ac Notariorum, vel potius Secretariorum, qui non sic præ manibus habent huiusmodi formulas, sicut Notarij.

Præmittendum est tertio, huiusmodi litterarū exequutores solum esse locorum Ordinarios, vel Religionum Superiores ordinariam in eis iurisdictionem habentes, iuxta Sacri Concilij Tridentini mentem *sess. 13. cap. 5. de reformat. & sess. 22. cap. 5.* & stylum Romanæ Curię, qui tam à Cōgregationibus, quam à Cancellaria, & Secretaria Apostolica obseruatur regulariter. Dico *regulariter*, quia si loci Ordinarius allegetur suspectus, vel propter inimicitiam, quam cum suo subdito, vel eius consanguineis, aut amicis habet, aut ob priuatum aliquod interesse, & rationabilis suspicio sufficienter probetur; tali casu commissiones diriguntur ad aliquem ex Ordinarijs vicinioribus. Hoc autem intelligitur de illis absolutionibus, & dispensationibus, quæ extra Romanam Vrbem cōmittuntur: secus est de alijs, quæ pro præsentibus in Curia expediuntur: has enim, vel ipse D. Regens per se ipsum exequitur, litteris minimè expeditis coram publico Notario, qui in publicas redigit tabulas exequutionem, immo consūmationem gratiæ, supplicanti à se concessæ (hoc tamen Regens raro per se ipsum præstat) regulariter mandat Litteras, & Bullas desuper necessarias expediri, illarumque exequutionem remittit ad Eminentissimi D. Cardinalis Vicarij D. Papæ Vicesgerentem.

Præmittendum quarto, absolutiones, & dispensationes in vtroque foro, quæ non habēt annexum peccatum mortale, satis esse vt fiant, & impe-

Absolutiones in vtroque foro, quando nō requirunt forum internū.

petrantur in foro fori, id eſt in foro externo, contentioſo, & iudiciario, vt ſunt abſolutiones ad cautelam, vel à cenſuris nulliter prolatis, & diſpenſationes ſuper defectu nataliũ, ſuper Bigamia, ſuper defectu oculi Canonis, ſuper homicidio, de quo quis fuit iam confeſſus, & abſolutus, & ſimiliũ; in quibus eo ipſo, quod quis abſoluitur in foro fori, vel cum eo diſpenſatur, cenſetur etiam in foro conſcientiæ abſolutus, & diſpenſatus. Per huiuſmodi enim publicas abſolutiones, & diſpenſationes, liberatur à pœnis per eum incurſis, reſtituitur fidelium conſortio, & ex indulto ab eo remotum declaratur omne impedimentũ, & macula, &c. & reputatur ac ſi nullum vnquam contraxiſſet impedimẽtum. De abſolutionibus à cenſuris patet, quia ſunt vincula iuriſdictionis, & non ordinis. *c. trãſmiſſam*, 15. *de elect.* & ideo remiſſa culpa, vel ea non exiſtente, cum quis abſoluitur ab excommunicatione in foro fori, non eget aliqua alia abſolutione in foro conſcientiæ. *cap. à nobis*, 28. *de ſentent. excommunicationis. Couarr. tom.* 1. *in c. alma mater*, 24. *de ſentent. excommun. in* 6. *§. vndecimo*, *n.* 10. *prior. part. relect.*

Abſolutus in foro fori cenſetur abſolutus in foro cõſcientiæ.

Non obſtat. *c. canonica.* 50. *de ſentent. excommun.* In quo fundantur contrarium cenſentes, videlicet, quod requiratur etiam abſolutio ſacramentalis. Quia ibi agitur de Militibus Hoſpitalis Hieroſolymitani, qui licet ſint Religioſi, attamen ſunt laici religioſi, & laicis religioſis non licet tractare cauſas ſpirituales, id eſt iuriſdictionem Eccleſiaſticam, & ſpiritualem. *c. bene quidem, vbi gloſſa, in verbo, præter Romanum Pontificem, diſt.* 96. & *eadem gloſſa in d. c. canonica, in verbo, Presbyter*, aduertit hoc, & confirmat *Couarr. loco cit.* Et ideo cũ in dicto Hoſpitali regulariter Prior ſit Clericus; illi Summus Pontifex vti capaci iuriſdictionis Eccleſiaſticæ tribuit facultatem abſoluendi à cenſuris Fratres dicti Hoſpitalis, non autem vt abſolutio neceſſariò facienda ſit in ſacramentali Confeſſione, & in foro interiori, ſi concedatur in foro exteriori.

Idemque, & multo magis, dicendum eſt de diſpenſationibus, quæ nullam habent cõnexionem, & dependentiam cum ſacramentali Confeſſione, & conſequenter ſi canonicè concedantur in foro fori, nihil in eis remanet, quod forus interior ſibi vendicet, præter culpam, quæ quãdo adeſt, nos quoq; diximus neceſſe eſſe, vt tollatur per ſacramentalẽ Cõfeſſionẽ, & in foro interiori.


Ex

Ex quibus apparet friuolã, & erroneam esse *Hostiensis in d. c. à nobis*, & aliorum veterum opinionem, qui nescio quo spiritu ducti, in vnomet simplici delicto, duas excommunicationes inter se solum diuersitate numerica differentes ponunt: videlicet, quando quis percutit Clericum, duas, isti dicunt, incurri excommunicationes; vnam in foro interno, & aliam in foro externo; vnam in foro iudiciario, & aliam in foro pœnitentiali. Quæro ab his, quinam sit Iudex, qui posuit huiusmodi excommunicationes: an idem, vel diuersus? Si diuersus, allegent: si idem, quando hic, & vbi istam duplicitatem declarauit. Si nullibi, cur eam fingimus, & eo magis cũ vtrumque ab istis prætensum effectum ab vna eademque excõmunicatione habeamus: eadem enim censura, quæ ligat in foro externo, ligat in interno, etiamsi sit nulla, quia excommunicatio iusta, vel iniusta, est timenda. *cap. 1. & cap. Episcopi, 11. q. 3.* In quo foro est timenda? in foro exteriori? non video cur timenda, si iniusta, & in illius exequutione probabitur iniustitia, & sic non afficiat contemnentẽ illam: ergo est timenda in foro interno, ne Deum offendat, & proximum scandalizet ob illius contemptum, antequam declaretur iniusta, & ex contemptu amplius ligetur. *c. per tuas, 40. de sent. excomm.* Ergo vna, & eadem excommunicatio ligat in vtroque foro.

Excomm unicatio iniusta est timenda.

Præmittendum quintò, in absolutionibus in vtroque foro, primùm præcedere debere absolutionem in foro fori, & deinde sequi absolutionem in foro pœnitentiæ, vt bene declaratur per *d. c. à nobis, §. nos igitur, in fine, de sent. excomm.* Exemplo Lazari suscitati. Primo enim Christus supremus Iudex Lazarum suscitauit, hoc est, restituit cõmunioni viuentium; & deinde Apostolis, hoc est Pastoribus animarum nostrarum præcepit, vt illum soluerent, id est, in foro pœnitentiæ, in quo nemo potest absolui, nisi prius per præcedentem absolutionem ab excommunicatione restituatur communioni fidelium.

Absolutio in foro fori præcedere debet absolutionem fori pœnitentialis.



A B-

ABSOLVTIO,

ET DISPENSATIO

In vtroque foro pro Regulari, qui percuſsit alium Correligioſum, & deinde celebrauit.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Religioſo viro Generali Ordinis N. Salutem in Domino. Ex parte Fratris N. dicti Ordinis nobis oblata petitio cõtinebat.* Si verò committatur Prouinciali, ſic dicetur: *Religioſo viro Prouinciali Prouinciæ N. Ordinis N. ſalutem. Ex parte Fratris N. dictorum Ordinis, & Prouinciæ, &c. Quòd ipſe aliàs ad verba altercatoria deueniens cum Fratre A. eiuſdem Religionis Presbytero profeſſo, leuiter illum percuſſit; & deinde non aduertens ſe propterea in excommunicationem incidiſſe, Miſſam celebrauit: idcircò ſe etiam irregularitatem contraxiſſe timet: & à ſuis Superioribus deſuper punitus fuit. Cum autem, &c. dictus Frater N. de præmiſſis plurimum doleat, pœnaſque ſibi per Superiores iniunctas adimpleuerit, ne ſuæ Religioni, ſibique oneroſus amplius ſit, ſuos ordines exercere, ac quæcunque ſuæ Religionis officia, & dignitates conſequi licitè poſſe deſideret, pro ſuæ conſcientiæ quiete cupit à præmiſsis per Sedem Apoſtolicam in vtroque foro abſolui, ſecumque deſuper diſpenſari. Quare, &c. etiam pro parte Procuratoris generalis eiuſdem Ordinis ſupplicari nobis humiliter fecit, &c. Nos igitur, &c. ſupplicationibus huiuſmodi inclinati, diſcretioni tuæ committimus, quatenus ſi eſt ita, dictum Fratrem N. poſtquam dicto alij Religioſo, ſi nondum ſatisfecit, ſatisfecerit, vel per eum non ſteterit, quominus, arbitrio tuo ſatisfaciat competenter, ab excommunicationis*

nicationis

nicationis, alijsque sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, & excessibus huiusmodi, in vtroque foro absoluas hac vice, in forma Ecclesiæ consueta. Iniuncta inde ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, & alijs, quæ fuerint de iure iniungenda. Ipsoque ab exequutione suorum ordinum suspenso. Demum cum eodem Fratre N. pœnitentia, vel illius parte peracta, ac suffragantibus sibi dignis pęnitentiæ fructibus, & meritis, alioque ei canonico non obstante, super irregularitate per eum ex præmissis quomodolibet contracta, quodque illa, & alijs prȩmissis non obstantibus, postquam in huiusmodi suspensione steterit per tempus arbitrio tuo statuendum, in suis ordinibus, etiam in Altaris ministerio, ministrare, & quacunque sui Ordinis officia, & dignitates, si ad illa aliàs canonicè, & iuxta eiusdem Ordinis regularia instituta eligatur, vel assumatur, gerere, & exercere, vocemque actiuam, & passiuam habere licitè valeat, misericorditer dispenses, eumque in pristinum statum restituas, & plenariè reintegres. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum, Idibus Iunijs, Pontificatus Sanctissimi D. Vrbani Papæ Octaui Anno duodecimo.

Ex ijs quę in pręcedēti Tertia Parte diximus de percussore Clericorum, multa colligūtur, quæ pro præsentis formulæ exequutione sciri necesse est: ideo videantur, quæ ibi diximus.

Superiores Religionum habent iurisdictionem ordinariam.

Religioso viro, &c. Prædicti Religionum Superiores habent ordinariam iurisdictio nem in suos subditos. *c. Abbatęs, 3. de priuilegijs in 6. Roderic. quæst. regul. q. 20. art. 10.* Et ideo illis absolutiones in vtroque foro committi debent, vt diximus.

Altercatio quid sit.

Ad verba altercatoria, &c. Id est, certamē litigationibus, *vt notat Archidiac. in cap. vnico, de bigamis in 6.* Id est, verbalis

balis contentio, quo certamine duo, vel plures de re aliqua diuersas, & contrarias opiniones sustinere ad inuicem conantur *l.cũ quidam*, 4. *C. de necess. seruis hæredibus instituenda & declarat etiam glos. in d.c. vnico, in verb. altercationis antiquæ:* ex quibus verbis ostenditur originem, & causam rixæ huiusmodi nõ fuisse præcedentem machinationem, & dolosum studium, sed casualem, & de nouo emersam occasionem, atque ita latoris errorẽ magis veniabilem, & mitiori pœnitentia puniendũ, *arg. c. 2. §. si autẽ, de homicid.*

Leuiter, &c. Istud aduerbium in hac, & similibus materijs accipitur prout contradistinguitur ab enormi percussione. *cap. peruenit*, 17. *de sentent. excommun.* non autem prout solummodo eam importat modicitatem percussionis & iniuriæ, quæ nullam inducat lethalẽ culpam, sine qua nemo incurrit excommunicationem. *c. sacro*, 48. §. *caueant, de sentent. excommun. Concil. Triden. in cap. 3 sess. 25. de reformat.* Quæ autem sit enormis percussio, vide in Prima Formula Tertiæ Partis huius nostræ Praxis pro Laico, qui manus violẽtas, &c. vbi sufficiẽter de hac materia diximus.

Excommunicatio non est sine lethali culpa.

Hæc leuitas percussionis necessario per testes probanda est, antequam ad exequutionem huiusmodi Bullę deueniatur; nam exequutor, vt Iudex cõmissarius, debet prius instrui super causa sibi delegata per testes producendos ad illius veritatis cognitionẽ hauriendã. *c. ex litteris*, 3. §. *ad quod, de probat.* Nisi probetur per productionem processus desuper à Superiore iã canonicè confecto, vel per eiusdẽ Superioris testationẽ in scriptis redactam, & in actis productam, cui standum est, donec cõtrarium probetur. *cap. post cessionem*, 7. *de probat. vbi gl. in verb. litteras Iudicis ord.*

Si verò reperiatur, percussionem non fuisse leuem, sed enormem, dictus lator careat impetratis, quia ob falsitatis expressionem, & veritatis suppressionem, Principum rescripta, & gratię sunt inualida, & nullius momenti. *c. quod super his*, 7. §. *fin. de fide instrumen. c. cum illorum*, 32. §. *qui si claustrales, de sent. excomm.*

Fratrẽ N. Professũ, &c. Si dictus frater N. esset nouitius, nõ autem professus, existimo adhuc præsentes litteras suffragari. Primò, quia cui conceditur quod maius est in vno genere præsupponitur

Cui maior cõceditur in vno genere etiã minus præsupponitur cõcessum in eodem genere.

Oo con-

concedi multo magis, quod minus est in eodem genere. *l. filius familias, 6. §. fin. ff. de donationib. l. Marcellus, 15. ff. de donat. cauſ. mort. l. non debet, 22. ff. de reg. iur. c. ex parte, 27. de decimis.* Ergo ſi latori conceditur, vt poſſit abſolui à percuſſione presbyteri Religioſi profeſſi, multo magis a percuſſione Presbyteri Nouitij, qui ex priuilegio gaudet beneficijs, & exemptionibus profeſſorum, & reputatur Religioſus. *c. nullus, 28. de elect. in 6. gloſſa in clem. 1. in verb. Religioſus, de elect.* & propter hoc etiam fruuntur beneficio canonis, ſi quis ſuadente, vt notatur in *cap. Religioſo, 21. §. finali, vbi gloſſa in verbo, ſed ponamus, de ſentent. excommun. in 6. argu. l. qui habebat, 29. ff. de reb. dubijs.*

Nouitius gaudet priuilegijs profeſſorum.

Secundò, ex ſpecificatione nominis perſonæ offenſæ, determinatur ſuper quo ceciderit percuſſio, & ob quam fuerit incurſa excommunicatio: ergo abſolutio intelligitur conceſſa ſuper perſonali conceſſione Religioſæ perſonæ ſpecificatæ, non autem præcisè ſuper illius adiecta qualitate profeſsionis: & ideo parum intereſt, an per ſe, vel per priuilegium gaudeat in hoc beneficio profeſſorum.

Tertiò, expreſsio nominis proprij inducit præſumptionem ſpecialem ad fauorem illius, cuius cauſa exprimitur. *Bald. in l. 1. quæſt. 3. ff. de offic. conſul. Decius in cap. quoniam Abbas, 14. num. 36. de offic. iudic. delegat.* expreſſio autem nominis appellatiui inducit præſumptionem generalem, cum competere poſsit multis. *Dec. loco cit. num. 30.* Prout eſt iſtud nomen, profeſſus, quod competit omni Religioſo: ſed præſumptio ſpecialis præualet præſumptioni generali, eamque tollit, vt notat *Dec. loco cit. num. 34. & Bart. in l. cum de indebito, 25. in princip. ff. de probat. & Bald. in l. ſiue poſſidetis, 16. colum. 1. verſ. vlt. opponitur, C. de probat.* ergo expreſſio nominis proprij tollit præſumptionem, quam inducit expreſsio nominis appellatiui, profeſsi, & inducit ſpecialem; qua admittitur huiuſmodi facultatem abſoluēdi fuiſſe conceſſam pro percuſsione Fratris N. Religioſi præcisè, ſiue ſit Religioſus per emiſſam profeſsionem, ſiue per priuilegium, vt eſt Nouitius: ergo litteræ huiuſmodi ſuffragantur etiāſi dictus Frater percuſſus, ſit Nouitius.

Expreſſio proprii nominis inducit præſumptionem ſpecialem.

Præſumptio ſpecialis præualet generalis.

Non

Non aduertens, &c. Ista inaduertentia presupponitur valde culpabilis, & inexcusabilis, id est crassa, & supina; quia probabilis excusat ab incursu irregularitatis, sicut excusat ignorantia probabilis. *cap. Apostolicæ, 9. de cleric. excommun. ministr.* cum parum, aut nihil differat ignorantia ab inaduertentia. Nam non aduertens, durante inaduertentia est verè ignorans; & ideò, qui non aduertit se esse excommunicatum, ignorat se esse excommunicatum, et è contra. *cap. cum illorum, 32. §. 1. in fin. de sentent. excomm. in illis verbis, vel non recolunt factum, vel factum scientes.* Ideò exequutor parum in huiusmodi inaduertentiæ qualitate inuestiganda laborare debet, quia inaduertentia crassa, et supina æquiparatur ipsi culpabili aduertentiæ. *l. nec supina, 6. ff. de iuris & facti ignoran. l. ea quæ, 43. ff. de contrahen. emptione.*

Ignorantia probabilis excusat ab irregularitate.

Inaduertentia & ignorantia æquiparantur.

Plurimum doleat, &c. Dictio *plurimum*, idem significat ac multum. *cap. cum dilecta, 22. de rescript. Auth. de mand. Princip. §. sed etiam suscipientes,* et refertur ad forum pœnitentiæ, in quo absoluendus necesse est vt multum, id est super omnia, doleat de offensa Dei.

Nam quoad forum externum, satis est, vt qualitercunque doleat; cum requiratur solummodo, vt absoluendus ab excommunicatione, non sit contumax effectu, & perseuerans in delicto, & pro contumacia solum delinquẽs excommunicetur. *cap. nemo Episcoporum, 11. quæst. 3. glos. in cap. nemo contemnat, in principio, 11. quæst. 3.* & durante contumacia non est absoluendus. *cap. si vero, 4. de senten. excommun.* ergo cessante contumacia est absoluẽdus. *c. porrò, 7. cap. à nobis, 28. §. vnde, de sentent. excomm. cap. final. §. finali. §. fin. de regular.*

Quis dolor in absoluẽdo pro foro fori.

Ad quam contumaciam excludendam quælibet modica displicentia sufficit; hæc enim displicentia sufficienter probatur, non dico per acceptationem, & adimplementum pœnitentiæ sibi impositæ, sed solum per petitionem absolutionis: ideò non est necesse, vt exequutor multum in huiusmodi dolore probando laboret in foro fori, quia satis de eo constat per petitionem absolutionis. *d. c. porrò, de senten. excommun.*

Ad contumaciã excludẽdam quælibet displicentia sufficit.

Adimpleuerit, &c. Si adhuc remaneat aliquid de pœ-

 nis.

nis impositis adimplendum, posse nihilominus existimo deueniri ad exequutionem huiusmodi litterarum, quia adimplementum huiusmodi pœnitentiarum non est causa finalis huius gratiæ, sed causa aliquo modo impulsiua: mouetur enim M. P. primario ex incommodo, quod sentit Religio ex huiusmodi suspensione, vt infra dicemus.

Onerosus, &c. Nec in ista particula verificanda laborandum est; nam clericis suspensio ab exequutione ordinum, est pœna delicti. *c. 2. cleric. excommunic. ministr. c. quæsitũ, 7. de pęnit. & remiss.* pęna verò huiusmodi, est magni oneris ipsi suspenso, quia remouet ab Altari eum, qui ad laicalem statum nec redire, nec in secularibus negotijs se immiscere amplius potest. *c. 1. cum sequent. ne Clerici, vel Monachi;* & hoc operatur, vt suspensus sibi maximè onerosus sit. Quod autem Religiosus Sacerdos per suspensionẽ ab Ordinibus euadat ipsi Religioni etiã onerosus, quis prudenter negabit, cum cogatur Religio alere, et sustinere eum, quem alias ipsa Altaris ministerio destinauerat, & modo per suspensionem suis se votis defraudatam videat, & Conreligiosi eius vices in Ecclesiasticis muneribus supplere debeant? Igitur, ne Religio, aliena culpa, effectus pœnæ amplius sustineat, nostrum hunc Religiosum propter incommodum, quod Religio è sua suspensione percipit, rehabilitandum censemus, *argumento cap. relatum, 37. de sentent. excommunication.* vbi seruus liberatur ab obligatione veniendi personaliter ad Vrbem pro absolutione obtinenda, ne dominus sine culpa sua priuetur obsequio sibi à seruo præstando.

Pro parte Procuratoris generalis, &c De Procuratoris generalis supplicatione noster exequutor non dubitet, quia prius subscribitur supplex libellus à Procuratore generali, quàm concedatur gratia. In huiusmodi enim memorialibus primum Decretum apponitur (Cum Procuratore Ordinis) nisi tamen prius fuerit ab illo subscriptum: & aliquando accidit, vt aliquod simile memoriale à Procuratore generali subscribatur inuoluntarie, ob importunitatem potentis alicuius personæ; sed an sponte; vel coactè subscripserit, non spectat ad nostrum exequutorem inquirere, quia præsumitur spon-

Actum aliquē celebrare, & ei consentire, paria sunt.

spontanea subscriptio, nisi constet contrarium; cum actū aliquem celebrare, & ei consentire, paria sint. *l. vtrum, 6. & l. si ciente, 6. ff. ad leg. Pōpeiam de parricid.* & in dubio semper præsumitur ad fauorem actus. *l. quoties, 80. ff. de verbor. obligat. l. quoties, 13. ff. de reb. dub. l. 3. ff. de milit. testamen.* & coactis subscriptionibus fuit per ipsosmet Procuratores generales alias cōsultum, insinuādo officialibus ad aures violentiam sibi illatam, occultèque instādo pro negatiua gratię. Quod fuit practicatum meo tempore à nescio quo Procuratore generali.

Verbū, committimus, importat iurisdictionis delegationē.

Committimus, &c. Hoc verbum importat delegationem iurisdictionis in aliqua causa particulari. *c. 1. c. pastoralis, 14. §. quoniam autem. cap. ad hæc, 10. c. cæterum, 3. c. ex parte, 33. de rescriptis. cap. preterea, 5. cap. quāuis, 6. prudentiam tuam, 21. c. licet, 3. de offic. & potest. iud. delegat. & notat glos. in l. 1. in verb. qui mandatum, ff. de offic. eius, cui mandata est iurisdictio.* Per hanc ergo clausulam M. P. delegat vices suas, & suam iurisdictionem communicat exequutori ad fauorem, & commodū latoris pręsentiū; sed ne exequutor occasionē habeat abutendi sibi delegata iurisdictione, pręmittuntur illa duo verba, *discretioni tuæ*, quę necessario exposcunt prudens, et rationi congruum delegatę iurisdictionis exercitium. *c. pastoralis, 28. §. item cum totum, de offic. & potest. iud. delegat.*

Cōmittimus discretioni tuæ, hæc clausula importat rationabile iurisdictionis exercitiū.

De verbo, *discretionis*, vide quę diximus in prima Formulę Primę Partis huius Praxis in verbo, *discreto viro.*

Quatenus si est ita, &c. Hęc clausula est familiaris omnibus litteris, & Bullis in forma commissaria à Sede Apostolica, eiusque Officialibus emanantibus. *c. olim, 25. c. dilectus filius, 29. & toto fere titulo de rescriptis.* Immò nulla emanat gratia, quę non habeat saltem tacitam cōditionem huius clausulę, si est ita, hoc est si preces veritati nitantur. *c. ex parte 2. §. verū, vbi Ripa, n. 29. de rescrip. l. finali in principio, C. de diuersis rescript. Soc. cons. 164. num. 6. lib. 2. Felin. in c. finali, nu. 29. de præsump. Couar. in rubr. de testam. 2. parte, n. 14* et comprehendit omnia pręcedentia, *d. c. olim, §. fin. vbi glos. in verbo, si est ità, & c. secundo requires, 41. de appellat.* Sed non eodem modo: nam aliqua comprehendit vt necessaria, et sic necessariò verificanda, sub pœna inualidita-

Clausula quatenus si est ità, sæper subintelligitur, & cōprehenditur omnia precedētia, & tum eodem modo.

tis:aliqua verò secus. Vide, quę in explicatione huiusmodi clausulæ diximus in Prima Parte huius nostræ Praxis, in formula trāsgressionis voti Religionis.

Quæ verò hic necessariò verificanda sint, antequam deueniatur ad actum absolutionis, facillimè colligitur ex ipsarū litterarum inspectione: videlicet leuitas percussionis, & inaduertentia censuræ in celebrando: illa ex facto, eiusque circumstantijs probatur, hæc autem ex proprio iuramento. *c. nulli, 8. & c. vt circa, 4. §. sup. huiusmodi, de elect. in 6. vbi gl. in verb. per proprium. c. pastoralis 4. de excep. c. præsētiū, 31. de testib. c. fin. qui matrim. accus. poss. & c. si verò, 4. vbi Panor. n. 4. de sent. excomm.* Et eo magis, quia de pręiudicio tertij non agitur, quod solum proprio iuramento diminueret, non autē totam detraheret fidē *c. innotuit, 21. de. elect.*

Postquam dicto alij Religioso, &c. Satisfactio partis offensæ omino pręcedere debet. Vide Primam Formulam pręcedentis Tertiæ Partis nostræ huius Praxis, in hac eadē clausula: & quia tam percussus quàm percutiens, sunt Religiosi, & percussio est leuis, vt pręsupponitur, sufficiens satisfactio erit, publicè flectere genua ipsi percusso, & humiliter à Superiore, qui in persona dicti percussi fuit offensus, atque ab ipso percusso petere ve am, vel aliquid simile præstare, prout ipsi Superiori videbitur; solus enim huiusmodi actus humiliationis remanent in potestate Religiosorum; cum per professionē, aliàs se suaque omnia bona Religioni dedicarint. *c. quorūdam, 24. & c. si Religiosus, 28. de elect. in 6. c. non dicatis, §. cum huius, 12. q. 1.* *Religiosorum pr prium est se humiliare.*

Vel per eū non steterit, &c. Vide, quæ de huiusmodi clausula diximus in pręallegata Prima Formula pręcedentis Tertię Partis: nam dari potest casus, in quo noster hic pœnitens, vel non possit satisfacere ob impotentiam physicam, vel ob impotentiam moralē, eo quod à Superiore ad indebitam satisfactionem compellatur, atque ita ad eam pręstandam non teneatur; & poterit à prętenso grauamine appellare ad Sedem Apostolicā, vel forsan ad loci Ordinarium tāquam Sedis Apostolicę delegatum ad supplēdos Prelatorum Regularium defectus in corrigendis suis subditis. *c. monachis, 2. de sen. excom.* Nisi recursus ad Ordinarium loci per peculiares Cōstitutiones Religionis à Sede Apostolica

con-

confirmatas, ſit prohibitus.

Arbitrio tuo, &c. Id eſt boni viri, vt alias diximus.

Abſoluas, &c. Vide, quæ ad hoc propoſitum diximus in Tertia Parte huius Praxis, in formula pro Laico, qui Presbyterum percuſſit, & ab Ordinario declaratus fuit excōmunicatus.

Iniuncta, &c. Familiare eſt ſacris Canonibus ieiunium imponere pro pœnitentia delictorum: & ideò non erit à re alienum, ſi noſtro latori imponatur; ſi tamen noſtro exequutori hoc expedire videbitur, attenta qualitate perſonæ; niſi velit ei in publica menſa diſciplinam demandare; vel niſi à conſtitutionibus præcipuæ pœnæ præſcribātur, quas omnino imponere neceſſe eſt; vel niſi ex conſuetudine ipſius Religionis determinatæ pœnitentiæ imponi ſoleāt pro huiuſmodi criminibus: quibus ſe cōformet omnino exequutor. Olim celebranti in excōmunicatione imponebatur pœnitentia abſtinendi à vino, & carne ſingulis ferijs ſecundis, quartis, & ſextis per tres annos. *c. de illis*, 11. *quæſt.* 3. Sed hodie moderatur arbitrio Sacerdotis, & Iudicis. *c. Deus qui*, 8. *de pœnitentia, & remiſſione*.

Et alijs, &c. Videlicet deferatur ei iuramentum de abſtinendo in futurum ab illicita percuſſione Religioſorum & Clericorum, & de parendo mādatis ipſius exequutoris. *cap. ex tenore*, 10. *de ſent. excommunic. vbi Panor. n.* 1.

Ipſoq; ab exequutione, &c. Pro intelligentia præſentis, ac ſubſequentium clauſularum, videnda ſunt, quæ diximus in præcedenti Tertia Parte noſtræ Praxis, in formula, à mala promotione ante ætatem pro Presbytero.

Quacūque ſui Ordinis, &c. Vide huiuſmodi clauſulam in allegata Tertia Parte, in formula pro Religioſo Presbytero, qui ignoranter omiſſis quatuor minoribus, &c. ne eadem pluries repetere cogamur.

Eumque in priſtinum, &c. Reſtitutio numquam intelligitur in integrum, niſi nominatim exprimatur. *l.* 3. *C. de ſententiam paſſis.* Reorum enim reſtitutiones ſunt ſtricte interpretandæ, quia ſunt odioſæ, & contra publicam vtilitatem, cum Reipublicæ expediat, vt maleficia puniantur. *l. ſi ita vulneratus*, 52. *§. fin. ff. ad leg. Aquiliam. Bald. in c.* 1. *n.* 14. *de Iudicijs*: reſtituere verò in pri-

Reſtitutio in priſtinum non intelligitur conceſſa, niſi exprimatur.

Reſtituere in integrum, & in priſtinum ſtatum, idem ſunt.

pristinum statum, & restituere in integrum, idem sunt, & absolutè reponunt omnia in pristinum statum, vt notat *Dec. in c. 1. nu. 21. de exceptionibus per glossam, & Bart. in l. finali. C. si aduersus rem iud.* & idem *Dec. in rubr. de appell. n. 23. & cons. 436. nu. 3.* Ac propterea faciunt de sui natura, quod restitutus restituatur honori, & ordini pristino, ac cæteris omnibus. *l. fin. §. fin. & l. restituere, 35. ff. de verborũ signif. l. quod si minor, 25. §. restitutio, ff. de minor. §. pari ratione instit. quibus mod. ius patriæ potest. soluatur, l. 1. C. de sent. passis. Dec. in c. sciscitatus, 13. num. 32. de rescriptis.*

Ideo in omnibus, & per omnia noster hic lator vigore præsentis clausulæ reponendus est in pristinum statum, in quo reperiebatur, antequã in prædictos excessus incidisset, & si minimum quid deficiat, non dicetur fuisse in integrum restitutus. *Bald. in c. conquerente, 7. de rest. spol. Dec. in c. de appellationibus, 11. n. 26. de appell. Panor. in c. venerabili, 37. n. 2. de offic. deleg.*

Restitutio in pristinum statum comprehendit ea omnia in quibus non agitur de præiudicio tertii.

Quod tamẽ cum ea intelligendũ est limitatione: si nõ adsit pręiudiciũ tertij. *c. quãuis, 9 de rescrip. in 6. c. super eo, 15. de officio delegati. l. 2. §. si quis à Principe, ff. ne quid in loco publico. Panor. in c. 1. num. 10. de rescriptis. Decius in d. cap. sciscitatus, num. 33. de rescrip. & in cap. quoniam, 13. n. 23. de constitut. & in d. cap. super eo, num. 8. de officio delegati. glossa, & DD. in l. Gallus, 29. §. & quid si tantum, ff. de liber. & posthum. glossa in cap. 2. in verbo, Archidiacon. de decimis in 6.*

Gratia motu proprio, & ex certa scientia concessa non præiudicat iuri acquisito.

Nunquam enim præsumitur Princeps velle præiudicare iuri alteri acquisito, etiamsi gratia fiat motu proprio. *Panorm. in cap. causam quæ, 19. & ibi Hostiens. & alij, de testibus. Decius in d. cap. super eo, num. 10.*

Idemque dicendum, quando in litteris apponatur, *ex certa scientia.* ita *Paulus de Castro cons. 157. Bald. in præludijs feudorum, col. 14. Alex. cons. 23. Dec. loco cit. n. 11.*

Ex quibus noster exequutor aperte colliget, quomodo se gerere debeat pro exequutione pręsentis clausulę. Si noster lator fuit per huiusmodi excessum priuatus officio, vel dignitate, vel aliqua præeminentia antianitatis per sententiam contra eum desuper latã, vel per Cõstitutiones Religionis, & statim ius in eis fuerit alteri acquisitum: restituat illum in pristinum statum in omnibus, in quibus non præiudicetur iuri alteri acquisito, & de hoc præcise, & expresse

pro-

proteſtetur, ne aliquando deſuper dubitari contingat.

Clauſula, nõ obſtantibus, quid importet.

Non obſtantibus, &c. Hæc clauſula ſic generaliter poſita non tollit ordinationes, & cõſtitutiones Apoſtolicas, neque Statuta, & Priuilegia prædictæ Religionis, ſed ad eum duntaxat finem ſuſpendit, vt gratia facta à Maiori Pœnitentiario non extinguatur. *c. fin. §. fin. de ſent. excomm. in 6.* Et propterea ponitur hæc clauſula ad cõfirmationem gratiæ, vt bene notat *Archid. in c. cum aliquibus, 4. in principio de reſcript. in 6.*

Generalis derogatio non comprehendit derogatorias derogatoriorũ.

Conſtitutionibus, &c. Hæc clauſula ſic generaliter concepta non tollit, ſeu ſuſpẽdit eas conſtitutiones, quæ requirunt ſpecialem mentionem ad ſuas derogationes, prout ſunt illæ, quæ continent in ſe clauſulas derogatorias derogatoriarum, vel quando ſpecialiter in eis dicitur, quod eis nunquam intelligatur derogatum, niſi de illis fiat ſpecialis mentio, & earum ſeries de verbo ad verbum inſeratur in derogatione; quia verba generalia non tollunt clauſulas derogatorias. *Dec. conſ. 10. n. 8.*

Neque ſtatuta per Sedem Apoſtolicam, vel iuramento cõfirmata.

Statutis, &c. Non tolluntur Statuta per Sedem Apoſtolicam confirmata. *Felin. in c. nonnulli, 28. n. 10. & in c. conſtitutus, 29. n. 21. verſ. conſidera tertio, de reſcript. Marcheſ. de commiſſion. parte 1. cap. 5. n. 303. & n. 308. gloſ. in clem. dudum, 2. in fine, in verbo, pacta, de ſepult.*

Nec minus ſtatuta iuramẽto roborata, niſi de iuramento fiat ſpecialis mentio. *d. c. cõſtitutus, §. fin. de reſcript.* & bene adnotant *gloſ. in c. eum non deceat, 30. in verbo, effectus, de elect. in 6. Io. Andr. in c. 1. de fil. Presbyt. Iaſon. in l. omnes cuiuſcunque, 6. n. 5. C. ſi contra ius, vel vtil. publ. Bald. in d. c. conſtitutus, n. 15. de reſcript. & hic etiam Decius nu. 15. & num. 17.* & *Panor. n. 7.* rationem reddit, quia tollens ſtatutum, ſi ignorat iuramentum, non habet intentionem illud tollendi, quia iuramentum obligat iurantem Deo. *Rom. conſ. 393. nu. 15. verſ. ſecundo reſpondetur. Marcheſ. loco cit. num. 8.*

Derogatio generalis priuilegiorum non comprehendit priuilegia in corpore iuris clauſa.

Et Priuilegijs, &c. Per hac generalem clauſulam non derogatur illis Priuilegijs, quę in corpore iuris clauſa ſunt, niſi addatur, etiam in corpore iuris clauſis. *l. 3. vbi gloſ. in princip. C. de ſilentiarijs lib. 12. Bart. in l. 2. §. legatis, n. 5. ff. de Iudicijs*: neque Priuilegijs alteri iam conceſſis. *d. clem. dudum, de ſepult. in fin.*

Cate-

Cæterisque contrarijs quibuscunque, &c. Id est, omnibus alijs, quæ ad sui derogationem non requirunt specialem expressionem, ob easdem rationes superius allatas. Hæc clausula cum sit magis vniuersalis præcedentibus, ideo præcedentia subsequi solet. *cap. quoniam contra falsam*, 11. *de probat.*

Obijcit nescio quis contra huius clausulę declarationem a nobis superius positam, quod licet prædicta verba generalia, vt singula sunt, non habeant vim in se derogandi illis constitutionibus, statutis, priuilegijs, quę requirunt specialem mentionem pro sui derogatione; attamen simul vnita sunt efficacioris effectus, & momenti; & propterea illis, vt sic vnitis, concedenda est etiam specialis derogatio; singula enim, quæ non profunt, in vnum multa collecta iuuãt, *l. spadonem*, 17. *§. qui iura*, *ff. de excusat. tutor. cap. cum causam, quæ*, 13. *vbi glossa in verbo, adminicula, de probation.*

Singula, quæ non prosunt, vnita iuuãt.

Respondeo primùm; dato, & non concesso, quod prædicta regula sit vera, adhuc illam non præiudicare prædictæ declarationi: quia ad summum verificari illa posset, quando multa singula in vnũ collecta, tenderent coniunctim ad vnum particularem effectum, prout loquũtur prędicti textus *cap. causam quæ*, & *l. spadonem*. In hoc enim multa tendunt ad excusandũ a tutela; in illo verò ad probandam limitationem Diœcesis; quod non est in casu nostro, cum singula tendant ad certam, & differentem derogationem. Verba enim, *non obstantibus constitutionibus*, tendunt ad derogationem constitutionum, non autem ad derogationem statutorum, & priuilegiorum: & e contra, verba, *non obstantibus statutis, &c.* non tendunt ad derogationem constitutionum, sed statutorum, & sic de aliis, &c. Ergo prædicta regula non obstat nostræ declarationi.

Respondeo secundo, prædictam regulam adhuc non sustineri per dictos textus allegatos, in quibus fundatur. Nam *d. §. qui iura*, potius facit contra ipsam regulam, vbi quæritur, an quis habens plures causas, quæ per se vnaquæque sit insufficiens ad excusandum a susceptione tutelæ, si dictas particulares causas insimul vnitas obiiciat, excusetur a susceptione tutelæ: & præcipitur ibi non excusari. Si ergo multa singula insimul vnita non sufficiunt

ad

ad vnum particularem effectum producendum; multo minus ad diuersos.

Quo vero ad *cap. causam, quæ*, Respondetur, neque istud obstare: quia ibi non dicitur, quod ea singula, quæ in se non habent tantum virium, vt sufficienter possint probare, si in vnum colligantur, probent: sed insinuat varias species probationum, quarum singulæ per se sufficienter probant, vt est scriptura antiquorum librorum, qui per se faciunt fidem. *c. ad audientiam*, 13. *§. nos igitur de præscript.* Testium depositio, cum in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Fama, quę in antiquis, quorum memoria non habetur, probat. *l. si arbiter*, 28. *ff. de probat. l. in summa*, 2. *§. idem Labeo, ff. de aqua pluu. arcenda*. Vel dicamus, prædicta singula, licet per se non facerent sufficientem probationem, nihilominus Summum Pontificem specialiter decernere in allegato casu, quod simul vnita faciant plenam probationem, vt colligitur ex verbo ibi apposito, *mandamus*, quod de sui natura importat iussionem, & præceptum. *c. mandato*, 10. *de præbendis in 6. cap. mandatum*, 38. *& c. eam te*, 7. *de rescriptis*. Si enim iubet, ergo de iure aliàs non probarent: & ideo hoc ad casum non expressum non extendendum.

Antiqui libri probant.

In antiquis fama probat.

AB IRREGVLARITATE.

Ex homicidio in vtroque Foro, pro Regulari.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Religioso viro, &c. Ex parte Fratris N. Religiosi professi Ordinis N. nobis oblata petitio continebat. Quod ipse aliàs post emissam professionem, & sacrorum Ordinum susceptionem, quendam alium sui Ordinis Religiosum, a quo prouocatus fuerat, occidit; propter quod censuras Ecclesiasticas incurrit, & irregularitatem contraxit, nec non a suis Superioribus fuit punitus, & ab exequutione suorum Ordinum suspensus; ab Altari iam per nonnulles annos abstinuit, pænitentias sibi inte-*

interim iniunctas adimplendo. Cum autem, &c. dictus Frater N. de præmissis plurimum doleat, suosque Ordines exercere, ac quæcunque suæ Religionis officia, & dignitates consequi licitè posse desideret, bonumque de eo Procurator generalis eiusdem Ordinis tulerit testimonium; idcirco pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam in vtroque foro absolui, secumque desuper dispensari. Quare etiam pro parte prædicti Procuratoris generalis supplicari nobis humiliter fecit, &c. Nos igitur, &c. quatenus si est ita, dictum Fratrem N. a quibusuis sententijs, censuris, & pęnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, homicidij reatu, & excessibus huiusmodi in vtroque foro absoluas hac vice, in forma Ecclesiæ consueta, iniuncta inde ei pro modo culpæ pęnitentia salutari, & alijs, &c. iniungenda. Demum cum eodem Fratre N. pęnitentia vel illius parte peracta, & suffragantibus, &c. alioque ei canonico non obstante, super irregularitate per eum ex præmissis quomodolibet contracta, quodque illa, & alijs præmissis non obstantibus, postquam in huiusmodi suspensione steterit per tempus arbitrio tuo statuendum, in suis Ordinibus, etiam in Altaris ministerio, non tamen in loco perpetrati delicti, ministrare, & quæcunque sui Ordinis officia, & dignitates, si ad illa aliàs canonice, &c. vt in præcedenti formula.

Omissis ijs, quæ sunt communi a cum pręcedenti prima formula, ad ea tantummodo, quæ huic formulæ sunt propria, nosmet conuertamus.

Prouocatus, &c. Id est turbatus, & commotus. *c. dilecto, 6. vbi glossa in verbo, prouocatus, & Archid. in principio, de sentent. excomm. in 6. cap. suspicionis, 39. de offic. Iudicis delegati.*

Ista animi turbatio, & commotio, triplici ex capite oriri potest. *Prouocatio triplex.* Primo ex verbalibus iniurijs irrogatis, videlicet ex contumelijs, & conuicijs nobis illatis, *cap. veniens, 16. de iureiur.* Secundo ex minis, & insultu hostili cum armis. *l. 3. ff. de vi, & vi armata. cap. susce-*

scepimus, 10. *de homicid. Felin. in cap. dilecti*, 8. *num.* 14. *de exception.* Tertio ex actuali percussione.

Licet prouocatio regulariter non excuset delinquentem, vt notat *Felin. loco cit. num.* 10. nemini enim fas est propriam iniuriam vlcisci. *l. nullus*, 13. *C. de Iudæis, & Cælicolis*: Nihilominus alleuat pœnam. *l. si adulterium*, 38. *§. Imperatores, ff. ad leg. Iul. de adult. l. lex Iulia*, 7. *§. fin. ff. ad l. Iul. repetundarum. Felin. loco cit. num.* 12. Et propterea occidens prouocantem, licet sit culpabilis, quia excessit moderamen inculpatæ tutelæ. *cap. significasti*, 18. *§. finali de homicidio, cap. significauit*, 3. *§. quoniam, de pœnitentia, & remiss.* Non tamen est dolosus, vt notabiliter aduertit *Felin. loco cit. num.* 12. quia difficillimum est, iustum dolorem temperare; & in puniendis delictis maximè consideratur dolus. Nam grauius punitur delinquens ex industria. *cap.* 1. *de homicidio, vbi glossa in verbo, per insidias.*

Prouocatio ex culpa prouocati dolum excludit.

Ex premissis duæ insurgunt difficultates. Prima, an quælibet etiam minima prouocatio alleuet pœnam delicti. Secunda, an gratia reddatur ipso facto inualida, si prouocatio mendaciter allegetur.

Quoad primam respondetur, minimam prouocationem secundum se sumptam, non alleuare pœnam, quia de minimis non curat prætor. Dixi secundũ se sumpta: quia si hęc copuletur cum ira prouocati alia ex causa prius exorta, alleuat pœnam: si enim ira per se delinquentem excusat a rigore pęnæ subeundo, per *dictam l. lex Iulia, §. fin. & per Felin. loco citat. num.* 12. multo magis si superaddatur prouocatio.

Ira excusat delinquentem a rigore pœna.

Maioris momenti videtur esse secundo allegata difficultas: nam homicidium ex industria perpetratum excluditur a venia, quasi irremissibile. *Concil. Tridentinum, sess.* 14. *cap.* 7. Propterea homicidæ huiusmodi protestatur Ecclesia se nolle patrocinari, vt moriatur. *d. cap.* 1. *de homicidio*. Ergo allegatio falsæ prouocationis, per quam tacetur, immo negatur præcedens in homicidio industria, facit gratiam subreptitiam, & consecutiuè nullam. *cap. super litteris*, 30. *§. nos igitur, de rescriptis*. Mendax enim precator debet carere penitus impetratis.

Ideo necesse est vt allegata prouocatio vere extiterit, ad hoc vt huiusmodi absolutio, & dispensatio demandentur exequutioni.

Quid dicendum, si fuerit

leuis

leuis prouocatio, an adhuc gratia sit in suo robore, nec ne, cum minima non habeantur in consideratione. *l. scio, 4. ff. de in integr. restitut. l. 4. in fine, ff. de ædilit. edict.* & ideo leuis prouocatio habeatur, ac si non præcessisset. Respondetur, adhuc gratiam remanere in suo robore, eo quod leuis prouocatio excludit præcedentem industriam, quam sacri Canones summopere in homicidio detestantur. Secũdo prouocatio respicit homicidium in ordine ad pęnam homicidæ mitius infligendam, non autem ad homicidam excusandũ ab ipsius homicidij reatu, vt supra diximus: ergo parum interest quoad gratiæ validitatem, an prouocatio fuerit leuis, vel grauis, cum mendacium non sit in precibus porrectis, & vere præcesserit prouocatio, & propterea gratia carens subreptione, & obreptione fit valida: & eo magis, quia agitur de reintegranda Religione, quæ absque sua culpa in suo Religioso fuerat punita, & priuata illius ministerio in Altari; & cum sit causa fauorabilis, debet latè interpretari. *cap. odia, 15. de reg. iuris in 6.* & ideo quælibet prouocatio etiam leuis, admittitur pro validitate huius gratiæ.

Leuis prouocatio excludit industriã.

Ad leges in contrarium allatas respondeo, illas locum habere quando agitur de præiudicio alteri inferendo: nam loquuntur de inualidandis emptionibus, & venditionibus, & propterea de tollendo iuri alteri acquisito, quod minima ex causa fieri nequit: ideo non procedunt in nostro casu.

Per nonnullos, *&c.* Id est per aliquot annos, qui in duobus ad minus annis verificari debent. *cap. pluralis loquutio, 40. de reg. iuris in 6. l. vbi numerus, 12. ff. de testibus.*

Abstinuerit, *&c.* Quod intelligendum credo de ministerio sacrorum Ordinum, non autem de Minorum Ordinum exercitio, quos tamen dummodo non exercuerit vt ordinatus; consuetudo enim recepit, vt etiam laici, & non ordinati, inseruiant Altari in actibus minorum Ordinum. *Syluestr. verbo irregularitas, num. 14. Tolet. in sum. lib. 1. cap. 72. de irregul. in Ordin. minist. num. 1. prope finem.* Et ideo vere dicitur, quod abstinuerit ab exercitio suorum Ordinum, cum actus minorum Ordinum, non vt ordinatus, sed vt Laicus exercuerit.

Ciuitatis nomine veniunt suburbia.

Iniuncta, *&c.* Pœnitentiæ grauitas, vel leuitas commensuranda erit ex qualitate prouocationis, ob rationes superius allatas.

Non tamen in loco, *&c.* Si locus delicti est Ciuitas, nomine loci veniunt non solum Ciuitas, verum etiam suburbia, quia nomine Ciuitatis intelliguntur etiam suburbia. *l. 2. vbi glos. in verbo, in continentibus*, *l. qui in continentibus*, 147. *l. collegarum*, 173. *l. ædificia*, 139. *l. vt Alphenus*, 87. *ff. de verb. signif. glos. in l. mille passus*, 154. *verbo, continentibus*, *ff. eodem*. Si verò est castrum muratum, & extra muros habeat ædificia, idem dicendum est. *c. si ciuitas*, 17. *de sentent. excommunic. in 6. Bart. in l. Vrbis appellatio*, 2. *num. 2. ff. de verborum signif.* Et præcipuè in nostro casu, alias enim eluderetur finis Maioris Pœnitentiarij, qui per huiusmodi prohibitionem intendit obuiare scandalis, quæ in populo generarentur, si noster homicida in eorum celebraret suburbijs, *argum. dicti cap. si ciuitas.* Ideo noster exequutor expressè prohibeat dicto Fratri N. celebrare, & Ordines, & officia exercere non solum in loco delicti, verum etiam in continentibus ædificijs, id est in eius suburbijs.

Reliqua vide in præcedenti formula.

DISPENSATIO

Pro volente ingredi Religionem.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Religioso viro, cuicumque Superiori cuiusuis Religionis à Sede Apostolica approbatæ, per latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligendo, salutem in Domino. Ex parte N.N. laici Sidoniensis latoris præsentium, nobis oblata petitio continebat, quod ipse aliàs hominem sibi infensum occidit: modo ad pœnitentiam suorum peccatorum peragendam cupit Religionem ingredi, & in ea ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus ordines promoueri, ac quacunque dicta Religionis,*

nis officia, & dignitates consequi licitè posse. Cum autem, &c. dictus N. huiusmodi suum desiderium consequi nequeat absque speciali Sedis Apostolicæ dispensatione, pro sua conscientiæ quiete cupit à præmissis, de quibus plurimum dolet, in vtroque foro absolui, secumque desuper dispēsari. Quare, &c. Nos igitur, &c. discretioni tuæ committimus, quatenus si est ita, dictum N. postquam cum Fisco concordauerit, & hæredibus occisi si nondum satisfecit, satisfecerit, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, homicidij reatu, & excessibus huiusmodi in vtroque foro, ad effectum ingrediendi Religionem dumtaxat, absoluas hac vice, &c. Iniuncta, &c. iniungenda: Ac cum eodem, vt Constitutione Sixti Papæ V. contra facinorosos edita non obstante, Religionem à Sede Apostolica approbatam (non tamen Ordinis Sancti Spiritus, seu Sancti Antonij, vel aliquam aliam militarem) vbi beneuolos inuenerit receptores, ingredi, & in ea professionem emittere, & post emissam professionem, suffragantibus sibi dignis pœnitentiæ fructibus, & meritis, alioque ei canonico non obstante, super irregularitate per eum ex præmissis quomodolibet contracta, quodque illa, & alijs præmissis non obstantibus, Clericali charactere (si eo nondum insignitus extitit) insigniri, & ad omnes, etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, si ad id aliàs idoneus reperiatur, promoueri, & postquam promotus fuerit, in illis, etiam in Altaris ministerio (non tamen in loco perpetrati delicti) ministrare, & quæcunque dictę Religionis officia, & dignitates, si ad illa aliàs canonice, &c. vt in præcedentibus formulis.

Cuicumque Superiori, &c. Per hanc clausulam conceditur quidem dicto N. electio Superioris, sed ex illis tantum qui in sua Religione habent ordinariam iurisdictionem de-

delictorum enim absolutiones, & dispensationes, locorũ Ordinarijs committũtur, quãdo conceduntur in vtroque foro, vt specialiter de homicidio decreuit S. *Concil. Trid. c.7. sess.14. de reform.* Et ideo cum à M.P. emanãt huiusmodi absolutiones, & dispẽsationes ad fauorẽ eorum, qui Religionem ingredi volunt, earũ exequutio committitur ijs Superioribus, qui ordinariam habent iurisdictionem, quales sunt Generales, Prouinciales, Abbates, & alij Superiores locales, qui in sua Religione, Prouincia, Monasterio, Conuentu, Collegio respectiue ordinariam habẽt iurisdictionem; agitur enim de interesse suæ Religionis, dum criminosus recipi debet: & ideò isti, vt ordinarij Iudices Religionis, cognoscere debent, an recipiendus ille sit, & mereatur ad sacros ordines promoueri, & ad officia, & ad dignitates Religionis admitti, nec ne. Vnum ex his, & non alios, dictus N. pro exequutione præsentium litterarum eligere tenetur sub pœna nullitatis, quia facultas eligendi alicui simpliciter concessa solum est de persona eligenda, quæ non habeat impedimentum, pro quo de iure eligi non possit. *cap. cum ad nostram, 37. de electione.* Priuilegia enim debent intelligi secundum naturam materiæ, in quam cadunt. *l. in contractibus, 15. C. de non numer. pecun. l. si vno, 17. ff. locati.*

Facultas eligendi est de persona legitima eligenda.

Infensum, &c. Id est inimicum, quocunque modo sit inimicus.

Occidit, &c. Per hæc verba genaralia homicidij, Primo non comprehenduntur Clericidium, & Presbytericidium: Secundò, nec assassinium: hæc enim delicta habent peculiarẽ grauitatem, & enormitatem, & specialibus pœnis notantur, ac puniuntur per sacros Canones. *c. in quibusdam, 12. vbi Panorm. n. .. & c. ad aures, 10. de pœnis, & c. 1. de homicidio in 6.* Ideo eorum qualitates necessariò exprimendæ, alias gratiæ desuper concessæ, sunt inualidæ, & nullius roboris: nã si qualitas assassinij fuisset expressa, vel gratia esset pœnitus denegata, vel saltẽ præscripta Religio strictioris Ordinis, remota latoris electione arbitraria.

Nomine homicidii non venit Presbytericidium.

Ad pœnitentiam, &c. Ad hunc tamen effectum est licitum ingredi Religionem. *arg. c. tuæ, 6. de pœnis,* non autem ad illius honores, & dignitates, ac temporalia commoda consequenda. *c. cum ad nostram, 37. & c. officij tui, 38. de elect.*

Religio est locus pænitentia peragẽdæ.

cap. sunt in Ecclesia, 8. quæst. 1.

Consequi nequeat, &c. Constitutio Sixti huius nominis Quinti, emanata sub 12. Kal. Nouembris, & publicata die septima eiusdem mensis Nouembris, quæ incipit, *Cùm de omnibus Ecclesiast, &c.* prohibet facinorosis hominibus ingressum, & professionẽ Regularem sub pœna nullitatis; & istorum admissio ad habitũ, vel ad professionem prohibetur Superioribus Religionum sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, nec non officiorum, & dignitatum, & perpetuæ ad illa inhabilitatis ipso facto incurrendarum.

Facinorosi excluduntur à Religionis ingressu.

Postquam cum Fisco concordauerit, &c. Hæc concordia necessariò præcedere debet, cum per conditionem hic apponatur, & propterea verificanda prius, quam huiusmodi gratia exequutioni demandetur: dictio enim, *Postquam,* importat tempus præteritum, & excludit futurum, vt sæpius diximus: & verbum *concordauerit,* actum importat perfectum concordiæ.

Cum Fisco, &c. Fiscus est Camera Imperij complectens quidquid ad illius commodũ pertinet. *Bart. in rubr. C. de Iure Fisci, lib. 10. Peregr. de Iure Fisci, lib. 1. tit. 1. num. 2.*

Fiscus est Camera Principis.

Aliquando sumitur pro loco, in quo reponũtur scripturæ Fiscales, & Patrimoniales Imperij, *vt Bart. loco cit.*

Aliquãdo demum sumitur pro prædictę Camerę Imperij Officialibus qui habent administrationẽ, & curam redditũ eiusdẽ Camerę. *Dec. cons. 104. in princ. & cons. 700. n. 7.*

Officiales prædictæ Cameræ veniũt nomine Fisci.

Hęc Camera appellatur Fiscus, quasi fixus, id est firmus, duplici ex capite: Primo, quia semper est diues, & soluendo. *l. 2. ff. de fundo dotali. Bart. loco cit.* Secundò, quia est perpetuus, & nunquam moritur, vt notatur in *l. vnica, §. fin. ff. si quis ius dicen. non obtemperauer. Peregr. loco cit. n. 34. & 37.* Ad hanc Imperij Cameram spectant delinquentium bona, & pœnæ pecuniariæ. *l. fin. C. de iure Fisci. l. Papinianus, 8. §. meminisse, ff. de inoff. testam. l. multarum, 5. C. de modo multarum. Peregr. de iure Fisci, lib. 4. tit. 8. n. 1. & 7. Clarus in sua Praxi criminali, lib. 5. §. fin. q. 78. per totam. Bald. in cap. 1. §. ad hac col. 3. de pace iuramen. firman.* Fiscum appellat saccum sine cõscientia, quia imbursat malè acquisita, & ex maleficijs prouenientia.

Fiscus est saccum sine conscientia.

Cum hac Camera noster hic lator concordare omnino debet, vel per compositionem, vel per remissionem criminis.

minis. Compoſitio eſt, quando criminis reatus, id eſt, obligatio ad pœnam corporalem pro crimine contracta redimitur pecunia: & hæc reponitur in dicta Camera, vt ſupra diximus: vel per gratioſam pœnæ remiſſionem; vtraque ſpectat ad ſupremum Principem, qui pro ſui Imperij Camera, vel pœnam ex integro remittere, & indulgere, vel minuere, aut admittere ad pecuniariam compoſitionem ſolummodo poteſt. *l. acta apud ſe, 45. §. de amplianda, ff. de re iudicata. l. Diui Fratres, 27. l. ad beſtias, 31. l. moris, 9. §. ſed enim, ff. de pœnis. l. 1. §. finali, ff. de quæſtion. l. quoties, 2. C. de precibus Imperatori offerend. l. quinque. 57. C. de Decurion. lib. 10. gloſ. in l. 2. verbo, concedi, C. de in ius vocando, quam DD. communiter ſequuntur, vt refert Clarus in ſua Praxi criminali lib. 5. q. 59. §. fin. num. 1. ex ſententia Pariſii conſ. 1. num. 1. lib. 4.* Princeps enim ſupra legem eſt. *l. Princeps, 31. ff. de legibus.* Vnde in Principe omnis pœna arbitraria eſt, quia vt dicunt *Bald. in l. 1. col. 8. verſ. vlt. opponitur, C. de ſumm. Trinit. & Felin. in c. qualiter, & quando, 24. §. ad corrigendos, n. 17. de accuſat. & peregrin. de Iure Fiſci, lib. 1. tit. 8. num. 15.* arbitrium ſuum accipit ex motu cæleſti, cum in manu Dei ſit cor Principis. Antequã noſter exequutor apponat manus exequutioni præſentium litterarum, faciat ſibi exhiberi legale inſtrumentum, vel remiſſionis à Principe, vt ſupra gratioſe obtentæ; vel liberationis à moleſtijs Curiæ mediante compoſitione, vt ſupra admiſſa, & ſoluta, per eandem Curiam ſibi impertitæ.

Remiſſio, & cõpoſitio delictorum ad Principem ſpectant.

Ex heredibus occiſi, &c. Hæc etiam ſatisfactio præcedere debet omnino. Qui verò veniant nomine heredum, vide, quæ diximus in Tertia præcedẽti noſtræ Praxis Parte, in formula Abſolutionis à Presbytericidio, in verbo, *ac etiam hæredibus*.

Si nondum ſatisfecit, &c. Cum in homicidio duo fuerint offenſi, & Reſpublica, & priuata perſona, per ſuperius allegata, fuit Reſpublica in perſona Principis ſatisfacta: Princeps enim repreſẽtat Rẽpublicam, cum in eum omnis Reipublicæ ratio tranſlata per populum fuerit. *§. ſed, & quod inſtit. de iure nat. gen. & ciuili. l. 1. ff. de Conſtit. Principum.* nec Princeps per admiſſam criminis compoſitionem, vel illius remiſſionem, præſumitur velle alteri preiudicium inferre, auferendo ius illi debitum,

Princeps repræſentat Rẽpublicam.

vt supra diximus. Remanet igitur in nostro latore obligatio satisfaciendi hæredibus occisi.

Satisfactio non debet esse in corpore, quia hæc solummodo ad publicum spectat iudicium, & iam, vt supra diximus, fuit remissa, vel commutata, sed in crumena. Et licet liberum corpus non recipiat æstimationem. *l. ex hac*, 3. *ff. si quadrupes paup. fecisse dicatur*. *L. 1. §. cum liber homo*, *& l. vlt. ff. de his, qui deiecerint, vel effuderint*. *l. 2. §. cum in eadem, ff. ad l. Rhodiã de iactu*; Nihilominus damna ex illius occisione sequuta, reficienda sunt, & iniuria ipsis in morte prædicta illata, est pecunijs cõpensanda. *c. 1. & c. olim*, 7. *de iniurijs*.

Liberum corpus non recipit æstimationem.

Cum damnorum, & iniuriarum actiones, & compensationes debeantur ea passis, *d. cap. olim.* nec defuncto refici possint, nisi in persona sui hæredis, quia hæres repræsentat personam defuncti. *l. heredem*, 40. *vbi Decius n. 1. ff. de reg. iuris §. 1. Auth. de iureiur. à moriente præstito, vbi glossa, in verbo sibimet. Dec. conf.* 679. *n.* 5. Ergo hæredi refici debent. Quænam debeat esse huiusmodi satisfactio, nostri exequutoris arbitrio relinquẽda est determinatio. Vide, quæ de huiusmodi clausula diximus in formula absolutionis à Presbytericidio, quæ habetur in Tertia præcedenti Parte.

A quibusuis sententijs, &c. Hæc absolutio à censuris est familiaris, tam in litteris immediate à Summo Pontifice, quam mediate per eius Officiales emanatis: & hoc ad eum finem, vt gratia facilius suum sortiatur effectum.

Quas propter præmissa, &c. Hæc clausula limitat ad censuras, si quas propter superius narrata lator incurrit: dictio enim *propter*, est dictio causalis, & denotat tam causã proximam, quam causam remotã, & impulsiuam. *c. quoniam contra falsum*, 11. *§. fin. de prob. Bal. in c. quia propter*, 42. *n.* 27. *de elect. Caldas conf.* 282. *n.* 2. *vers. & pro hac parte alias*, 4. *de locato.* Dictio verò, *præmissa, prædicta*, & similia, important repetitionem eorum, quæ superius fuerunt narrata, vt per *Bart. in l. 2. §. finali. ff. si famil. furtum fecisse dicatur*. Et propterea hæ duæ dictiones simul coniunctæ, denotãt causam huiusmodi censurarum, si quæ sint, esse superius expresã in præcedenti facto.

Dictio, propter, est causalis.

Et ex his collige differentem effectum huius clausulæ, quando ponitur in litteris immediatè à Summo Pontifice ema-

emanatis, & quando ponitur in Litteris, & Bullis, quas Maior Pœnitentiarius concedit: in illis enim suspenduntur omnes, & singulæ censuræ, quibus quouis modo impetrans irretitus existat, ad effectum, vt gratia suum effectum habeat, & valida existat: in his autem non suspendit, sed demandat absolutionem censurarum, occasione casus in illis expressi per impetrantem incursarum.

Ad effectum duntaxat, &c. Cum dictio, *duntaxat*, limitet, & restringat eam dispositionem, vbi ponitur, ad casus expressos tantum, vt diximus in Formula Absolutionis pro defuncto, *vers. ad effectum duntaxat*, in Tertia præcedenti Parte; sequitur, quod noster lator absoluatur ab homicidij reatu ad hoc tantum, vt recipi possit ad habitum, & professionem: propter homicidium enim repellitur ab ingressu Religionis per Constitutionem Sixti Papæ Quinti, contra facinorosos editam; & audentes eum recipere puniũtur priuatione officiorum, & dignitatum, & vocis actiuæ, & passiuæ per eandem Constitutionem.

Sublata occasione ingrediendi Religionem, absolutio ab homicidio in vtroque foro non delegatur, nisi Iudici ordinario, per *Concil. Trident. loco supra alleg.* qui Iudex ordinarius non est Superior Religionis extra Religionem; & ideo cessante ingressu huiusmodi, cessat etiam delegata facultas absoluendi.

Absoluas, &c. Vide quæ in præcedẽtibus formulis diximus in eodem verbo, *absoluas.*

Iniuncta, &c. Pœnitentia est latori imponenda in operibus, quæ sint compatibilia cum statu Religioso, quem assumit. Quęnam sint hęc pœnitentiæ opera, nemo melius determinare valet, quam prędictus Superior Religionis, qui præsumitur optimè informatus de toto statu suæ Religionis.

Et alijs, &c. Videat executor, an per huiusmodi homicidium alteri præter hæredes sit illatum damnum; & ad hoc resarciendum an lator teneatur, iuxta à nobis determinata in Secunda Parte huius Praxis in Formula pro altero machinante de contracto in clausula, *nec non ijs, &c.*

Vt Constitutione, &c. Hæc clausula est derogatoria Constitutionis Sixti, & habilitat latorem, vt possit recipi ad Religio-

ligionem, & Superiori prædicto concedit vt legitimè, & sine pœnarum incursu illum ad Religionem, nec non ad professionem admittere queat: dictio enim, *non obstante*, vbicunque ponitur, inducit derogationem, prout in præcedenti formula diximus.

Dictio, non obstante, inducit derogationem.

Approbatam, &c. Ecclesiæ, id est, Sedis Apostolicæ approbatio semper fuit necessaria ad instituendam Religionem. Olim Episcopi poterant, ex tacito Papæ consensu, approbare statum Religiosũ, vt refert *Bellar. lib. de Monachis, cap. 4. & Lessius lib. 2. cap. 41. de statu Religioso, dubitat. 1. nu. 12.* Sed hodie sine expressa licentia Papæ, nemo potest nouam Religionem instituere, neque habitum Religionis alias erectæ, nisi fuerit per eãdem Sedem Apostolicã prius confirmata, suscipere, & in ea professionẽ emittere: & si professionem emiserit, professio erit nulla. *c. 1. de religios. domib. in 6. & c. fin. eod. tit.* Rationem adducit *Lessius loco cit. n. 14.* ex eo enim, quod Ecclesia prohibet illam formam viuendi, & profitendi, nec tribuit facultatem illam acceptãdi, prohibet etiam illarũ vsum: & ideo qui eam amplexati sunt, possunt licitè illam deserere, & non tenẽtur ad votorum emissorum obligationem, quia ad ea vota non se obligarunt obseruanda, nisi in Religione; & Ecclesia per supradictos Canones se nolle illa acceptare expresse declarauit.

In Religionibus instituendis est necessaria approbatio Sedis Apostolicæ.

Hæc autem approbatio Religionis per Sedem Apostolicam necessariò faciẽda dupliciter modo fieri potest: vel côcedendo licentiam, vt illa erigatur, & instituatur: vel eam iam erectam, & institutam confirmando: & vtraque fit mediantibus litteris sub plumbo, vel in forma Breuis sub Annulo Piscatoris expeditis.

Ad instituendam aliquã Religionem requiritur expressus côsensus Sedis Apostolicæ, & nõ sufficit tacitus.

Nec suffragatur, si prætensæ Religionis erectio attẽtetur in facie Summi Pontificis, & eo tacitè permittente. Nam ni præsumitur talem prætensam Religionẽ tolerari, & permitti, vt pium Institutum; non autem vt Religionem, vt bene aduertit *Lessius loco cit. nu. 14. vers. aduerte tamen.*

Et hoc probatur ex cõsuetudine. Nam Summus Pontifex huiusmodi licentias, & cõfirmationes non concedit, nisi in scriptis: consuetudo autem habet vim legis. Et ideo *Sylu. in sum. verb. relig. 1. in princ.* dicit, & bene, *per litteras Apostolicas iudicandũ esse, quia Religio sit approbata, & quae non.*

Secundo probatur ex regulis Cancellariæ. Gratiæ enim à Sede Apostolica obtentæ non suffra-

ſuffragantur, niſi litteris deſuper expeditis.

Clauſula, nō tamen, eſt excluſiua.

Non tamen, &c. Hæc clauſula de ſui natura eſt excluſiua eorum, quibus coniungitur, à præcedenti generali diſpoſitione. *c. cum dilectus filius, 6. de arbitris. l. non tamen, 38. ff. de Procuratoribus. l. non tamen, 24. ff de euictiõ. Dec. in cap. ex parte, 2. num. 67. de reſcriptis.* Et propterea lator vigore præſentis gratiæ non poteſt ingredi Religionem Sancti Spiritus, vel Sancti Antonij, neque aliquam Religionem militarem, videlicet Sancti Ioannis Hieroſolymitani, & ſimilium, quæ de ſui inſtitutione militiam profitentur ſub limitatis Regulis, & Conſtitutionibus: & hoc ad effectum, vt ſub clauſtrali cuſtodia perpetratum delictum flere facilius cogatur.

Hinc ſequitur, neminem prædictarum Religionum Superiorem eligi poſſe pro exequutione præſentiũ litterarũ.

Vbi beneuolos, &c. Per hanc clauſulam declaratur intentio M. Pœnitentiarij, qui non intendit per præſentes litteras cogere Superiores Religionis ad recipiendum latorem, ſed ſolummodo concedere illis facultatem recipiendi, non obſtante præallegata Sixti Conſtitutione: ſi tamen velint illum recipere, & in eum beneficium conferre receptionis: hoc enim importat dictio illa, *ſi*, quæ eſt conditionalis, & importat conditionẽ, vt aliàs diximus, & verbum, *beneuolos*, quod præſupponit, ſed non inducit bonam voluntatem, cum ſit idẽ ac beneficæ voluntatis eſſe. Igitur, cum ſit hæc clauſula conditionalis, & conditionalem faciat diſpoſitionem, cui iungitur; non ſortietur ſuum effectum, niſi adimpleatur conditio, quod Superiores Religionis latorem velint recipere ad habitum Religionis. Ergo per hanc clauſulam declaratur, quod M. P. non intendit cogere ad latorem recipiendum, ſed ſolum concedere facultatem recipiendi, ſi velint.

Profeſſionem, &c. Id eſt, eam profeſſionem, quæ à Clericis eiuſdẽ Religionis emitti ſolet, vel ſaltem vt clericus emittat, ſi ſit eadem profeſſio Clericorum, & Conuerſorum. Nam ſi emittat profeſsionẽ, vt conuerſus, & Superior eius profeſsionem, vt conuerſi, recipiat, iam non poterit, cum eo vigore præſentium litterarum diſpenſari ad Ordines, cum ſtatus Religioſorum conuerſorum per Conſtitutiones Pontificias, & particularia

Religioſus cõuerſus non poteſt promoueri ad Ordines.

Religionum statuta remoueatur a clericali Ordine. *cap. ex eo, 32. §. in Ecclesijs, de election. in 6. & per reformationem Regularium factam a Clemente Octauo felicis recordationis.*

Emittere, &c. Subintelligitur, expleto solitæ probationis tempore; nemo enim ad professionem admittendus est sine expleto Nouitiatu. *cap. ad apostolicam, 16. de regi. cap. non solum, 2. & sequen. de regul. in 6.* & si secus emittatur, nulla erit professio, per *Concil. Trid. de reform. sess. 25. cap. 15.* cui nunquam intelligitur derogatum, nisi de huiusmodi derogatione fiat specialis mentio.

Et post emissam, &c. Ex quibus verbis deducunt aliqui, absolutionem, & dispensationem, quoad ingressum, & professionem, faciendas antequam lator recipiatur; si enim non præmittantur, nec ille recipi, nec cum Superiores recipere possint, ob prææallegatam constitutionẽ Sixti. Quo verò ad Ordines, & dignitates, dispensationẽ admittunt faciendam post emissam a latore professionem; quia dictio, *post*, excludit omne tempus præcedens, vt sæpius diximus, & solum admittit subsequens; & si secus fiat, nulla, & inualida erit; quia tempus subsequens professionem ponitur de forma dispositionis, & forma præscripta etiam in minimis est obseruanda, & si deficiat in minimo, actus corruit. *l. cum hi, 8. §. si prætor. ff. de transact. l. non dubium, 5. C. de legibus.*

Clausula, & tamen, &c. explicatur.

Contrarium alij probabilius existimant, videlicet vnico contextu posse cum latore dispensari, & ad professionem, & ad Ordines; quia conditio temporis apposita non cadit super dispensationis tempus, sed super effectũ dispensationis, nec respicit actum dispensantis, sed dispensandi, cum dictiones, *vt post*, insimul vnitæ vbi ponuntur, faciunt dispositionem conditionalem. *l. Aristo ait, 18. §. idem Aristo, vbi glossa in verbo, obligatione, ff. de donationibus*; & propterea impediunt, ne ante præscriptum tempus locum habeat dispositio. Ergo, cùm hæ dictiones hic ponantur in ordinibus suscipiendis, & dignitatibus obtinendis, impediunt solum latorem, ne ante professionem promoueatur, non autem nostrum exequutorem, ne cum eadem temporis conditione possit prius cum illo dispensare.

Dictiones, vt post inducũt conditionem.

Ad rationem in contrarium

tium allatam de forma, quæ etiam in minimo seruanda est, respondent de forma esse, vt cum latore dispensetur, ad effectum vt possit, postquam emiserit professionem, ordinari: non autem de forma esse, vt post professionem cum illo dispensetur, vt ex præsentis clausulę verbis ipsis apparere dicunt; & ideo non obstare eorum sententiæ. Non negant tamen, exequutorem posse diuidere huiusmodi dispensationem, si velit. Sicut enim Maior Pœnitentiarius non iubet vt insimul tota hęc dispensatio exequutioni demandetur secundum omnes suas partes, ita etiam, nec prohibet diuisionem: ideo relinquitur arbitrio exequutoris. Et licet persona Superioris, quæ partem huius dispensationis exequitur, deponat officium Superioritatis, ob quod fuit electus ad exequutionem præsentium litterarum; nihilominus successor in officio Superioris succedet etiam in officio exequutoris, nam non fuit electa industria personæ, sed illius officium. Primam tamen sententiam veriorem existimo. Nam, si bene huius clausulæ verba perpendantur, necesse erit fateri, a prædictis duobus dictionibus, *vt*, & *post*, eodem modo respici dispensantem, ac dispensandum: quia si prohibent latori ordinari ante emissam professionem, mandant etiam, vt super irregularitate non possit cum eo dispensari, nisi post emissam professionem; immediate enim post illa verba *emissam professionem*, apponitur illa conditio verificanda priusquam deueniatur ad actum dispensationis desuper præstandæ; videlicet, si suffragentur pœnitentiæ fructus, & merita, & aliud non obstet canonicum impedimentum: quæ verba in ablatiuo posita, important conditionem: ablatiuus enim absolutus inducit conditionem, sine qua non; *l. a testatore*, 108. *ff. de conditionibus, & demonstrat.* Sed hæc conditio verificanda est post emissam professionem, ob rationes superius allatas; ergo super irregularitate cum latore dispensari nequit, nisi post emissam professionem.

Ablatiuus absolutus importat conditionem.

Ad rationem pro secunda sententia allatam respondeo, vt supra, videlicet prædictam temporis conditionem eodem modo respicere dispensationem super irregularitate, ac eius effectum, & sic eodem modo dispensantem, & dispensandum. Ad illud de forma, eodem modo respondetur, quod sicut præscribitur tempus dispensando ad Ordines susci-

suscipiendos, ita dispensanti ad dispensandum super irregularitate: Ideo ab vtroque forma prædicta est seruanda.

Ad vltimam rationem respondeo negando, quod Maior Pœnitentiarius non iubeat dispensationem super irregularitate exequutioni demandandam post emissam professionem, ob rationes prædictas; & ideo non est locus arbitrio exequutoris adeo, vt possit ad suum libitum præmittere, vel postponere exequutionem dispensationis quoad irregularitatem.

Et suffraganitibus, &c. In verificatione huius clausulæ parum laborādum est: quia ex eo, quod lator admittatur ad professionem, colliguntur eius digni pœnitentiæ fructus, & merita. Indignus enim, & impœnitens, non admittitur ad Professionem, sed expellitur *arg. d. c. ad Apostolicam de Regular.*

Aliquo ei canonico non obstante, &c. Id est impedimento. Quæ autem sint huiusmodi impedimenta, vide quæ in præcedenti Tertia Parte diximus.

Si aliud adsit impedimentum, existimo abstinendum a dispensatione: facultas enim hæc dispensandi est conditionalis per prædicta verba in ablatiuo absoluto posita; & ideo non existente conditione per illa verba requisita, actus dispensationis erit nullus, & inualidus. *l. si quis sub conditione. 8. ff. si quis omissa causa testam. l. cedere diem 213. ff. de verborum signific.*

Super irregularitate, &c. Vide, quæ in præcedentibus formulis super eisdem verbis diximus.

Reliqua huius formulæ, vide in formula pro Clerico simoniaco in præcedenti tertia Parte.

PRO

PRO LAICO.

Qui duo homicidia commisit, & ad pœnitentiam suorum peccatorum Religionem ingredi desiderat vti Conuersus, seu Laicus.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Religioso viro, cuicumque Superiori, &c. Ex parte N. laici latoris præsentium, &c. Quod ipse alias duo homicidia rixando perpetrauit; modo pœnitentia ductus ad suorum peccatorum pœnitentiam peragendam desiderat Religionem ingredi; & in ea professionem per illius conuersos, seu laicos emitti solitam emittere. Cum autem, &c. dictus N. sua assequi nequeat vota absque speciali Sedis Apostolicæ dispensatione. Idcircò pro suæ conscientiæ quiete cupit à præmissis, de quibus plurimum dolet, in vtroque foro absolui, secumque desuper dispensari. Quare, &c. Nos igitur, &c. discretioni tuæ committimus, quatenus si est ita, dictum N. postquam cum Fisco, & heredibus occisorum concordauerit, à præmissis in vtroque foro, ad effectum ingrediendi Religionem duntaxat, absoluas hac vice, &c. Iniuncta, &c. iniungen. &c. at cum eodem, vt Constitutione Sixti V. contra facinorosos edita non obstante. Religionem à Sede Apostolica approbatam ingredi, & in ea professionem ab eisdem Conuersis emitti solitam emittere, ibique quoad vixerit remanere, & perseuerare licitè valeat, misericorditer dispenses. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, &c.*

De hac formula pauca remanent explicanda, cũ coincidant fere omnia cũ præcedenti.

Homicidia, &c. Qualitates homicidiorum intelligẽdæ sunt vt in præcedenti.

Con-

Conuersos, &c. In vnaquaq; Religione claustrali duo sunt Religiosorum ordines: primarius est Clericorum, ad quos spectat totius Ordinis institutum, & administratio: alter Conuersorum, seu laicorū, quibus demandantur seruitia temporalia cuiuslibet Conuentus, Monasterij, &c. secundum eorum indigentiam, Superiorisque arbitrium: & propterea Conuersi efficiuntur quasi serui Monasterij & Religionis. *glos. in c. vt lex, in verbo, Professi, 27. q. 1. quam sequitur Panor. in c. non est, 7. nu. 2. de regularib.* adeo vt secūdum prædictam glossam, neque ad strictiorem Religionem transire valeant. Ambo vero sunt professi, sed vnusquisque in suo ordine, adeo vt Conuersus ad Clericorum ordinem prædictum ascendere prorsus nequeat, non solum post professionem emissam, verum etiam nec durante tempore probationis. Hæc autem prohibitio non solum est in peculiaribus cuiusque Religionis Constitutionibus, verum etiam in decretis Reformationis Regularium *fel. record. Clementis Octaui, in titulo, Institutiones super receptione, & educatione Nouitiorum, vers. tempore vero probationis.*

Conuersi Religiosi sunt quasi serui Religionis.

Conuersus religiosus nō solum post amissam professionem, verum etiam pro tempore Nouitiatus potest promoueri ad Ordines.

Ac hæredibus, &c. Hęc laufula idē importat, ac in præcedenti formula, licet verba aliquantulum immutata sint: nam idem est satisfacere, & concordare, cum vnusquisq; creditor, et recipere satisfactionem, & remittere debitori tam possit, & vtroque modo intelligatur illi satisfactum: quilibet enim iuri suo renunciare potest, & sic per remissionem debitor liberatur ab vlteriori satisfactione. *l. si quis in conscribendo, 49. C. de Epis. & Cler. l. penult. C. de pactis. l. fin. C. de fideicomm. cap. si de terra, 6. de priuileg. c. tuis, 39. in fine, vbi glos. in verb. remittatur, de testibus.*

Religionem, &c. Id est, claustralem, Monasteria, enim claustralia sunt deputata ad peccatorum pœnitentiam peragendam. *cap. tua, 6. de pœnis, cap. de lapsis, 16. quæst. 6. cap. si ille, distin. 50. c. dictum, dist. 81. cap. admouere, 33. quæst. 2.*

Per Conuersos, &c. Lator præsentium triplici ex parte repellendus est à professione clericorum: Primō ob homicidium, quod, vt sæpius diximus, repellit ab Altari. Secūdo, ob præallegatam Constitutionem Sixti Quinti. Tertio, pro-

propter limitatam Constitutionis eiusdem derogationem a Maiori Pœnitentiario concessam, quæ solum habilitat latorem ad professionem conuersorum; & si secus fiat, professio erit nulla, & Superior qui eam recepit, non effugiet pœnas in prædicta Constitutione contentas. Priuilegiatæ enim concessiones, & gratiæ debent seruari in rebus, in quibus loquuntur. *cap. cum & plantare*, 3. *cap. porrò*, 7. & *c. petisti*, 20. *de priuil. Panor. in c. cum ordinem*, 6. *num*. 2. *de rescriptis*.

Priuilegiatæ gratiæ seruanda in rebus expressis tantum.

Quoad vixerit, &c. **Id est, perpetuo, adeo vt, nec absolutio, nec dispensatio, nec pœnitentia temporaneæ sint, sed omnes perpetuę: professio enim est vinculum perpetuum, & Professus non potest amplius redire ad secularem statum.** ***c. cum virum*, 12. *de regular*.**

Remanere, &c. Non aufert hæc clausula potestatem Superioribus eijciendi latorem à Religione in casu incorrigibilitatis. Incorrigibiles enim eijciuntur à Religione. *c. fin. de regular*. & dantur aliqui casus in vnaquaque Religione, propter quos professi eijciuntur. *cap. cum ad monasterium*, 6. *de statu monachorum*.

Incorrigibiles expellendi ob bonum publicũ Religionis.

Resecandæ sunt putridæ carnes, & ouis scabiosa a caulis repellenda, ne tota domus massa, corpus, & pecora ardeant, & corrumpantur. *cap. resecandæ*, 24. *q*. 3. *c. sed illud, dist*. 45.

Solumque operatur hæc clausula, vt lator teneatur emissa professione perseuerare in Religione, nec possit ab ea vnquam recedere, nec Superiores eum expellere possint, si vitam suæ professioni congruam duxerit.

Reliqua huius Formulæ vide in præcedenti.



A 3

ABSOLVTIO.

Pro Regulari ex parentibus Hebræis nato, qui nulla præuia dispensatione professus in Religione N. ibiq; factus est Sacerdos, & diuersa officia, & dignitates exercuit, ad effectum, &c.

F*R. Antonius Barberinus, &c. Religioso viro Prouinciali, &c. Ordinis Fratrum P. A. Ex parte Fratris N. latoris præsentium nobis oblata petitio continebat: Quod ipse ex parentibus Hebrais genitus, sed ab infantia baptizatus, aliàs huiusmodi sui naturali defectu minimè propalato, prædictam Religionem ingressus, professionem per illius Clericos emitti solitam emisit, atque ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratos ordines promoueri se fecit, & in eis ministrauit, diuersaque eiusdem Ordinis officia, & dignitates exercuit, nulla desuper dispensatione prius obtenta; & idcircò dubitat se censuras Ecclesiasticas incurrisse, & irregularitatem contraxisse. Cum autem, &c. dictus Frater N. in dicta sua Religione remanere, suosque ordines exercere, ac quæcunque suæ Religionis officia, & dignitates consequi licitè posse desideret, pro sua conscientiæ quiete cupit à præmissis, de quibus plurimum dolet, in vtroque foro per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare etiam pro parte Procuratoris generalis eiusdem Ordinis, &c. Nos igitur, &c. Quatenus si est ita, dictum Fratrem N. à quibusuis sententijs, censuris, & pænis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, in vtroque foro absoluas hac vice, &c. Iniunct. &c. Iniungẽda. Ipsoque ab exequutione suorũ ordinum suspenso. Demum cum eodem Fratre N. vt præmissis*

non

non obstantibus, in dicta Religione remanere, ac suffragantibus, &c. alioque ei canonico non obstante, super irregularitate, &c. Prout in præcedenti prima Formula vsque ad illud verbum, *dispenses*. Post quod sequatur. *Non obstantibus Pauli Quarti, & Gregorij XIII. Romanorum Pontificum, alijsque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusuis dicti Ordinis etiam iuramento, & confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis Statutis, & Priuilegijs, cæterisque contrarijs quibuscunque.*

Ex parentibus Hebræis, etc. Multi sunt Religiosorum Ordines, qui iustas ob causas non admittunt ad eorum habitum, & professionem Hebræos, & alios Infideles ad fidem conuersos, & ab eis descendentes ex linea masculina: & hoc, quia per eorundem Constitutiones, et Statuta prohibetur istorum receptio sub pœna nullitatis, & inualiditatis professionis: alij vero simpliciter prohibent. Quinam sint isti Ordines, non necesse esse existimo hic exprimere.

Infantia per primum sexennium cõpletur & baptizatus in infantia non reputatur neophytus.

Ab infantia, &c. Infantia sibi vendicat primos sex ætatis cuiusque annos. *glos. in c. fin. in verb. infanti, de tempor. ordin. in 6.* & Iudæus, qui hoc interim baptizatur, non annumeratur inter Neophytos. *arg. quicunque distin. 77. & notauit Turrecrem. In cap. probibentur dist. 48.* Ratio videtur esse, quia ob defectum vsus rationis non potuit iudicare, & ante vsum rationis est factus Christianus. Et ideò ex hoc colligitur quod d. Frater N. non potuerit annumerari inter Neophytos. Et successiuè excludi à Clericorum numero. Neophytus enim ad tẽpus prohibetur, ne in superbiã elatus incidat in laqueum diaboli. *c. Neophytus distin. 61. cap. prohibentur, & cap. quoniam distin. 48. cap. qui in aliquo distin. 51. cap. monasterij, 19. quæst. 3.* Dixi ad tempus, quia quando sunt benè instructi in fide, & abest superbiæ periculum, possunt ordinari, *cap. sicut Neophytus dist. 48.* Quæ duo præsumuntur, quando quis iam à multo tempore fuit baptizatus, & ad fidem conuersus, vt notauit *Turrecrem. in dict.*

Neophytus ad tempus excluditur ab ordinibus.

dist. c. prohibentur. Multũ autem tempus est decennium.

Propalato, &c. Omnia impedimenta, & præcipue essentialia aperienda sunt Superiori Religionis ab illo, qui ad eam admittitur: id est, ea omnia, quæ sunt contra institutum, & constitutiones, vel statuta ipsius Religionis, & si ea a principio detexisset, non fuisset ad eam regulariter admissus, & receptus. Tacito ergo impedimento huiusmodi, receptio est dolosa ex culpa ipsius recepti, & ideo non debet illi suffragari, cum dolus nemini patrocinetur. *l. nec ex dolo*, 13. *ff. de dolo*. Et est nulla ex persona recipientis, qui non præsumitur consentire in eo, quod ignorat. *l. si per errorem*, 15. *ff. de iurisdictione omnium iud.* Et eo magis, quia Superior recipiens non intẽdit, nec potest recipere nisi personas, eas habentes conditiones, quas Religio in eis exposcit; & eas præsumitur excludere personas, quas Religionis statuta excludunt: & ideo ex defectu huiusmodi cõsensus, receptio, & professio sunt nullæ.

Consensus nõ est de eo quod ignoratur.

Et cum per receptionem, & professionem, fiat contractus quidam inter Religionem, & conuersum, necesse est ad validitatem istius contractus, vt vtriusque consensus existat, aliàs contractus claudicaret; obligaret enim receptum, non autem recipientem. Contractus autem non debent claudicare. *l. Iulianus*, 14. *§. si quis, ff. de actionibus empti*. *l. si cum dies*, 26. *§. penul. ff. de recep. arbitr. l. Labeo*, 14. *ff. de verborum signif. Vide Suarez de Relig. tom.* 4. *tractatu* 10. *lib.* 2. *cap.* 2. *de impedimento ex defectu originis*.

Contractus non debent claudicare.

In dicta Religione, &c. In quamplurimis Religionibus, & precipue in Religione Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia, extat peculiare statutum, quo prohibetur Iudæos, & ab eis descendentes, ad earum habitum recipi, & ad professionem admitti; & si secus fiat, eorum receptio, & professio, sint irritæ, & nullius roboris. Huiusmodi statutum in Religione Fratrum Minorum de obseruantia, vt testatur *Nauar. lib.* 3. *Conf. de Regul. cons.* 26. *num* 1. fuit per plura quàm decem Capitula generalia editum, & confirmatum: & ideo Frater N. prædictus si aliquam ex dictis Religionibus est ingressus, iuxta formam illius nõ est professus, neque potest in Religione retineri, sed debet eijci, nisi de Sedis Apostolicę benignitate ei prouideatur.

Exer-

Exercere licite, *&c.* Poſita nullitate Profeſſionis, male Frater N. fuit promotus ad titulum Religionis, & cum litteris dimiſſorijs ſui Superioris tantum, vt aliàs diximus in præcedenti Tertia Parte, in formula pro eo, qui in adoleſcentia profeſſionem emiſit in Religione Fratrum N. animo diſcedendi. Vide quæ ibi diximus in verbo, *animo tamen*, *&c.* Ac propterea remanet cenſuris irretitus, & ſine præuia abſolutione, ac diſpenſatione, non poteſt Ordines exercere, & multo minus officia, & dignitates, quæ a ſolis profeſſis exerceri poſſunt. *cap. cum cauſam*, 27. §. *quia igitur de elect.*

Non profeſſus non poteſt aſſumi ad dignitates Religionis.

Remanere, *&c.* Conatur *Nauar. loco ſupracit.* probare huiuſmodi ſtatutum eſſe nullius roboris, eo quod fuerit factum auctoritate ordinaria, & ſit circa ea quæ ſpectant ad eſſentiam trium votorum ſolemnium Religionis, quorum diſpoſitio videtur pertinere ad ſolum Summum Pontificem. Sed tanti Viri pace non mihi videtur eius ſubſiſtere poſſe conſilium: nam prædictum ſtatutum nõ diſponit circa votorum eſſentiam, ſed circa perſonas, quæ illa emittunt, quarum electio ſpectat ad Religionum Superiores, eorũque arbitrio per Sac. Canones, & Summorum Pontificum conſtitutiones illa demandatur. *c. ad Apoſtolicam*, 16. *de Regular. cap. exijt*, *qui ſeminat*, 3. §. *verum quia*, *verſ. caueant tamen*, *de verborum ſignificat. in* 6. *Concil. Trident. de reformat. Regular. ſeſſ.* 25. *cap.* 16. Ergo habito reſpectu ad publicum Religionis bonũ, ipſi Superiores poſſunt determinare qualitates, & conditiones in recipiendo, ſine quibus ſi aliquis recipiatur, receptio ſit irrita, & nullius roboris, & momenti.

Profeſsio igitur dicti Fratris N. facta cum dicto impedimento Originis eſt nulla, & inualida, & ille remanere non poteſt in Religione abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione: & propterea vigore huius clauſulæ habilitatur ad profeſſionem emittendam, & ad remanendum in Religione: nã ſine profeſſione nemo poſt expletum nouitiatum retineri debet in Religione, per *Concil. Trident. loco proximè cit.*

Nec ſupplere poteſt Principis auctoritas, quod alterius conſenſum neceſſario expoſcit ad ſui validitatem. Sed ad validitatem profeſſionis neceſſario requiruntur nouus, & Religionis, & profitentis conſenſus, quia ab initio

fuerunt inualide prestiti ob allegatum impedimētum, & sic nulli, actus enim inualidus & nullus æquiparantur. *l. si aut nullum*, 4. *C. de leg. hæred.* idcirco sunt de nouo præstandi a Religione, & a latore, ad hoc vt lator profiteri, & remanere in Religione licite possit: & eo magis quia gratię simpliciter factę a Papa, nisi specialiter in litteris fiat derogatio iuris cōmunis dispositioni, præsumūtur fieri ad formam iuris. *c. si eo tempore*, 10. *de rescriptis in 6.* sed secundum iuris formā nemo potest remanere in Religione post expletum Nouitiatum, nisi emittat professionē, vt supra diximus: ergo cum per M. P. non derogetur iuris dispositioni, dictus Frater N. tenetur secundum iuris formā de nouo professionem validè emittere ad hoc vt in Religione remanere possit.

Derogatio iuris communis non præsumitur nisi exprimatur.

Super irregularitate, &c. Cum præcedat remanere in Religione, & subsequatur dispensandi facultas super irregularitate, necessario colligat noster exequutor, ad actum dispēsandi super irregularitate deuenire non posse, nisi post nouam a dicto Fratre N. emissam validè professionem: ordo enim scripturæ semper attēditur in dispositionibus. *l. generaliter*, 24. *§. quis ergo: ff. de fid. liber. l. 1. ff. de vsufr. c. penul. vbi glos. in princip. de rescriptis in 6. c. mandato*, 10. *de prabēdis eod. lib.* quia ordo scripturę demonstrat ordinem voluntatis. *d. l. 1. vbi Bar. ff. de vsuf. l. hæredes mei*, 57. *§. fin. ad Trebell. d. l. generaliter*, *§. quis ergo, vbi glos. in verbo, scriptura, ff. de fideic. liber. d. cap. mandato de præbend. in 6. c. si quis*, 46. *§. verum de elect. in 6.* Nisi aliter cōstaret de intentione scribētis, *c. authoritate Martini*, 7. *§. fin. de conceß. prabenda in 6.*

Ordo scripturæ in dispositionibus attenditur.

Ordo scripturæ demonstrat ordinem voluntatis.

Confirmatur ratione: nā ante professionem de nouo emittēdam, remanet dictus Frater N. sine titulo ad ordines requisito, ideo non est ei relaxāda suspensio ob defectum huiusmodi tituli incursa, & consequenter dictus Fr. N. nō est admittendus ad ordinum exercitiū, antequam habeat titulū sufficientem: hunc autē nequit habere, nisi per professionē emissam, nec alium titulum præsupponit M. P. in dicto Fr. N. nisi Religionis: ideo cum illo non nisi post emissam professionem dispensari poterit super irregularitate.

Non obstantibus Pauli IV. &c. Cū clausulę generales nō derogent illis cōstitutionibus, quæ requirunt specialem mētionem ad eorum derogationem, vt supra diximus, M. P. spe-

specialiter per hanc clausulam primo mentionem, & derogationem facit *Constitutionis Pauli Quarti, quæ incipit; Ex clementi Sedis Apostolicæ, &c. editæ 1. Iulij 1555. & alterius Constitutionis Gregorij XIII. quæ incipit, Ex benigna, &c. editæ 21. Martij 1575.* Per has enim Constitutiones specialiter, & generaliter approbantur, innouantur, & cõfirmantur omnia & singula priuilegia, facultates, & gratię aliàs per Summos Pontifices prædecessores ad fauorem dicti Ordinis concessę, supplendo etiam defectus illorum, si qui extarent, cum clausulis specialibus, & generalibus, atque amplissimis derogatorijs: ac propterea his non derogatum censetur per solas clausulas generales, ob rationes in præcedenti Formula à me assignatas, & ideo requirunt specialem derogationẽ.

Præcedẽs specificatio, amplias subsequentẽ generalitatem ad non expressa, quæ deberent specialiter exprimi.

Alijsque, &c. Ex præcedentium Constitutionum specificatione sequitur aliud beneficium ad fauorem subsequentis clausulæ generalis, *alijsque Constitutionibus, &c.* recipit enim tantam vim, vt deroget etiam alijs Constitutionibus, quæ ad sui derogationem exposcunt specialem mentionem: quando enim in derogationib⁹ specificatur aliquid, quod ad sui derogationem requirat specialẽ mẽtionem, & postea adijciatur clausula generalis derogatoria, tunc extenditur etiam ad non expressa. *c. qui ad agendũ, 4. de procurat. in 6. vbi Archidiaconus vers. sed si admittatur.* quod cõfirmatur ex subsequẽti dictione, *alijs*, quæ regulariter facit positionem eiusdem qualitatis cum pręcedẽtibus, vt benè notauit *Panor. in cap. fin. nu. 7. de præb.* & sicut præcedentia importabãt specialem derogationem, ita hęc subsequens dictio; & ideò derogat omnibus alijs Constitutionibus, quæ requirũt specialẽ mentionẽ, ac si specialiter esset de illis facta mentio.

Quauis alia firmitate, etc. Hanc clausulæ partem optimè declarat *glossa in cap. cum aliquibus, 4. in verbo, firmitate, de rescriptis in 6.* vbi dicit, quod ad corroboranda Statuta, vltra iuramentum, & cõfirmationem Apostolicam, prout in textu prædicti capituli, solent apponi ab ipsismet statuentibus, vel eorũ Superioribus, pœnæ transgressoribus, quæ non modicã tribuũt statutis firmitatẽ; multo enim magis coercet timor pœnæ, quam legis authoritas, Ideo ad remouẽdas huiusmodi pęnas, siue ab ipsis statuentibus,

siue à quibusuis eorum Superioribus appositas, nec non ad derogandum confirmationibus per Legatos, seu Nũtios Sedis Apostolicæ, vel per quosuis alios iurisdictionem habentes desuper factis, M. Pęnitentiarius vsus est præsenti clausula derogatoria, per quã dictę pœnæ tolluntur, vt ex pręallegata glossa colligitur.

Reliqua vide in pręcedenti formula.

LICENTIA

Remanendi in Religione pro Religioso translato.

FR. Antonius Barberinus, &c. Religioso viro Prouinciali Ordinis A. Prouinciæ P. salutẽ in Domino. Ex parte Fratris N. Presbyteri Religiosi professi Ordinis M. nobis oblata petitio continebat. Quod ipse aliàs Religionem Ordinis M. ingressus in ea professionem emisit, atque ad omnes, etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines promotus, in illis ministrauit, & deinde absque vlla Superiorum licentia de facto se transtulit ad prædictam tuam Religionem, ibique per plures annos mansit, suos Ordines similiter exercendo; & propterea dubitat se in censuras Ecclesiasticas incurrisse, & irregularitatem contraxiße. Cum autem, &c. dictus Frater N. de præmißis plurimum doleat, & in tua dicta Religione remanere, suosque ordines exercere, & quacunque eiusdem Religionis officia, & dignitates consequi licitè poße desideret, & consensum desuper opportunum a Superioribus primo dicti Ordinis iam obtinuerit; pro sua conscientia quiete cupit in vtroque foro per Sedem Apostolicam absolui, secumque desuper dispensari. Quare etiam pro parte Procuratoris generalis tuæ Religionis supplicari nobis humiliter fecit, vt sibi, &c. Nos igitur, &c. discretioni tuæ committimus, quatenus si est ita, dictum Fratrem N. a quibusuis sententijs, censuris, et pœnis Ecclesiasticis,

quas

quas propter præmiſſa quomodolibet incurrit, & exceſsibus huiuſmodi in vtroque foro abſoluas hac vice in forma Eccleſiæ conſueta, iniuncta, &c iniungenda; ipſoque latore ab exequutione ſuorum Ordinum ſuſpenſo. Demum cum eodem, N. vt præmiſsis non obſtantibus, in ſecundo dicta Religione remanere, ibique profeſsionem, quatenus opus ſit, de nouo emittere, & poſt emiſſam profeſsionem ſuffragantibus, &c. vt in præcedenti formula, vſque ad verbum, *diſpenſes*, incluſiuè, poſt quod ſubiungetur: *Ita quod a Superioribus primo dictæ Religionis reuocari, & deſuper moleſtari nequeat. Non obſtantibus præmiſsis, ac Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non dictorum Ordinum ſtatutis, & priuilegijs, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.*

Cum ſæpe ſub melioris vitæ frugis prætextu ſoleant aliqui Religioſi immemores ſuæ vocationis, & ſalutis, tranſuolare ad alios Ordines; vel ex animi leuitate, vel ex temeritate. *cap. licet*, 18. *de Regul.* Maior Pœnitentiarius per præſentem ſuarum litterarum formulam ſolet illorum animæ ſaluti conſulere. Nos igitur breuiter ſingulas dictarum litterarum clauſulas, quæ differant a præcedentibus, explicabimus.

Abſque vlla, &c. Olim quilibet Religioſus poterat a Religione, quam profeſſus fuerat, impune tranſire ad ſtrictiorem Ordinem, petita prius, & non obtenta a ſuis Superioribus licentia. *d. cap. licet de Regularibus. c. ex parte*, 10. *vbi gloſſa in verbo ad nigros, de tempor. ordinan.* Non tamen ad laxiorem, vel æqualem. *cap. intelleximus*, 12. *de ætate, & qualit. ordin. d. cap. licet. gloſſa in d. cap. ex parte cit.*

Tranſitus ad ſtrictiorem ordinem petita, & non obtenta a ſuis Superioribus licentia.

Hodie vero vltra ius commune quamplures extant Religiones, quæ peculiaria habent priuilegia, & indulta ſibi a Summis Pontificibus cōceſſa, quibus prohibetur omnibus, & ſingulis cuiuſcunque prædictarum Religionum Religioſis, tranſitus ad alios Ordines etiam ſtrictiores, ſine licentia ſuorum Superiorum, vel Sedis Apoſtolicæ: Mendicantibus prohibetur per extrauagantem *Martini Quarti, quæ incipit, Viam ambitioſæ*

Hodie requiritur expreſſa licentia Superiorum, vel Sedis Apoſtolicæ.

de Regularibus, transitus ad Monachales, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam incurrunt etiam aliarum Religionum Superiores, si absque prædicta licentia eos recipiant ad habitum, Carthusiana tamen excepta.

Aliæ Religiones simili prohibitione circumuallatæ existunt per aliorum Summorũ Pontificum Constitutiones, & priuilegia, inter quas est mea Societas per indulta, & priuilegia sibi concessa *a Paulo III. Pio V. Gregorio XIII. alijsque Summis Pontificibus*.

Ideo dictus Frater N. absque licentia transeundo, illicite se transtulit ad secundo dictam Religionem.

Licentia, *&c.* Securius est in scriptis huiusmodi licentiam obtinere, vel saltem coram duobus testibus, & præcipue vbi in vim priuilegiorum requiritur expressa Superiorum licentia: nam vbi expressum requiritur non sufficit tacitum, vel præsumptum. *cap. finali de Procuratoribus lib. 6. cap. licet, 2. de præben. eod. lib.*

Tacitum non sufficit vbi expressum requiritur.

Ex quibus collige diuersos modos probandi prædictam licentiam: vel per patentes litteras desuper ab ipsomet concedente confectas: vel per testium depositionem: vel per ipsiusmet Superioris vocalem assertionẽ, & confirmationem.

Superiorum, *&c.* Non quilibet Superior potest huiusmo di licẽtiam impertiri, sed Generalis, vel Capitulum generale, vel alter Superior, qui in specie habeat facultatem cõcedendi, vel ab ipso Generali, vel ab ipsis priuilegijs: speciale enim mandatum requiritur in ijs, quę pręiudicium inferre possunt alteri. *c. qui ad agendũ, 4. in fine vbi glos. magna de Proc. in 6.* Sed hic trãsitus infert præiudicium ipsi Religioni; ergo ad huiusmodi licentiã impertiendã requiritur speciale mandatum. Quod huiusmo di licentia inferat præiudiciũ religioni, patet, quia prędictus transitus iniuriam facit, & spoliat Religionem suo subdito. *d. c. licet.* ideo ad transitum huiusmodi concedendũ requiritur speciale mandatũ: & si isti Superiores inferiores nõ possunt impertiri huiusmodi licẽtiam, nec subditi eã ab his petere possunt; & si petãt, nulliter petunt, & consecutiue huiusmodi petitio nihil suffragatur, intuitu *d. cap. licet de Reg.* & multo minus intuitu particularium Priuilegiorum, & indultorum.

Ad præiudicium inferendum requiritur speciale mandatum.

Propterea dubitat, *&c.* Dubium est rationabile, quia si

ſi tranſitus fuit ad ſtrictiorem, debebat omnino præcedere ad minus licentiæ petitio; ſi ad laxiorem, vel ad æqualem, multo magis requirebatur licentia, & ideo ab incurſu cenſurarum Eccleſiaſticarum contra ſimilia perpetrantes inflictarum dictus Frater N. excuſari non poteſt, & ſucceſſiuè, neque ab irregularitate, quia interim ordines exercuit; niſi ignorantia cenſurarum illum à cõtractu irregularitatis liberet, per *cap. Apoſtolicæ Sedis, 9 de clerico excommun.*

In ſecundo dicta Religione remanere, &c. Si primo dicta Religio eſt ſtrictioris obſeruantiæ, vel habet peculiare indultum, quo omnino prohibetur tranſitus ad quamcumque aliam Religionem, cum clauſula irritante, poteſt dictum Fratrem N. reuocare ad ſe. *cap. Ioannes, 5, & ibi gloſ. cap. ſanè. 10. &c. licet, 18. de regularib.* & propterea ſi velit in ſecunda dicta Religione lator remanere, omnino eget diſpenſatione, cum prima profeſſio adhuc in ſuo robore exiſtat, dictumque Fratrem N. ſibi addictum retineat Prima Religio.

Conſenſum, &c. Familiare eſt M.P. quando abſolutiones, diſpenſationes, aliaſque licentias concedit Religioſis in vtroque foro, prius expoſcere conſenſum ab illorum Superioribus plurimas ob cauſas. Primò, vt ſubordinatio ſeruetur, & Prælati admoneãtur de cura, quam de ſuis ſubditis habere debent, cum de eorum manibus ſanguis ſubditorum requirendus ſit. *c. fin. de regular. c. cùm ad monaſterium, 6. §. Abbas, de ſtatu Monachorũ.* Secũdò, vt prędicti Fratris N. Prælatus ſic liberum ſe agnoſcat ab obligatione requirẽdi ſubditum fugitiuũ, prout obligatus prius exiſtebat, *d. c. fin.* Tertiò, ne Religio inuita, & abſque culpa priuetur ſubdito, cum iure ſuo nemo priuandus eſt abſque culpa. *l. crimen, 26. ff. de pœnis, l. ſancimus, 22. C. de pœnis. c. non debet, 22. de reg. iur. in 6. c. cognoſcentes, 2. de conſtit.* huiuſmodi conſenſus præſtatur in ſcriptis à Generali vel Procuratore generali Ordinis, & exhibetur S.P. officio, vna cum ſupplici libello ab Oratore porrigendo.

Quare etiã pro parte Procuratoris generalis ſecũdo dictæ Religionis, &c. Vt ſecũdo dictæ Religionis indemnitati conſulatur, requiritur illius aſſẽſus, quãdo aliquis ad profeſſionẽ in ea eſt admittẽdus: nemo enim permittendus eſt in Religione profeſſionẽ emittere,

tere, cuius Religio mores experta nõ sit, & approbauerit. *c. ad Apostolica, in 16. de regul. cap. exijt, 3. §. verum quia, vers. caueant autem, de verb. significat. in 6. Concil. Triden. sess. 25. de reformat. cap. 16.*

Quatenus opus sit, &c. Hæc clausula conditionem inducens, ideò hic apponitur, quia in aliquibus Ordinibus sunt diuersæ Congregationes, quarum aliquę sunt laxatæ obseruantiæ, aliquæ vero strictioris; in vtrisque tamen est eadem professio, & obligatio: illę solum recesserunt ab exacta primæui sui instituti obseruantia, hæ autem vel eam retinent, vel de nouo reassumpserunt; & ideò quoad substantialia est eadem vtriusque professio, ac propterea non est necesse eam reiterare, si quis à strictiori ad laxiorem transeat, in eodem tamen Ordine, & Religione; vt verbi gratia ad Carmelitas Mitigatos à Discalceatis, ad Conuentuales ab Obseruantibus sancti Francisci, & similium.

Reiterãda nõ est professio si transitus fiat de vna Cõgregatione ad aliam eiusdẽ Ordinis.

Ita quod à Superioribus, &c. Hæc clausula in specie ponitur, vt non solum intelligatur dicto Fratri N. concessa licentia remanendi in secundo dicta Religione, sed ablata primo dictæ Religionis Superioribus facultas illum sibi vendicandi, & reuocandi: ex iure enim canonico competit Abbati actio sibi vendicandi Monachum. *cap. non est vobis, 7. c Ioãnes, 5. de regular. glos. in l. 1. in verbo, adiecta causa, ff. de rei vendicatione.*

Abbas potest sibi vendicare suum Monachum.

Quibus, & alijs similibus iuribus per hanc clausulam specificè derogatur ad fauorem prædicti Fratris N. cum ab illorum potestate liberetur per præsentes litteras.

Religiqua videnda sunt in precedenti formula.

LICENTIA

Se transferendi pro Religioso.

FR. *Antonius Barberinus, &c. Religioso viro, cuicunque Superiori cuiusuis Ordinis à Sede Apostolica approbati, per latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligendo, salutem in Domino.*

Ex

Ex parte Fratris N. Religiosi Ordinis sancti P. Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias post emissam in prædicta sua Religione professionem recessit ab ea absque suorum Superiorum licentia, habitu etiam regulari dimisso, & idcirco in censuras Ecclesiasticas incurrit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Frater N. modo ad cor reuersus de præmissis plurimum doleat, & vt animæ suæ saluti consulat, ad aliam Religionem se transferre desideret, pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedē Apostolicam in vtroq; foro absolui, secumque desuper dispensari. Quare etiam pro parte Procuratoris generalis prædictæ suæ Religionis supplicari nobis humiliter fecit, &c. Nos igitur, &c. discretioni tuæ committimus, Quatenus si est ita, dictum Fratrem N. à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, Apostasiæ nota, & excessibus huiusmodi in vtroque foro ad effectum infrascriptum duntaxat absoluas hac vice, &c. Iniunctis, &c. iniungēdis, ac cum eodem, vt præmissis non obstantibus Religionem à Sede Apostolica approbatam, vbi beneuolos inuenerit receptores, ingredi, & in ea professionem emittere, ibique quoad vixerit remanere, & perseuerare licitè valeat, misericorditer dispenses. Ita quod à Superioribus primo dictæ Religionis reuocari, & desuper molestari nequeat. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, &c. Prout in præcedenti: post verbum, *quibuscunque*, additur. *Cæterum si dictus Frater N. intra quatuor proximos menses secundo dictam Religionem ingressus non fuerit, nihil illi præsentes litteræ suffragentur. Datum, &c.*

Cuicunque, &c. Vide quæ diximus in præcedenti.

Formula pro volente ingredi, super eisdem verbis.

Cuius-

Transitus à claustrali ad militarem non solet concedi.

Cuiusuis Ordinis, &c. Id est claustralis, nam à claustrali ad Ordinē militarem regulariter non conceditur per M.P. transitus. Secundo, quia nomine Religionis propriè venit ea vniuersitas à Sede Apostolica approbata, in qua tria vota substantialia promittuntur. Ita *Io. Andr. in rubrica de regul. n.* 3. & illi dicuntur propriè Religiosi, qui tria vota substantialia profitentur. *Panorm. in c. dilecta,* 12. *n.* 4. *de maiorit. & obedient. & in rubr. de regul. n.* 1. *Decius in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ,* 10. *n.* 50. *de Constitutionib. Syluest. verbo Religio,* 1. *n.* 1. *& alij comm. uniter.* Tertiò, secundum communem vsum loquendi nomine Religionis accipitur vniuersitas illa, in qua tria vota substantialia Religiosi profitētur, & in communi in claustro viuunt: ergo non potest dictus Frater N. vigore præsentium litterarum trāsire ad Ordinem militarem. Difficultas est, an teneatur ad equalem, vel laxiorem, vel ad strictiorem trāsire, si in his omnibus inueniat beneuolos receptores. Et videtur dicendum, quod in potestate dicti Fratris N. sit arbitraria electio, & ideò illa, quam elegerit, erit bene electa. Patet, quia habens liberā facultatem eligendi, potest eligere quod vult, & non adstringitur magis ad hoc, quam ad illud eligendum. *c. cum post petitam,* 46. *& c. Ecclesia vestra,* 48. *de electione.* Sed dictus Frater N. habet vigore præsentium litterarum facultatem eligendi quemcunque Superiorem cuiusuis Ordinis: ergo potest eligere tam æqualem, quam laxiorem Religionem.

Religionis nomine communiter venit vniuersitas, quæ habet tria vota substantialia.

Contrariū tamen existimo, nempè non posse dictum Fratrem N. transire ad laxiorem, si in equali Religione inueniat beneuolos receptores: quia, licet libera eligendi facultas reguletur ab eligentium arbitrio, attamen excludit electionem indigni, & admittit solummodo dignum. *cap. nihil est,* 44. *& cap. congregato,* 53. *de elect.* Indignum autem est, vt Religiosus, qui ad perfectionem ascendere obligatur, ad laxiorem Ordinem descēdat voluntariè, vigore facultatis eligendi sibi concessa: ergo non potest ordinem laxiorem eligere.

Arbitraria electio nō extenditur ad indignum.

Quod verò sit indignum, quod Religiosus ad laxiorem ordinem descendat, patet ex prohibitione desuper à Sacris Canonibus facta in *cap. sanè,* 10. *& in cap. licet,* 18. *§ si verò, de regularib.* vbi iubetur reuocari omnes Religiosos, qui relicta sua Religione ad laxiorem Ordinem transuolarunt.

Secundò,

Secūdò, si dictus Frater N. posset laxiorem Religionem eligere, lucrum reportaret de sua apostasia: hoc autem non est dicendum, cum delicta nemini patrocinentur. *l. 3. ff. de transact: cap. audiuimus, 3. de collusione deteg.* Non nego tamen, si dictus Frater N. solummodo inueniat receptores in laxiori Religione, quod non possit eam eligere: necessitas enim facit licitum, quod de iure non est licitum. *cap. quod non est licitum, 4. de reg. iuris.*

Delicta nemini patrocinantur.

Laxior Religio duplici ex capite considerari potest, vel ex primæua sui institutione, vel ex relaxata disciplina. Vide, quæ ad hoc propositum diximus in Tertia præcedenti Parte, in Formula Absolutionis ab apostasia, in clausula *in foro conscientiæ*.

Recessit absque suorū, &c. Si transitus fuit ad strictiorem petita à suis Superioribus licētia, & ibi professionem emisit, permittitur remanere in secūdo dicta Religione, & non est necesse vt de nouo emittat professionem. *d. cap. sanè de regular.* nisi particulares obstent Constitutiones, & Priuilegia, quę irritent secundam professionem.

Translatus ad strictiorē Religionem permittitur remanere.

Petitio enim licentiæ requiritur ex conuenientia, ob reuerentiam, quæ Superioribus debetur, non autē ex necessitate. *d. cap. licet, vbi Panor. & DD. communiter.* Cum quis etiam renuentibus Superioribus suæ Religionis, possit ad strictiorem Ordinem transire. *d. cap. licet*, nisi particulares Constitutiones obstent.

Si verò transitus fuit ad æqualem, tenetur redire ad suā Religionem; non enim Religio priuanda est iure suo absque causa; quæ causa solum esse potest maior perfectio, vt supra diximus; hæc autem nō est inter æquales. Quod tamen intelligendum est, quando nō interueniant dispensatio, & licentia Sedis Apostolicæ. Multo magis tenetur redire ad suā Religionem, si transitus fuit ad laxiorem, ob rationes superius allegatas.

Habitu regulari, &c. Professus, temere dimittens habitū regularem, incidit ipso facto in excommunicationem *cap. vt periculosa, 2. ne Clerici, vel Monaci &c in 6.* & Constitutionibus particularibus vniuscuiusque Ordinis.

Apostasiæ nota, &c. Quæ sit apostasia, alias diximus in Formula Absolutionis ab Apostasia in præcedenti Tertia Parte. Inducit infamia. *c. tua fraternitatis, 3. de apostatis.* Et licet per contrarium actum tolla-

Apostasia inducit infamiam.

tollatur infamia facti. *Panor. in cap. cum te*, 23. *num.* 9. *de sentent. & re iudic. & in cap. quia diligentia*, 5. *n.* 9. *de elect.* Et sic per reassumptionem habitus, & regressum ad Religionem, fit ablata infamia ex apostasia contracta: attamen remanet cicatrix violatæ fidelitatis, & professionis, à qua M.P. mandat dictum Fratrem N. etiam liberari, & ideo in præsenti clausula apponitur verbum, *nota*, quod significat cicatricem. *l* 2. *ff. de seruis fugitiuis*.

In vtroque foro, &c. Id est, in foro pœnitētiali quoad apostasiæ peccatum, & in foro fori quoad censuras, aliasq; pœnas, quas delicti reatus exposcit.

Iniuncta, &c. Mitius cū apostatis redeuntibus ad Religionem agerem: nam eorum animam lucrati sumus, & ideo ad instar filij prodigi recipiendus est omni benignæ charitatis sensu, non tamen impunitus relinquendus: quæ pœnitentia illi imponenda sit arbitabitur prudentia nostri exequutoris, qui non debet recurrere ad illas, quæ præscribuntur per Cōstitutiones, vel Statuta primæ Religionis: quia cum dictus Frater N. propter huiusmodi transitum non amplius existat illius mēbrum, ad eum non extenduntur prędictę pœnitentiæ, cum suos tantum actuales obliget subditos: non ad secundæ Religionis pœnitentias, & pœnas, quia istæ ligant solummodo suos apostatas: noster autem Frater N. non est dictæ secundæ Religionis apostata, sed primæ.

Equidem imponerem eas pœnitētias, quas peragūt Nouitij secundæ dictæ Religionis, quia dictus Frater N. tenetur ad nouitiatum de nouo ibi explendum; & loco pœnitentiarum, quas vt apostata in sua Religione deberet subire, succedat nouus nouitiatus: Religioso enim iam professo nouitiatus est pœnitentia, & pœna pro sui instabilitate animi imposita, & ideo non erit valde difficile, nec illius statui dissonū ea implere.

Et alijs, &c. Quicquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio. *cap Abbates, vbi glos. in verbo, quæ acquisierit*, 18. *q.* 2. Ideo si quid dictus Frater N. apostasiæ tempore acquisiuit: primo dictæ Religioni acquisiuit, & illi propterea restituendum est, vel ab illius Superioribus condonatio, vel remissio obtinenda; nam sicut seruifuga non præiudicat iuri dominico. *L.* 1, §. *per seruum* qui

Monachus apostata, quicquid acquirit tempore apostasiæ, acquirit suæ Religioni.

qui in fuga, ff. de acquir. poss. Ita Monachi apostasia non præiudicat iuri monastico; Monachi enim seruis æquiparantur, cum non habeant velle, vel nolle. *cap. Religiosus, 2. de testam. in 6. cap. quorumdam, 24. & c. si Religiosus, 28. de elect. in 6. c. finali, de sepult. eodem libr.*

Vbi beneuolos, &c. Vide, quæ diximus in præcedenti Formula Dispensationis pro volente ingredi, in eademmet clausula.

Ita quod à Superioribus, &c. Vide hanc clausulam in præcedenti formula.

Cæterum si dictus Frater N. intra quatuor, &c. Ne apostatæ diù in suo damnationis perseuerent statu, abutendo huiusmodi licentijs; & altera ex parte, ne temporis breuitate nimis angustientur solet M. P. illis præscribere tempus ad transitum huiusmodi complendum secũdum diuersitatem, & distantiam locorum: videlicet pro Hispanis octo menses, pro Gallis sex, pro Siculis quatuor, pro Italis duos: quibus elapsis cessant concessa facultas, & priuilegium, quia sunt temporanea, & non perpetua: & ideò præscripto tempore elapso, dictus Frater N. non poterit beneficio præsentium litterarum amplius frui; Actiones enim ad tempus concessæ dicto tempore elapso cessant. *cap. ne pro defectu, 41. de elect. c. nulla, 2 §. cum vero, cap. quia diuersitatem, 5. de concessione præbendæ. cap. 2. §. nolentes, cap. licet 3. de supplen. neglig. Prælatorum. l. in omnibus, 56. ff. de action. & obligat. l. denique, 3. §. si quis cum minore, ff. de minoribus.*

Tempus ad transitum licite faciendũ in bullis præscribitur secundum locorum distantiam.

Huiusmodi tempus incipit currere à die datę pręsentium litterarum; nam terminus ad agendum præscriptus incipit currere à die, qua incipit competere actio. *cap. eam te, 22. de iurepatronatus, cap. personas, 4. §. final. de appellat.* Sed actio incipit competere à die datæ. *c. cæterũ, 3. & c. si autẽ, 9. de rescript. l. annus, 6. ff. de calũmniat.* Ergo tẽpus pręscriptũ incipit currere à die datæ.

Tempus ad agendum incipit à die, qua incipit competere actio.

Secundò probatur ex regula Cancellariæ, ob quam tempus ad publicandas resignationes incipit currere à die datæ. Tertio, ex consuetudine tam Datariæ, quam Pœnitentiariæ.

Nihil, &c. Elapso tempore præscripto ad agendum quicquid agitur, nulliter agitur, vt supra diximus, & præsens clausula declarat. Nihilominus

minus

minus si dictus Frater N. ob temporis iniuriam nō nisi post præscriptum tempus receperit præsentes litteras, vel his receptis infirmitate, vel carceribus, vel aliquo legitimo impedimento detentus nequiuerit illis vti, adhuc existimo posse vigore earumdem litterarum transire ad aliam Religionem post huiusmodi tempus sic elapsum: impedito enim non currit tempus. *d. c. diuersitatem, cap. fin. de elect. c. quam sit, 6. §. fin. de elect. in 6. vbi glossa, in verbo, iusto impedimento. l. 1. §. fin. C. de annali exceptione. l. final. C. de iure deliber.* Infra tamen quadrimestre à die cessati impedimenti, si totum præcedēs quadrimestre impeditum fuerit: seu infra residuum quadrimestris, quod fuit impeditum, & non vlterius.

Impeditus post cessatum impedimentū potest transire ad aliam Religionem etiā si tempus præscriptum sit elapsum.

Si quæratur de consuetudine, hoc solum indicabo: Multos meo tempore repostulasse noui termini concessionem, allegantes habita impedimenta, & à Maiori Pœnitentiario facillimè obtinuisse. Quòd autem hoc tutius sit, nemo dubitabit.

PRO RELIGIOSO,

Qui ad aliam Religionem se transferre cupit.

FR. Antonius Barberinus, &c. Religioso viro cuicunque Superiori cuiusuis Ordinis à Sede Apostolica approbati per latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligendo. Salutem in Domino. Ex parte Fratris N. Religiosi professi Ordinis A. latoris præsentium nobis oblata petitio cōtinebat. Quod ipse alias prædictam ingressus Religionem, in ea probationis tempore completo professionem emisit, & per aliquot annos perseuerauit: ad præsens autē certis ex causis ad aliam Religionem se transferre desiderat. Cum autem, &c. dictus Frater N. huiusmodi sui animi votum consequi non possit absque Sedis Apostolicæ dispensatione, prò sua conscientiæ quiete cupit secum desuper dispēsari in vtroque foro. Quare supplicari nobis humiliter fecit, vt sibi super his de oppor-

tuno

tuno remedio prouidere dignaremur. Nos igitur, &c. huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, &c. Diſcretioni tuæ committimus, Quatenus, ſi eſt ita, cum dicto Fratre N. accedente conſenſu vtriuſque Religionis Superiorum, vt præmiſſis non obſtantibus, ad ſecundo dictam Religionem, ſi ibi beneuolos inuenerit receptores, ſe transferre, & in in ea profeſſionem de nouo emittere, ibique quoad vixerit remanere, & perſeuerare licite valeat, miſericorditer diſpenſes in vtroque foro. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non dictorum Ordinum Statutis, & Priuilegijs, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Cæterum dictus Frater N. non prius diſcedat à ſua Religione, quam certus ſit ſe in alia Religione receptum iri, & ſtatim illam ingrediatur, permanſurus in ea ſub regulari obſeruantia, & diſciplina: neque aliter illi præſentes litteræ ſuffragentur. Datum Romæ, &c.

Certis ex cauſis, &c. Abſque cauſa huiuſmodi trãſitus non permittitur; vt vnuſquiſque ſecũdum Apoſtolum in ea vocatione permaneat, in qua dignoſcitur eſſe vocatus. *d. cap. licet de regul.* Huiuſmodi autem cauſa non debet eſſe temeraria, vel leuis, ſed rationabilis, & magni momenti. *dictis cap. Ioannes, & cap. licet de regul. vbi Panorm. num. 2. & in cap. non eſt, 7. n. 6. eodem tit. vbi etiam gloſſa in verbo, permittatis. cap. 1. de voto, gloſſa in dicto cap. non eſt, in verbo, adimplere, eod. tit.*

Quænam ſint cauſæ pro huiuſmodi tranſitu canonice faciendo, aliquas hic pro exẽplo adducam. Prima eſt, perfectioris vitæ ſtudium, vt ex iuribus ſupra citatis. Secunda, ægritudo incurabilis, ſic enim ægrotãs meretur ſibi rigorem diſciplinæ Religioſæ relaxari. *argum. cap. vnici, vbi gloſſa, in verbo, perpetuo, de Clerico ægrot. in 6. cap. de Rectoribus, 3. cap. ex parte, 5. eod. tit. de Clerico ægrot.* Idem dicẽdum de debilitate complexionis, quæ moraliter impoſſibilitet ad ferenda Religionis onera. Tertia, animi infirmitates, vt perturbationes, rixæ, inimi-

Cauſæ ad tranſitum de vna Religione ad aliam faciendum.

inimicitiæ, vitanda enim sunt scandala. *clemen. 1. de offic. ordinarij.* Vide Sanchez *lib. 6. moral. oper. cap. 7. nu. 72.*

Quarta, alterius Religionis vtilitas, & commodum, prout meo tempore cuidam Professo vnius Religionis, qui aromatariç artis peritia multum pollebat, fuit huiusmodi transitus concessus, hanc solummodo ob causam, vt alteri Religioni inseruiret in aromatarijs, de consensu tamen vtriusque Religionis.

Non possit, &c. Vide, quæ diximus in præcedenti Formula, in verbo, *recessit.*

Accedente, &c. Accessio consensus vtriusque Religionis est necessarius, aliàs transitus regulariter esset nullus, & inualidus: cum enim requiritur consensus alicuius ad validè agendum, si ille non accedat, actus est inualidus, & nullus. *cap. significasti, 18. de foro competenti*, nisi specialiter per Sedem Apostolicam sit desuper dispensatum.

Ad transitũ de vna Religione ad aliã requiritur vtriusque consensus.

Quod autem hic requiratur necessariò consensus ad validitatem transitus; patet, quia concipitur per ablatiuũ absolutum, qui importat conditionem. *l. facta, 63. ff. ad Trebel. l. fideicommissa, 3. §. cum esset. ff. de legat. 3. Bart. in l. à testatore, 108. num. 1. ff. de condit. & demonst.* & non adimpleta conditione remanet suspensa validitas ipsius actus quoad eius effectum, videlicet quod dictus N. possit licitè se transferre, & remanere in secundo dicta Religione.

Ablatiuus absolutus importat conditionem.

Hic vero consensus ex parte Religionis, à qua disceditur, parum refert an præcedat, vel subsequatur receptionem, vel fiat in instanti, vel ex interuallo: nam vbi dispositio dicit, quod aliquid debeat fieri de licentia, vel præcepto, vel permissione alicuius, prout est in nostro casu, sufficit, vt subsequatur. *Bart. in l. si quis mihi bona, 25. §. iussum. num. 5. ff. de acquir. hæred. & ibi etiam Iason in §. seruus municipium, n. 32. qui num. 43. hanc esse communem DD. opinionem asserit, & tenendam:* talis enim consensus solũmodo accedit ad validitatem actus, & ideò sufficit vt subsequatur. *Bald. in cap. quę in Ecclesiarum, 7. nu. 3. de Constitut.* quia quandocunque interueniat consensus, rectè dicitur consensu consentientis factum esse illud, super quo præstatur consensus: & eo magis, quia iste consensus ex parte Religionis, à qua fit transitus, non requiritur de solemnitate receptionis,

Consensus requisitus ad validitatem actus sufficit vt subsequatur.

nis, vt per se patet, neque de substantia ipsius actus, cum fiat auctoritate Apostolica, quæ habet omnium Religiosorum, & Religionum supremam administrationem & gubernium.

Vtriusque Religionis, &c. Vt vnicuique ius suum conseruetur, quo solum ex propria culpa priuari quis debet, *arg. c. 2. de constit. l. 2. §. final. de his, quæ fiunt à maiori parte Cap. & c. non debet, 22. de reg. iur. in 6.* Requiritur vtriusque Religionis cōsensus. Priuātur autē prædictæ Religiones suo iure sine culpa, si altera cogeretur inuita recipere alterius Religionis subditum, & alia proprium subditum perdere.

Hic autem consensus in scriptis redigēdus est ad perpetuam eius memoriam, saltē ex parte Religionis, à qua disceditur, ne ex defectu probationis diceretur de inualiditate translationis huiusmodi, & receptus, ac recipiēs desuper molestentur.

Dixi, saltem ex parte Religionis, à qua disceditur, quia de consensu Religionis recipientis non est, qui possit dubitare; cum constet de ipsa actuali receptione, quæ est ipsemet consensus completus. *c. 1. de præsumptionibus. l. si non conuicijs. C. de iniurijs.*

Superiorum, &c. Id est, Generalis, vel Prouincialis, vel alterius Superioris, apud quē sit ius recipiendi ad Religionem ex parte recipientis, & ius dimittendi ex parte eius à qua disceditur.

Si ibi beneuolos, &c. Hæc clausula videri potest superflua, cum iam vtriusque Religionis Superiores consensum præstiterint, ex consensu enim præstito colligitur bona recipientis voluntas, quia consensus non est, vbi non est bona voluntas. *c. secundo, cum sequen. de his, quæ vi metusue causa fiunt.*

Ex consensu colligitur bona voluntas.

Nihilominus dicendum est, quod multum ad rem faciat eo, quod per eam declaratur non quemlibet consensum hic requiri, sed eum solū, qui excludat omnem coactionem, & violentiam, vt sit liber. Secundò, vt huiusmodi consensus duret vsque ad actualē, & completum actum receptionis; voluntas enim variari potest re integra. *l. de quæstione, 30. §. sed nobis, C. de pactis.*

Quoad vixerit remanere, &c. Vide, quæ superius diximus in eademmet clausula pro Laico homicida volente ingredi Religionem.

Dictio, caeterum, limitat, & declarat.

Caeterũ, &c. Dictio *caeterùm* aduerbialiter hic ponitur, & importat limitationem, vel potius declarationem ad precedentia. *c. cum contingat, 24. §. fin. de rescript. l. 1. C. si aduersus rem iudic. restit. postul. l. 2. §. quod si in patris. ff. sol. matrim. quemad. dos petatur.* Limitando enim, recessus à prima Religione fieri prohibetur antequam receptio in secunda ita conclusa sit, vt nullus de ea remaneat dubitandi locus, quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse iudicium. *cap. habuisse, distin. 33.* Declarãdo verò demonstrat quãdo fieri debeat, id est, post habitam suæ receptionis certitudinem.

De ambiguis non est absolutum iudicium.

Certum omni hæsitatione caret.

Certus sit, &c. Certum est quod omni dubitatione, atque hæsitatione caret. *d. c. cum contingat, 24. §. fin. de rescript. cap. si beneficia, 20. vbi glos. in verbo, certiores, de praeben. in 6. cap. certum, 11. q. 3. c. fin. 7. q. 2. cap. excommunicamus, 13. §. fin. de haeretic.* & hanc in dicto Fratre N. requirit M. P. certitudinem, antequam à sua Religione discedat. Quomodo autem huiusmodi certitudo haberi possit, nemo est, qui de ea dubitet quando adsint litteræ desuper patentes, vel testimonialia confecta ab ijs, ad quos spectat receptio ad habitum Religionis, vel Decretum capitulare exhibeatur, si receptio spectet ad Capitulum; & nisi de hac certitudine constet, Superiores Religionis, à qua discedendum est, impedire possunt, & debent huiusmodi recessum, quia per præsentem clausulam & illis facultas impediendi conceditur, & dicto Fratri N. recessus prohibetur.

Et statim illam, &c. Inter recessum, & ingressum prædictos, nullam interponẽdam esse moram, quis non videt, cum præsens clausula sit concepta cum dictione, *statim*, quæ moram excludit, & festinationem, quasi præcipitem inducit. *l. cum quidam, ita, 24. ff. de legat. 2. l. si finita, 13. §. non autem statim, ff. de damno infecto.* Celeritas enim iubetur, ne Religiosus vagandi euasionem habens, salutis propriç detrimentum incurrat. *cap. final. de regularibus. c. 2. de statu monach.* Et ideò Religiosi vagabundi, vbi inuenti fuerint, debent puniri, adhibito etiam localis Episcopi auxilio. *c. Abbates, 18. q. 2.*

Dictio, statim, excludit moram, & inducit festinationem.

Hæc celeritas commensuratur secundum distantiam à Monasterio secundæ Religionis, quia si in eadẽ ciuitate vtriusque

Celeritas mẽsuratur à l. ei distantia, & excludit moram culpabilem.

vtriusque Religionis Monasteria existant, non potest allegari causa impediens celerē transitum: si vero distet vnum ab altero, præsupponitur tempus ad iter commodè conficiendum, non enim tenetur mutatis ad celeritatem equis currere. *argu. l. quod dicimus, 105. ff. de solutionibus. l. fin. C. de iudicijs*. Solùmodo ea reijcienda est mora, quæ culpabilis est. Mora autem culpabilis tunc est, quando data opera, & sine vlla legitima causa differtur, quod quis debet, & potest facere. *l. quod te, 5. vbi Decius in 1. lectura, num. 2. & in 2. lectura, nu. 3. ff. si certū petatur*: & ideò dictus Frater N. tenetur recto tramite, & sine culpabili mora se cōferre ad secūdam Religionem, & si in hoc delinquat, potest, & debet à primæ Religionis Superioribus puniri, & si hoc illi negligant facere, de eorum manibus sanguis dicti Fratris N. requiretur. *d. c. fin. de regul.* cum iste adhuc sub eorum potestate sit, donec secundo aliam Religionem cum effectu ingrediatur: dominiū enim rei non transfertur de vno domino ad alium, nisi per actualem rei possessionem. *l. qua ratione, 9. S. nihil autem. cū sequent. l. si procurator, 13. ff. de acquirendo rerum domin.* Hanc autem dicti Fratris N. possessionem nondum accepit secundo dicta Religio, vt per se patet, ergo illius dominium non acquisiuit: ergo ille adhuc sub primæ Religionis dominio remanet, & consequenter ab illius Superioribus puniri debet, aliàs sequeretur absurdū, quod dictus Frater N. esset in pristinam libertatem redactus & sui iuris, si eo ipso, quod recessit à Monasterio suæ Religionis, vt ad aliam se trāsferret, euasisset illius potestatem. *l. adeò quidem, 7. ff. de acquiren. rerum dominio*. Hoc autē nullo modo dicendum est, cum dictus Frater N. antequam in secundo dicta Religione emittat professionem, possit redire ad primam. *cap. 2. de regul. in 6.* & si nolit prædictam professionem emittere, vel expellatur, tenetur etiam ad primam redire, quia durante in suo robore prima prædicti N. professione, vere est illius primæ Religionis Religiosus: durat autem dicta prima professio, donec cum effectu commutetur in secundam professionem: si enim prima professio cessaret ante secundam emissā, sequeretur quod Professus non esset amplius Professus, & posset ad libitum redire ad seculum, quod tamen nullo modo admittendū est, cum sit contra sacros Canones, & Concilia.

Mora culpabilis est dilatio sine causa.

Dominiū sine actuali possessione non transfertur.

Distiones, neque aliter firmant praecedentem dispositionem.

Neque aliter, &c. Hæ duæ dictiones, *neque aliter* insimul iunctæ adeo firmant præcedentem dispositionem, vt præter eam nihil aliud admittant, omniaque alia excludant *l. de his*, *6. ff. de transactionibus*.

Ideò per hanc clausulam prędictis dictionibus conceptam demonstratur nullum, & inualidum futurum quicquid agetur cõtra pręsentium litterarum dispositionem, nec posse ab illis aliquod adiumẽtum sperari, & recipi, nisi illarum forma, & dispositione seruatis ad vnguem.

PRO RELIGIOSO,

Qui maculam in oculo dextro habet.

VEnerabili in Christo Patri Episcopo Sidonien. &c. siue eius Vicario in spiritualibus generali. Fr. Antonius Barberinus, &c. Ex parte Fratris N. Religiosi professi Ordinis Sancti P. Conuentus Sidoniensis nobis oblata petitio continebat. Quod ipse in prædicta sua Religione professionem per Clericos eiusdem Ordinis emitti solitam emisit, ac minores Ordines suscepit, ad sacros autem Ordines promoueri non est ausus, eo quod maculam in oculo dextro habet. Cum autem, &c. dicta macula non ita oculum læserit, vt Sacrorum Ordinum exercitium multum impediat, & eam deformitatem inducat, quæ genitura sit scandalum in Populo, & dictus Frater Sacerdos fieri desideret, pro sua conscientia quiete cupit secum desuper in vtroque foro dispensari. Quare, &c. quatenus si est ita, & in dicto Fratre N. ex dicto oculi defectu tanta deformitas non sit, vt scandalum generet, neque tanta debilitas visus, vt diuinis præstet impedimentum, cum eodem Fratre N. si sic vobis visum fuerit, & dummodo aliud non obstet Canonicum, vt ad omnes Sacros, etiam Presby-

teratus

teratus Ordines, si ad id aliàs idoneus reperiatur, promoueri, & postquam promotus fuerit, in illis, etiam in Altaris ministerio, ministrare possit, dispensare valeatis in vtroque foro, facultatem, & authoritatem circumspectioni vestræ concedimus. Dat. &c.

Venerabili, &c. Admirari poterit aliquis prima facie, quia dispensatio hæc fuit demandata Episcopo Sidoniensi, non autem Superioribus dicti Fratris N. cùm dispensationes in vtroque foro, vt aliàs diximus ex *Concil. Trid.* committi debeant dumtaxat Ordinario illius, qui eget dispensatione, & Episcopus Sidoniensis, non habeat iurisdictionem ordinariam in Religiosum prædictum. Sed admirationem de medio tollit idem *Concil. Trident. sess.* 23. *cap.* 8. *de reformatione*, vbi etiam exemptos sub Ordinarij iurisdictione constituit, quoad Ordinum susceptionem. *Syluest. verbo, corpore vitiatus, num.* 2. *prope fin.* & cum huiusmodi defectus spectet ad Ordinum susceptionem, ideò illius cognitio, & dispensatio ipsi Ordinario Sidoniensi demandandæ fuerũt: Ordinans enim in ordinatione tenetur diligenter videre, & palpare singula ordinandi membra, non immemor. *Prouerbiorum* 26. *Diligenter attende vultum pecoris tui. Io. Andr. in cap. exposuisti*, 6. *n.* 7. *& ibi Butr. num.* 14. *de corpore vitiatis*. & ideo dispensatio super huiusmodi defectu, Episcopo ordinandi committi debet, & non alij. *Io. And. in c. significauit*, 4. *n.* 9. *& ibi etiam Butrius num.* 8. *de corpore vitiatis, &c.*

Exemptorum dispẽsationes pro Ordinum susceptione cõmittuntur ordinario loci.

Non est ausus, &c. Etiam in Lege veteri defectus in corpore patientes repellebantur ab Altaris ministerio. *Leuit. cap.* 21. *& exponitur in cap.* 2. *dist.* 49. multo magis in Lege noua, quæ considerat diminutionem, deformitatem, & scandalum. *Panorm. in cap.* 2. *num.* 3. *vbi Io. Andr. num.* 9. *& Butr. etiam num.* 9. *de corpor. vitiat.*

Maculam in oculo dextro, &c. Vitium corporis, quadruplici ex capite considerat *Io. Andreas in cap. fin. num.* 6. *de corpor. vitiat.* Primo ex defectu, & carentia membri. Secundo ex membri inhabilitate. Tertio ex illius diminutione. Quarto ex

Quando corporis vitium repellat ab Altari.

eius augmento. Quæ omnia corporis vitia tunc solummodo repellunt quemlibet ab Altari, quando vel impediunt ordinum liberum exercitiū, vel quando generanr deformitatem scandalosam. *Panor. in cap. 1. num. 3. de corp. vitiatis, vbi etiam Io. Andr. num. 3. Butr. in c. 2. nu. 3. eod. tit.*

Macula igitur in nostro casu, tunc solum inducit irregularitatem, quando est talis secundum *Io. Andr. in dict. c. 2. nu. 31. & Butr. eisdem cap. & num. Anchar. num. 1. ibidem.* vt sine subtili inspectione subijciatur visui, & propterea pariat deformitatem: vel ita debilitat visum, vt non nisi cum deformitate, & scandalo permittat ordinum exercitium. *Panor. loco cit. nu. 3.*

Quæ autem sit macula pariens deformitatem & scandalum, non potest dari certa regula, sed relinquitur arbitrio Episcopi. *Io. Andr. in d. c. significauit, num. 9. & in d. c. exposuisti, num. 3. de corp. vitiatis. Butr. loco cit. num. 3. Panor. in c. 1. nu. 3. & in c. 2. num. 1. eod. tit. Couar. in Clem. si furiosus, in princip. nu. 5. de homicid.*

Deformitas, vel inducit horrorem, vel risum.

Hoc tamen indubitabile est, quod deformitas scandalosa, semper inspicientibus, vel horrorem inducit. *c. tua nos, 4. de cleric. ægrotant. ministr.* vel risum excitat, cum Sacerdotalis officij despicientia; & ideò repellit à Sacerdotali officio. Cognoscitur ergo ex huiusmodi effectibus, quādo adsit deformitas scandalosa.

Modica deformitas non repellit ab Altari.

Non multum, &c. Modica deformitas non generat scandalum, & consequenter non repellit ab Altaris ministerio. *d. c. 2. vbi communiter DD. de corp. vitiat.*

Quæ sit ista modicitas, Episcopus ordinarius determinabit, vt supra diximus: & quando dubitatur an ista modicitas sit, nec ne, opus est recurrere ad dispensationem. *Butr. in d. c. 2. num. 4.* In spiritualibus enim tutior semita est tenenda. *c. iuuenes, 3. de sponsal. glos. in c. vnico, de scrut. in ordin. facien. Panor. in c. 1. de postul. prælat. nu. 17.* & in specie de irregularitate facit textus *in c. ad audientiam, 12. de homicidio. Couar. loco cit.* & scandala sunt tollenda. *cap. cum ex iniuncto, 2. de noui operis nunciat.*

Macula in oculo repellit ab ordinibus sacris.

Sacerdos fieri, &c. Huiusmodi macula solum videtur inducere irregularitatem ad sacros Ordines suscipiendos, & susceptos exercēdos. *dict. c. 2. de corp. vitiat. Couar. loco cit. & alij.* Non autem ad minores ordines: *licet Tolet. in sum. lib. 1. cap. 63. num. 5.* asserat

rat ad nullos promoueri poſſe qui maculam in oculo Canonis habent: iura enim, & DD. loquuntur ſolum de ſacris Ordinibus; & non eſt inducenda irregularitas, quæ non ſit in iure expreſſa, vt pluries diximus ex *c. is qui, 18. de ſentent. excommunic. in 6.* & eo modo eſt inducenda, quo à ſacris Canonibus exprimitur, & nõ vlterius extendenda, & ampliãda.

Tanta deformitas nõ ſit, &c. Hic ſubintelligitur præcedens dictio, *quatenus*, quia per dictionem, *&*, hæc clauſula copulatur cum pręcedenti, clauſula, *quatenus, ſi eſt ita.* & ſicut illa ponitur conditionaliter. *Bart. l. 1. num. 1. vbi Caſtren. Imol. Socin. ff. de condit. & demonſt. Rebuf. in l. liſtus publicum, 112. col. 2. verſic. quatenus fuit, ff. de verb. ſignif. Dec. in rubr. de probat. n. 153.* ita etiam hæc præſens clauſula; & propterea ſi ex præinſerta macula oriturum ſit ſcandalum in populo, abſtineat noſter exequutor ab exequutione præſentium litterarum, quæ præſupponunt ex illa non oriri deformitatem ſcandaloſam.

Scandalum, &c Id eſt, notabile, & magnæ conſiderationis; nam de ſcandalo minimo nulla habetur ratio; minima enim non ſunt in conſideratione, vt pluries diximus ex *l. ſcio, 4. ff. de in integrum reſtit. l. 4. in fine, ff. de ędilitio edicto, & d. c. 3. vbi DD. de corpor. vitiat.*

Neque tãta debilitas, &c. Debilitas, quæ impedit liberum exercitium ordinis, inducit irregularitatem. *c. 2. de cleric. ęgrotan. & c. cap. fin. de corpor. vitiat.* Dixi liberum exercitium, quod eſſe nequit, quando macula ita debilitat oculum canonis, id eſt ſiniſtrũ, vt nõ poſſit per oculum dextrum proſpici ſine indecora faciei ad Populum conuerſione; & ſi adſit iſta debilitas in dicto Fratre N. præſentes litteræ non ſuffragantur, quia hæc etiam clauſula conditionaliter ponitur ob eãdem rationem ſupra allegatã, & debet prius verificari.

Debilitas impediens liberũ exercitium ordinum facit irregularem. 3.

Sed aliqui forſan exiſtimabunt fruſtratorias eſſe pręſentes litteras, ſi proximæ prædictæ clauſulæ debeãt prius verificari: poſita enim verificatione illarum, non videtur adeſſe irregularitas, quæ in tantum eſt, inquantum impedit ordinis exercitium, & inducit deformitatem, & ſcandalum in Populo, ex allegatis textibus, & Doctorum authoritatibus, & conſequenter non eſſe opus diſpenſatione.

Breuiter respondetur, quod præsentes clausulæ solum excludunt notabilem deformitatem, & notabile scandalum; vt supra diximus, & admittunt modicitatem illorum; quæ etiamsi de natura sua inducant irregularitatem, attamen non excluduntur à dispensatione. *c. 2. vbi glossa, & DD. communiter, de corpor. vitiat.* & proptereà præsentes litteræ ad illam referuntur.

Reliqua vide in Prima Formula præsentis Quartæ Partis.

DISPENSATIO

PRO REGVLARI

Defectum natalium patiente in vtroque foro.

FR. Antonius Barberinus, &c. Religioso viro Prouinciali Ordinis N. Prouinciæ A. salutē in Domino. Ex parte Fratris N. Religiosi Professi prædictorum Ordinis & Prouinciæ, nobis oblata petitio continebat. Quod ipse, qui defectum natalium ex soluta, & soluto genitus patitur, aliàs prædictam Religionem ingressus, in ea peracto probationis anno professionem per Clericos eiusdem Ordinis emitti solitam emisit, & de suorum Superiorum licentia omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines suscepit, & in eis ministrauit; inhabilis tamen remanet adhuc ad eiusdem Religionis officia, & dignitates. Cum autem dictus Frater N. sua Religioni in obeundis muneribus inseruire licitè posse desideret, pro sua conscientiæ quiete cupit secum desuper in vtroque foro per Sedem Apostolicam dispensari. Quare etiam pro parte Procuratoris generalis eiusdem Ordinis supplicari nobis humiliter fecit, &c. Nos igitur, &c. discretioni tuæ committimus, quatenus si est ita; cum dicto Fratre N. dummodo illi virtutum merita suffragentur, & aliud non obstet canonicum, vt huiusmodi natalium

lium defectu non obstante, quacunque suæ Religionis officia, & dignitates, Generalatu tamen excepto, si ad illa aliàs canonicè, & iuxtà eiusdem Ordinis Regularia instituta eligatur, vel assumatur, gerere, & exercere, vocemque actiuam, & passiuam habere licitè valeat, misericorditer dispenses in vtroque foro. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis Statutis, & Priuilegijs; cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ, apud S. Petrum, &c.

Hæc Formula parum discrepat à præcedentibus Formulis Dispensationum: ideò ea tantum, quæ sunt illi propria explicabimus.

Defectum natalium, &c. Quoad effectum, de quo hic agitur, nulla habetur ratio, an quis natus sit ex fornicatione, vel ex adulterio; nam eodem modo, & ob eandem rationē à Sacris Canonibus remouetur vterque ab Altaris ministerio, & à beneficijs, & dignitatibus Ecclesiasticis. *cap. 1. de filijs presb.* vbi pari passu inducuntur filij nati ex fornicatione, & filij nati ex adulterio perpetrato à Presbytero, qui per sacros Ordines contraxerat matrimonium spirituale cum Ecclesia.

Inhabilis tamen, &c. Illegitimus per Religionis ingressum, id est per professionem regularem, solum habilitatur ad Ordines. *d. cap. 1. vbi Panorm. num. 3. & DD. communiter, & c. 1. dist. 56.* & remanet inhabilis ad dignitates, & officia. Ratio videtur esse, quia Prælaturæ, defectus excludunt & meritorū excellentias exposcunt. *c. indecorū 3. & cap. eam te, 4. de ætate, & qualitate præficien. & c. innotuit, 20. §. multa, de elect.* *Prælatura excludunt defectus, & admittunt merita.*

Inseruire, &c. Hæc clausula importat vtilitatem Religionis: seruitus enim tendit necessariò ad domini vtilitatem. *c. relatum, 37. de sentent. excomm. l. vt enim, 14. §. his consequenter, ff. de seruo corrupto.* Ideò exequutor diligentius animaduertere debet, an dictus Frater N. profuturus sit Religioni in adeundis muneribus. Si hæc vtilitas non speretur, abstineat ab exequutione præsentium litterarum. Publica enim Religionis vtilitas præferri omnino debet *Seruitus necessariò tendit ad vtilitatem domini*

priua-

priuato Oratoris desiderio. *c.bona*, 4. §.*fin. de postulat. Prælatorum.cap.mutationes*, 7. *q.*1. *l.fancimus*, 20. *C.de facrof.Ecclef.l.vnica*, §.*fin. C.de caduc.tollen.l.actione*, 66. §.*Labeo, ff.pro focio.* Hæc enim est mens M.P.quę semper præsumitur legibus, & sacris Canonibus conformis, nisi contrarium appareat, vt aliàs diximus, & probauimus in Prima Parte huius nostræ Praxis.

Virtutum merita, &c. Videlicet scientia, mores, discretio,&c. *d.c.indecorum*, & *c.eam te*.& prudentia præcipuè non solum in litterarum peritia, verum etiam in negotiorũ solertia: Generalis enim & Pręlatus tenētur ministrare spiritualia subditis, & corporalia. *distin.*36.§. 1.& *distin.* 39.§. 1.

Generalatu excepto, &c. Hæc exceptio necessaria regulariter est, quia cum Generalis sit caput totius Religionis. *arg.c. postulastis*, 15. *vbi gl.in verb.sed vtCanonicus,de conceff. preb.c.nouit*, 4. *de his, quæ fiũt à Prælatis*.& in Capite quilibet defectus sit grauis, nec occultari possit, sicut in alijs membris, ac propterea occasio contemptus in publico sit: per huiusmodi exclusionem M. P. mandat remoueri à Religionis Capite occasiones cōtemptus, ob bonum publicũ; propter quod à Pręlato longè quælibet abesse debet occasio contemptus. *c.fin.dist.*63.cùm duplici honore Prælatus honorari debeat. *c.ecce ego, distin.*95.*vbi gloss.* Quod autem natalium defectus sit causa cōtemptus, & irreuerentiæ, non est opus pluribus probare, quia experientia docet, maximè hisce nostris temporibus.

In capite quilibet defectus est grauis.

Vide reliquas Formulæ huiusmodi clausulas in præcedentibus Formulis.

Eodem ferè modo expediuntur litteræ pro Illegitimo Religionem ingredi volente.

Hactenus mihi videor de Formulis Litterarum, & Bullarum Maioris Pœnitentiarij & sacræ Pœnitentiariæ Apostolicæ Officij, quod sentirem potuisse dicere, Dei Genitricis auxilio, ad Diuinam gloriam. Omnia tamen subijcio saniori Iudicio Sedis Apostolicæ.

Finis Quartæ, & Vltimæ Partis huius Praxis ad Litteras, & Bullas Maioris Pœnitentiarij, & Sacræ Pœnitentiariæ Officij.

FORMVLA INSTRVMENTI
Absolutionis & Dispensationis pro Regulari Apostata.

DIe 19. Iulij anni 1637. D. N. reassumpto habitu Regulari nostræ Religionis comparuit coram Reuerendissimo D. Abbate N. & ad eius pedes humiliter prostratus veniam petijt de Apostasiæ excessu, à se temere perpetrato, promittens in posterum se futurum suæ Religionis fidelem seruum, & obedientem filium: & ne amplius in suæ animæ iacturam atque aliorum scandalum censuris illaqueatus remaneat, præsentauit, & exhibuit prædicto Reuerendiss. Domino Abbati litteras per eum ab Eminentiss. & Reuerendiss. D. Cardinali sancti Honufrij, Sanctiss. D. N. Papæ Vrbani VIII. & Sedis Apostolicæ Maiori Pœnitentiario obtentas sub Sigillo Sacræ Pœnitentiariæ Officij, & sub Datum Romæ apud S. Petrum, *vel* apud S. Mariam Maiorem, sub die Mensis Iulij, proximè præteriti sequentis tenoris, videlicet, &c.

Hic per extensum rescribantur Litteræ.

Et humillimè petijt & instetit iuxta præscriptam formam; ad earum executionem deueniri, & omnia in eis contenta adimpleri, omni meliori modo, &c. non aliàs, &c. neque alio modo: de quo expressè protestatur, &c. omni, &c. Qui quidem Reuerendiss. D. Abbas deperditam ouem ad Christi ouile reducere desiderans, dictum D. N. paterna charitate amplectens, dictas Litteras, ea qua decet reuerentia recepit, & admisit, atque ad earum exequutionem paratum se esse omnino dixit. Atque ità Litteris prædictis prius diligenter visis, & perlectis, ac consideratis considerandis, monitoque dicto N. de grauitate excessus ab eo perpetrati, detulit ei iuramentum de abstinendo in futurum à præmissis excessibus. Et ipse D. N. tacto pectore more Sacerdotali iurauit de abstinendo in futurum à prædictis excessibus. Quibus peractis cùm Reuerendiss. D. Abbas reperijsset omnia contenta in supplici libello, & Litteras prædictas vera esse, eundem D. N. coram infrascriptis testibus vigore supradictæ facultatis, & authoritatis sibi ab Eminentiss. & Reuerendiss. D. Cardinali Maiori Pœnitentiario demandatæ & concessæ, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, Apostasiæ nota, & excessibus huiusmodi in vtroque foro absoluit in forma Ecclesiæ consueta, eique ad tanti ex-

cessus

cessus pœnitentiam aliquam peragendam iniunxit, vt singulis hebdomadis per annum semel recitet Psalmum Pœnitentialem, *Miserere mei Deus, &c.*

Hic possunt exprimi, & imponi omnia, vel pars eorum, quæ Religio, vel ex præscripto suarum Constitutionum, vel ex consuetudine Apostatis imponere solet.

Actum Romæ in Monasterio N. N. hac eadem die Iulij 1637. præsentibus N. N. testibus, &c.

Si verò cum dicto Apostata dispensandum sit ad Officia, & Dignitates suæ Religionis obtinenda, post pænitentiam poterit vt infra subiungi.

Et cum eodem N. quod præmissis non obstantibus quæcunque nostræ Religionis & Congregationis Officia & Dignitates, si ad illa aliàs canonicè & iuxta nostræ Religionis & Congregationis Regularia instituta eligatur, vel assumatur, gerere, & exercere, vocemque actiuam & passiuam habere licitè valeat, misericorditer dispensauit, eumque in pristinum statum plenariè restituit, & reintegrauit vigore eiusdem facultatis, & authoritatis sibi ab Eminentiss. D. Cardinali Maiori Pœnitentiario concessæ in vtroque etiam foro. Non obstan. præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictorum Ordinis & Congregationis Statutis & Priuilegijs, cæterisque contrarijs quibuscumque. Actum Romæ in Monasterio N. & cubiculo dicti Reuerendiss. D. Abbatis, hac die 19. Iulij 1637. præsentibus NN. testibus, &c.

Si durante Apostasia Ordines exercuit, irregularitatem propterea incurrendo; Ponetur vt infra.

Et cum eodem D. N. ab exequutione suorum Ordinum suspenso super irregularitate per eum ex præmissis quomodolibet contracta, quodque illa & alijs præmissis non obstantibus, postquam adhuc in huiusmodi suspensione per mensem (*vel per aliud tempus arbitrio eiusdem Reuerendiss. Abbatis statuendum*) steterit, in suis Ordinibus, etiam in Altaris ministerio, ministrare, ac quæcunque nostri Ordinis & Congregationis Officia & Dignitates, &c. vt supra.

Si

Si litteræ originales restituantur ipsi Oratori, ponetur à tergo earum.

Fidem facio Ego infradictus Cancellarius Reuerendiss. D. N. qualiter die Mensis Anni fuerunt præsentes litteræ per Reuerendiss. D. Abbatem N. debitæ exequutioni demãdatæ, earumq; vigore D. N. absolutus, & cum eo dispensatum, tam ad Ordines exercendos, quàm ad Officia & Dignitates obtinenda; nec non dictus N. in pristinum statum restitutus, & reintegratus; prout latius constat in libro N. actorum nostræ Cancellariæ.

N. N. Cancellarius.

FORMVLA INSTRVMENTI

Absolutionis, & Dispensationis in vtroque foro.

Die 10. Septembris anno 1640. Pontificatus Sanctiss. D. N. anno 18. coram Reuerendiss. N. Generali, *seu* Abbate, *vel* Prouinciali Ordinis N. comparuit Fr. N. qui eidem Reuerendiss. N. præsentauit litteras Eminentiss. & Reuerendiss. D. Cardinalis S. Honuphrij Sanctiss. D. N. Papæ Vrbani Maioris Pœnitẽtiarij sub Sigillo Officij Sacræ Pœnitentiariæ, & sub Datum Romæ, apud S. Petrum, *vel* apud S. Mariam Maiorem, sub die Mensis Iulij proximè præteriti, ad fauorem ipsius comparentis expeditas super absolutione & dispensatione ab excommunicatione & illicito Ordinum exercitio, *vel* homicidio, &c. Petens & instans ad earum exequutionem deueniri, omni meliori modo, &c. & non alias, neque alio modo: de quo expressè protestatur, &c.

Qui Reuerendiss. N. sedens pro tribunali super Sede lignea, coraminibus cooperta, quam sibi pro tribunali ad hunc effectum elegit, auditis audiẽdis, visisque videndis, consideratis considerandis, prædictas litteras, ea qua decuit reuerentia accepit, aperuit, legit & maturè considerauit, & deinde mihi infrascripto Notario Curiæ N. *seu* Cancellariæ *vel* Secretario totius Ordinis Sancti N. consignauit ad effectum illas restituendi dicto Fratri N. exhibenti, retento prius penes me eius copia collationata in præsenti Decreto, seu sententiæ Instrumento inserenda tenoris, &c. *& hic per extensum describitur tota prædictarum litterarum series.* Quarum litterarum vigore inspectis prius, & diligenter consideratis depositionibus testiũ de prædicti Reuerendiss. N. mandato in actis mei exa-

mina-

minatorum super vita & moribus, ac conuersatione ipsius Patris N. ac super verificatione omnium in prædictis litteris contentorum, seruatisque seruandis, dictum Fratrem N. ab excommunicatione, alijsque sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter contenta in prædictis litteris incurrit, in vtroque foro absoluit, & liberauit, imposita illi pro pœnitentia prædicti excessus N. N. *hic exprimitur pænitentia, quæ imponitur secundum prædictas litteras*, & successiuè cum eodem Fratre N. ab exequutione suorum Ordinum suspenso super irregularitate per eum ex præmissis quomodolibet contracta, quod illa & alijs præmissis non obstantibus, postquàm in huiusmodi suspensione per mensem, *seu* &c. steterit, in suis Ordinibus etiam in Altaris ministerio ministrare, &c. *Prout in præcedenti formula Instrumenti; Si tamen in litteris præsentibus ea omnia, quæ in præcedentibus concessa fuerunt contineantur, vel ea tantum, quæ in litteris præsentibus exprimuntur: nam fines mandati excedendi non sunt.*

FORMVLA INSTRVMENTI

Absolutionis & Dispensationis in vtroq; foro, pro Homicida volente ingredi Religionem.

DIe 4. Iunij 1641. Pontificatus Sanctiss. D. N. Papæ Vrbani VIII. anno 18. D. Adrianus Pastophorius Laicus Constantinopolitanus comparuit coram Reuerendiss. P. Generali N. Ordinis P. *seu* Admodum Reuerendo P. Prouinciale Prouinciæ A. Ordinis P. humiliter petens admitti ad habitum & disciplinam regulares dicti Ordinis, eo quod cuperet pœnitentiam suorum peccatorum peragere, & toto vitæ suæ tempore sub obedientia & disciplina regularibus famulari Altissimo, & fieri Sacerdos. Sed quia obstabat illi Constitutio san mem. Sixti Quinti, contra Facinorosos edita, eo quod homicidium perpetrauerat, ideò eidem Reuerendiss. P. Generali, *seu* Admodum R. P. Prouinciali exhibuit Litteras & Bullam ab Eminentissimo, & Reuerendissimo D. Cardinale sancti Honuphrij, Sanctiss. D. N. Papæ Vrbani VIII. & Sedis Apostolicæ Maiori Pœnitentiario, per eum ad hunc effectum obtentas, sub datum Romæ apud S. Petrum Kalendas Aprilis anni 1638. nec non instrumenta authentica compositionis & concordiæ initæ cum Fisco Curiæ N. pacis & remissionis à consanguineis & hæredibus Petri à se occisi, & satis-

tisfactionis tam prædicto Fisco, quam prædictis hæredibus per eum præstitæ rogata, per acta N. Notarij Anno Mense tenorum subsequentium.

Hic per extensum rescribantur Litteræ, & Instrumenta prædicta.

Et humiliter petijt per dictum Reuerendiss. P. Generalem, *seu* per admodum R. P. Prouincialem illa recipi, & admitti, ac ad ipsarum Litterarum exequutionem deueniri, & omnia in eis contenta adimpleri. Qui Reuerendiss. P. Generalis, *seu* Admodum R. P. Prouincialis præfatas Litteras, & Instrumenta, ea qua decet reuerentia accepit, & admisit, necnon ad prædictarum Litterarum executionem se promptum & paratum dixit: propterea diligenter prius dictis Litteris, & Instrumentis formiter recognitis, visis, lectis, & maturè consideratis considerandis, verificatisque per legitimas testium depositiones, & legitimorum instrumentorum exhibitiones verificandis, dictum N. ad infrascriptum effectū dumtaxat, & non aliàs, &c. de quo expresse protestatus fuit omni alio meliori modo, &c. absoluit in vtroque foro vigore facultatis, & potestatis sibi desuper per prædictas Litteras delegatæ, & concessæ, à quibusuis sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa ille incurrit, homicidij reatu, & excessibus huiusmodi in forma Ecclesiæ consueta, eique pro pœnitentia imposuit, vt quamdiu vixerit, pro anima dicti A. à se occisi, recitet singulis diebus Psalmum *Miserere mei Deus, &c.*

Hac pœnitentia potest variari ab exequutore, quia dictus Psalmus fuit positus exempli causa.

Et successiuè vigore eiusdem facultatis & potestatis sibi vt supra delegatæ, & concessæ, dispensauit similiter in vtroque foro cum dicto N. super dictis homicidijs, & Constitutione Sixti V. eum habilitando ad habitum prædictæ Religionis suscipiendum, Nouitiatum peragendum, & professionem suo tempore, iuxta illius Constitutiones, & Statuta emittendam; reseruata tamen sibi facultate procedendi ad vlteriora, iuxta formā dictarum Litterarum, si, & postquam dictus N. professionem regularem emiserit: de quo expresse protestatus fuit omni meliori modo, &c. prædictumque N. ad habitum suæ Religionis, & ad Nouitiatum peragendum secundum prædictas Constitutiones & Statuta admisit, promisitque illum.

illum ad professionem suo tempore admittere, si tamen idoneus tunc repertus fuerit, & Religioni suis vita & moribus satisfecerit, de quo expresse protestatus similiter fuit omni, &c. & non aliàs, &c. Actum in Monasterio N. presentibus N. N. testibus ad hęc specialiter vocatis, & rogatis.

Quando post professionem dictus N. est habilitandus ad Ordines, Officia, & Dignitates, Instrumentum huius Dispensationis, & Habilitationis extendatur, vt in praecedentibus Formulis.



ERRATA.

Pagina	Colũna	Verſus	Errata	Corrige	Pag	Col.	Verſ	Errata	Corrige.
2	2	7	agebt	agebat	220	1	38	Rapot	Raptor
5	1	7	fomra	forma	231	2	19	cognat.	cogniz.
5	2	26	vtilque	vtrúque	236	2	39	coru	coram
20	1	32	Magiſtro	Magiſtros	241	2	24	ſi quæ	ſi qua
18	1	16	dubio 7	dubio 8.	249	1	40	6.	8
20	2	5	Theologia	Thaologiam	260	2	14	amico	ab amico
28	2	8	u ate nus	Quatenus	279	2	21	atiam	iſtam
31	2	17	fuſum	fuſum	280	1	23	lib.1.	lib 7.
39	2	34	c de libellis d.50	✝	280	2	35	ontrahit	contrahit
41	1	2	tit 161	tit 16	289	1	30	210	219
41	2	27	att. 9	art 4	295	1	1	omnis	omiſsis
48	1	58	q. 69	q 79	294	1	34	oleat	ſoleat
50	2	39	conſcianti	conſcientia	328	1	16	vite	licite
59	2	18	requiſis 41	requiſis 4	329		2	fornicatione	Diſpenſatione
60	1	19	moto	motu	329		18	littera	litte as
60	2	13	notabili 3.	notab. 32	353	2	23	nonſilio	conſilio
61	1	4	lib.8	lib 1.	385	2	25	conſcientiæ	contentioſo
65	2	20	ſcienti	ſcientia	388	2	35	30	.n3
67	2	23	illa	ille	391	2	26	13	113
68	2	5	alicuum 49	aliquum 44	398	1	30	omibus	omnibus
74	2	8	ſot.	ſot.	419	1	5	col.	vol.
74	2	24	faciant	faciam	419	2	33	Titius	Thais
75	1	7	qui	quæ	427		16	debeat	doleat
76	2	16	nuiuſmodi	huiuſmodi	459	2	13	omiſſ m	amiſſam
79	2	28	n.12. c. 4.	c 12 n 14	464	1	1	vnum quoque	vnumquodque
85	1	3	pmmiſsis	præmiſsis	469	1	1	atorem	latorem
91	2	12	q 182	q. 184	476	2	23	aiua	ius
98	2	19	notat	notant	484	1	18	ecõmunicationẽ	excõmunicationẽ
105	2	13	atteſtatione	atteſtationes	485	1	14	58	8
103	1	40	ve	vel	508	1	12	Illorum	illarum
125	1	6	xcludit	excludit	514	2	26	nu.3.	nu 9.
125	1	8	di iucentibus	dicentibus	531	2	24	latrini	latrici
127	2	25	vaoris	valoris	533	2	22	41	40
129	1	16	diuis	dictis	564	2	17	partenentur	peterrentur
139	1	28	ſeos	ſenex	575	1	2	impetrantur	impetrantur
146	1	5	q. 24	q. 4	577	2	15	taſtationem	atteſtationem
150	1	5	loco	in co	581	1	5	ciente	ſcienta
156	2	37	po vt	pro vt	581	1	28	cao	cap.
164	1	35	G. ffredus	Goffredum	582	2	5	veam	veniam
164	2	3	nhn	non	585	2	16	nu. 15	nu. 13
164	1	14	Mulieis	mulieris	585	2	30	hac	hinc
173	2	16	aa	a.	591	2	3	15	14
189	2	22	hbet	habet	594	2	10	104	404
196	1	18	candalum	ſcandalum	595	2	13	ex	&
197	1	38	volutas	voluntas	604	2	1	lauſula	clauſula
209	1	12	genti	geniti	606		13	Presbyteratus	Presbyteratus
210	2	24	d. quanto	d. c. quanto	619	2	30	infamia	infamiam
216	2	5	voluatatia	voluntaria	625	4	12	l. a.	c. 2.
219	1	28	opulæ	copulæ	626	1	28	caſionem	occaſionem.

Sſ INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
Quæ in hac Praxi ad Litteras, & Bullas Maioris Pœnitentiarij, & S. Pœnitentiariæ Apostolicæ officij continentur.

Littera V. indicat Versiculum, C. Columnam P. Paginam.

A

Di-

Exi-

Nulli-

Homi-

Pro-

Quot

Clausu.

D

Et

Iuris

Quo-

Non

Super

Insuf-

Pro-

Limita

extra

F

Legi-

Forum.

Limita

Indu,

Pro-

Est

In

Ordi.

L

Homi-

Mani-

A voto

Exce-

Nega-

Bro-

In

Neque

Absa-

Manu-

Est.

Persi.

Q

Rapto-

R

Non

Scan-

Debent

T

Vide:

Dubia

Laica.

Non

F. I N I S.


REGESTVM.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc.

Omnes ſunt Quaterniones, præter a Quinternionem, Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa Bbb Duerniones, & Ccc, Ternionem.



R O M Æ,
Ex Typographia Ludouici Grignani.
M. DC. XLIV.